…ZIONALE
…RENZE

7

R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
FIRENZE

LIBRI

DONATI DAL

DOTTOR ANNIBALE GIULIONI

GIURISTA

Nato a Firenze il 7 Febbraio 1807
e morto il 1º Dicembre 1895 in Firenze.

16 Maggio 1896

8

Tralatitium est inter DD. quoties aliquid secundum iures Civilis rationes est controversum, & iure Canonico clare decisum, quod tunc iure Canonico standum sit in utroque foro, Gloss. et DD. in cap. 1. X. de nov. oper. nunciat. Harlm. Pistor part. 4. qu. 24. n. 6. Carpz. part. 1. C. 21. d. 2. n. 4.

MANUDUCTIO
AD
JUS CANONICUM,

Quæ ejuſdem originem, inſtitutiones, ac fundamenta, & quicquid in eo pri-mum ac præcipuum, complectitur.

AUCTORE

ANTONIO MATTHÆO

Juris in Illuſtri Academia Lugduno-Batava Antecceſſore.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud FREDERICUM HAARING,

cIↄ. Iↄc. XCVI.

B 17. 7. 49

Nobiliſſimis, Ampliſſimis, ac meritis in Rempublicam & univerſam Hollandiam Fulgentiſſimis VIRIS,

D. JOHANNI CORVER,
D. NICOLAO WITSEN,
D. JACOBO BOREEL,
D. HIERONYMO de HAZE de GEORGIE,

Amſtelodami urbis inclytæ ac potentiſſimæ Conſulibus Digniſſimis, Spectatiſſimiſque,

Aſſiduum gloriæ incrementum, verum decus, & ſempiternum, pacem in Chriſto, & felicitatem perpetuam.

Illuſtres, Nobiliſſimi, & Ampliſſimi Viri.

TRiennium eſt, & quod excurrit, ex quo poſtquam increbuit, & frequens fuit ſermo de ſtudiis hujus loci conſtituendis ſplendidius, de linguarum majori cultu, de ſeveriori lectio-

ne, de verbis ſtylo atrociori effodiendis à juventute, de juris Canonici & Feudalis profeſſione, quæ, præſertim Canonici, neglecta hactenus & inculta, cœpi, cum non ignorarem, quanti eſſet momenti, quanti uſus, jus Canonicum, ſed quod niſi veteris quis eccleſiæ inſtitutis imbutus, eccleſiaſticæ antiquitatis, & medii ævi hiſtoriarum notitia inundatus, in Conciliis verſatus, & in veterum Patrum ſcriptis, ex quibus totum id quicquid habet Gratianus congeſſit, ut de decretis Pontificum nihil interim adhuc dicam, doceri ſatis, ut oportet, aut explicari non poteſt, cœpi inquam id agere, in eo totus eſſe & aſſiduus, ut in uſum ſtudioſorum brevem quandam quaſi ſummam & Paratitla conficerem, quo facilius poſſet quiſque, paulum tantum annixus, & horas aliquot ſubſecivas de reliquis ſtudiis ſuis detrahens fundamenta ejus juris & quicquid in eo primum & præcipuum percipere. Quædam forſan nonnullis latius, quam fert ratio inſtituti, videri poſſim tractaſſe, nec diffiteri id prorſus auſim, ſed cum eſſet jucunda, mihi certe, ut verum fatear, fructuoſa etiam & perquam utilis harum rerum tra-

ctatio,

ctatio, poſtquam quod jam ſcripſeram rurſum oculis ſubjeci, recognovi, recenſui, metuens ne viciſſim, dum ſector nimiam brevitatem, in alteram peccarem partem, allectus rerum pondere ad opus rurſum me contuli, paulo plenius rem excuſſi, & quod omiſeram porro addidi. Volupe autem inprimis fuit, varias rerum mutationes, religionis incrementa, veterum fidem, ſanctitatem, & conſtantiam cognoſcere, poſtquam autem ambitio, poſtquam ſeculi hujus ſplendor in eccleſiam invaſit, quam prono dein lapſu, nec uno tamen impetu, ſed veteratoria quadam arte paulatim hominum impoſturis ad vitia deſcitum, donec tandem res redacta ad imperium unius. Qui non prætulit ſe tantum hujus mundi monarchis, ſed ac ſi ſolus rerum arbiter dedit, abſtulit Principatus, quibus vellet diviſit Regna, diviſit vaſtos terrarum tractus, vaſtum illum Eoum orbem, & nec metu divini Numinis, nec reverentia ulla tactus, non Reges tantum, ſed & Cæſares, quod non cæca quadam obedientia ſtatim dicto audientes, dejecit, proſcripſit, & in locum ipſorum alios potenter ſubſtituit. Qui ſe Petrum Apoſtolum,

caput eccleſiæ, Chriſti Vicarium, Deum dixit in terris, & non dixit tantum; ſed ut Deus animis etiam hominum & conſcientiis imperavit, animas etiam velut Deus aut in cœlum ſubvexit, aut in Orcum detruſit, & ô ſcelus! ô peſtis! ô labes! detruſit portentum ipſe, & prodigium eccleſiæ, in omni dedecore, in omni ſcelere volutatus. Nihil fingo, aut comminiſcor. Ajo quod ajunt ipſi fuſci Paparum aſſeclæ. Si hi indigni, qui audiantur, audiatur columen ipſorum magnum, Cardinalis Baronius. An non ipſa hæc ejus verba ad Ann. D. CCCC. XII. *n.* 8. *Quæ tum*, inquit, *facies ſanctæ eccleſiæ Romanæ? cum Romæ dominarentur potentiſſimæ æque ac ſordidiſſimæ meretrices, quarum arbitrio mutarentur ſedes, darentur epiſcopi, & quod auditu horrendum, & infandum eſt, intruderentur in ſedem Petri earum amaſii Pſeudo-pontifices.* Idem ad Ann. DCCCC. XXXIII. *n.* 5. *Tale*, inquit, *monſtrum ſedem Apoſtolicam occupavit, cui non ætas, non natalitia, non legitima ſuffragaretur electio, & qui nihil niſi nomen Pontificis malis uſurpatum artibus retineret.* Hildebrandos quid dicam, quid Julios, Bonifacios, Alexan-

xandros, alioſque famoſos vitiis & illuſtres, Simonia, ſævitia, avaritia, nequitia? Ullane tanta, quam hujus rei voluptas? Et voluptas quid dico? Ullane tanta, & quæ majoris momenti, quam hujus rei utilitas? quam hujus mali originem cauſaſque cognoſcere? & quî irrepſerit in eccleſiam, & quodnam ſumpſerit incrementum; & ad quam tandem magnitudinem, peccatis hominum progreſſis eo, pedetentim ſubvectum? Nihil certe fructuoſius, nihil cognitu præclarius. Papæ enim poteſtatem, & unde eam conſecutus, ſi ignarus non ſcias, nec ſcies, utrum eì legum condendarum poteſtas. Legum conditor & interpres ſolus dicitur Imperator, *l. ult. in fin. C. de legib. l. 2. §. 21. C. de vet. jur. enucl.* Sed & Papa eſt Imperator. Imo eo ſuperior. Tantò major & ſuperior, quanto major Sol Luna eſt, *cap. omnes Principes cap. ſolitæ ext. de major. & obed.* Bald. *ad l. ult. C. ſent. reſc. non poſſ.* Dec. *ad cap. 1. ext. de conſtit.* Felin. *ad cap. ego ext. de jurej.* Quidni autem ſuperior, à quo Imperator deponi, rejici, rurſum poteſt? Etiam inter Dictatus hoc, quos Hildebrandus Papa propoſuit Ann. 1076.

 Quod

Quod ſolus Papa poſſit uti Imperialibus inſigniis, quod ſolius Papæ pedes omnes Principes deoſculentur, quod unicum eſt nomen in mundo, Papæ videlicet: quod illi liceat Imperatores deponere, &c. Quidni, inquam, ſuperior? quem Deum dixit Conſtantinus *cap. Satis evidenter 7. diſt.* 96. Ad quod Steuchus Eugubinus aſſentator inſignis de *donat. Conſt. p.* 141. *Audis, inquit, ſummum Pontificem à Conſtantino Deum appellatum, & habitum pro Deo. Hoc videlicet factum eſt, cum præclaro illo edicto decoravit, & adoravit ut Deum, uti Chriſti & Petri ſucceſſorem, divinos ei honores, quoad potuit, contulit, velut vivam Chriſti imaginem veneratus eſt.* Non minus fortiter Zenzelin. *ad extrav. Johannis* XXII. *tit.* 14. *cap.* 4. *p.* 168. *edit. Lugdun. Credere Dominum Deum noſtrum Papam conditorem dictæ decretalis ſic non potuiſſe ſtatuere, prout ſtatuit, hæreticum cenſeretur.* Quidni ergo & condendi jus & ſtatuendi pro lubitu? Nec de eo quicquam dubitat orbis, qui procumbens ut Numen eum vene-

* De Frederico II. Anonymus ad Ann. 1239. apud Raph. de Beauchamps in Synopſ. Franco-Meroving. *Capiuntur Piſis duo ab Imperatore Cardinales, propter quod excommunicatur Imperator, & tandem cum emendare ſe nollet, à ſucceſſore Gregorii* IX. *Innocentio* IV. *in Concilio Lugdunenſi deponitur.*

veneratur, eum colit, & ſuſpicit. Nos qui verbum Dei habemus normam & regulam, qui membra ſumus Chriſti, nec aliud habemus caput, quod juſſit Papa, aut decrevit, nec tuemur, nec propugnamus, nec ullius cenſemus ponderis, niſi quatenus cum Scripturis aut Verbo Dei concordat, aut ſi ordinem judiciorum, ſi ſtatum civitatis, ſi ſecularia tantum tangat, quatenus propter æquitatem id jam paſſim receptum, nec ulla ei noſtrorum Ordinum conſtitutio contraria. Sit Princeps Papa, & ſit talis, qualem vulgo ſe jactat. An ad Ordines id quicquam? Non minor iis, quam Papæ, circumfuſa eſt majeſtas. Nec Papa creat Papam. Nec Papa ad Papam attendit quicquam. Variant, invicem ſe arrodunt, & quod ejuſdem ſunt poteſtatis ſententiis inter ſe diſſident. Figunt leges, refigunt. Nec quiſquam placitis deceſſoris vel tantillum tenetur. Memorabile eſt inprimis, quod Albertus Argentinenſis in Chronico ait loquens de Bonifacio VIII. *Edidit etiam*, inquit, *conſtitutionem* Super cathedram *gravem Minoribus & Prædicatoribus. Quo mortuo Benedictus* XI. *ſucceſſor, qui fuit Prædicator, fecit conſtitutionem*

 inter

inter cunctas, *per quam revocavit aliam. Quo etiam ſub Alberto rege mortuo creatus eſt Clemens V. Vaſco, qui conſtitutionem* ſuper cathedram *renovavit*. Sanctum habent virum Formoſum Papam plerique, & ſucceſſor tamen Sergius & reſcidit ab eo acta, & ſævitia quadam barbara extractum è ſepulchro dejecit in Tiberim. *Cadaver*, inquit Platina, *è ſepulchro extractum capitali ſupplicio, ac ſi viveret, afficit, corpuſque ipſum in Tiberim projicit, tanquam ſepultura & honore humano indignum. Vide*, inquit, *quæſo, quantum iſti degeneraverint à majoribus ſuis. Illi enim, utpote viri doctiſſimi, dignitatem ultro oblatam contemnebant &c. Hi vero largitione & ambitione Pontificatum quærentes, & adepti, poſthabito divino cultu, inimicitias non ſecus ac ſæviſſimi quidam tyranni inter ſeſe exercebant &c.* Idem ait Luitprandus *lib.* 1. *hiſt. cap.* 8. impium addens Sergium doctrinarumque ſanctarum inſcium. Tanti cum faciant, quod par ſcilicet in parem imperium non habeat, *l.* 13. §. *ult. ff. ad Sct. Trebell.* ſuorum juſſa Pontifices, quæ ratio, ut quiſquam dicat obſtrictos Ordines iis fortius, quam olim fuerunt ipſi, obſtrictos

fortius quam Cæſareis, ob ſummam, quæ elucet in iis paſſim, æquitatem per Europam receptis? Verbo ut rem abſolvam, ſic ſervamus jus Pontificium, ut Romani olim jus Rhodium, *l. 9. ff. de leg. Rhod.* quatenus Ordinum auctoritas & juſta ratio id admittit, nec ulla ei noſtrarum legum invenitur contraria. Et ſi recte attendamus rem, multa etiam ſunt præclara, quæ in uſum ſi deducantur, nec religio, nec eccleſia, nec ſtatus publicus aut privatus quicquam capiet detrimenti. Nec pauca ſunt, quæ admiſſa, & quæ etiam apud nos pleniſſimam obtinent juris vim, ut ex his etiam, quæ commentatus ſum, non difficulter conſtabit. Quicquid autem id tandem eſt, veſtro, viri Nobiliſſimi, qui inter ceteras virtutes & inſigni doctrina, & quodam incredibili, & quæ ubique eſt præclara admodum, rerum tractandarum domi militiæque præfulgetis peritia, qui non merces tantum exoticas, quæ corpus paſcant, quæ oculos, verum etiam quæ animum ornent, emendent, inſtruant, & omni virtutum genere ad magna omnia & inſignia promtum reddant paratumque, in urbem veſtram, quæ admirandum, &

toto

toto orbe nobiliſſimum & literarum & mercium hac ratione eſt emporium, ſumma cum cura & induſtria comportatis, adſcitis undique & conquiſitis, qui profiteantur & cœleſtium & terreſtrium diſciplinam, in omni literarum genere inſtructiſſimis viris, veſtro inquam judicio id univerſum permitto, & qua par eſt reverentia & me & quod ſcripſi vobis dedico, conſecro. Felices diu vivite, & fluentibus rebus proſpere αἰὲν ἄλλων ὑπείροχοι. Reſpiciat Deus vos ex alto, conſiliis veſtris ſemper adſit, & benedicat perpetuum, ut inter rapinam & militarem tumultum, inter flammas & ſanguinem, inter mutuas bellorum clades, inter ſtrepitus tormentorum, gladiorumque micantium colliſiones tam crebras ſubſiſtatis invicti. Creſcat veſtris auſpiciis purior Dei cultus, felix creſcat eccleſia, cura veſtra & providentia ſuus Muſis ſervetur honos, ſervetur decus intactum. Et hæc votorum meorum ſumma eſt. Faxit utinam ita Deus, ut illuſtris veſtra urbs non auri tantum & argenti, hominumque & tot claſſium, tot ſubſtructionum inſignium incredibili quadam copia, ſed doctrinæ etiam, & virtutum, & omnis humanita-

tis

tis ſplendore & apparatu quotannis evadat auctior, ut prædicetur perpetuum, prædicetur toto orbe, prædicetur & jam & apud ſeros etiam nepotes ut quoddam mundi miraculum! Faxit utinam, ut præſideatis ei; bonorum omnium cum applauſu, rerum arbitri urbanarum felices diu florenteſque, & ingenti cum gloria! Ita Deum veneror

ILLUST. NOBILIT. & AMPLIT. VESTR.

Devotiſſimus

ANTONIUS MATTHÆUS.

Lugd. in Batav.
VI. Id. Novembr.
CIϽ. DC.XCV.

LECTORI S.

DE operis typographicis vetus, Lector, querela eſt. Dum ad lucrum tantum facti, de mendis parum ſolliciti, vix eſt ut iis purum quicquam ſperes ex aſſe. Condona, ſi occurrat quid, quale eſt *p.* 188. ubi pro *ciniline* legendum *cimiline*. P. 259. pro *Bonifacio* XX. reponendum *Bonifacio* VIII. P. 462. pro *Ingulfiu Abbiu*. *Ingulfus Abbas*. Alibi etiam pro *Senenſem* legi debet *Senonenſem*, ſed locus jam non occurrit. Infra autem, quod dixi, quod confundunt Pontificii ſignum & rem ſignatam, ex verſiculis etiam patet, quos habet Thomas Aquinas apud Molanum *orat.* 1. *de Agnis Dei cap.* 17.

Fracto demum Sacramento
Ne vacilles, ſed memento
Totum eſſe ſub fragmento,
Quantum toto tegitur.
Nulla rei fit ſciſſura:
Signi tantum fit fractura.
Qua nec ſtatus, nec ſtatura
Signati minuitur.

ANTONIUS AUGUSTINUS.

Archiepiſcopus Tarraconenſis 1. *de emend. Gratiani cap.* 15.

A. Eſt etiam illud addendum, qui huic generi ſtudiorum operam dederint. B. Quid mirum, cum præmia nulla ſint, ut his qui litium cauſa diſcunt. Honos enim alit artes, ut ajunt. A. Quaſi vero virtus non ſit ſe ipſa contenta, & ipſa ſcientiæ atque veritatis indagatio aliud requirat præmium inane, ac fucoſas honorum imagines.

INNOCENTIUS CIRONIUS

Juris utriuſque Anteceſſor Toloſanus in præfat. ad Paratitla juris Canonici.

Tot difficultatum ſtimulis exagitatus recedere ab arena ſæpius cogitavi, ac maxime quod ita jus Canonicum cum Civili cohæreat, ut utrumque penitus ignoret, qui unum tantummodo ſe ſcire contendat.

TI-

TITULORUM,

Rerumque Argumenta ac Synopſis.

LIBRI PRIMI.

TIT. I. *De libris juris Canonici, & unde id conflatum.*
II. *Ejus juris definitio. Ejuſdem diviſio. De Conciliis nonnulla.*
III. *De conſtitutionibus Summorum Pontificum.*
IV. *De Veterum Patrum Sententiis.*
V. *De jure non ſcripto.*
VI. *De jure perſonarum.*
VII. *De clericis & laicis.*
VIII. *De ordinatione clericorum.*
IX. *De Epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus, Patriarchis.*
X. *De receptione & auctoritate pallii.*
XI. *De Coadjutore, Suffraganeis, Chorepiſcopis.*
XII. *De electione.*
XIII. *De electi poteſtate, & ejus confirmatione.*
XIV. *De Poſtulatione.*
XV. *De Renunciatione.*
XVI. *De Presbyteris.*
XVII. *De Diaconis, Subdiaconis, Acolythis &c.*
XVIII. *De Canonicis.*
XIX. *De monachis.*
XX. *De vita & honeſtate clericorum.*

LIBRI SECUNDI.

TIT. I. *De rebus eccleſiaſticis & earum acquiſitione.*
II. *De Sacramentis.*
III. *De Baptiſmo.*
IV. *De Euchariſtia.*
V. *De Matrimonio.*
VI. *De Sponſalibus.*
VII. *De Eccleſiis.*
VIII. *De Decimis.*
IX. *De Primitiis & oblationibus.*
X. *De Beneficiis eccleſiaſticis.*
XI. *De Collatione Beneficiorum.*

XII. *De*

XII. *De jure patronatus.*
XIII. *De modis quibus beneficium amittitur.*
XIV. *De cenſu eccleſiarum & donationibus eis factis.*
XV. *De rebus eccleſiæ alienandis vel non.*
XVI. *De contractibus clericorum.*
XVII. *De Precariis, Præſtariis, & Libellis.*
XVIII. *De bonis clericorum & de ipſorum teſtamentis.*
XIX. *De Succeſſione ab inteſtato.*

LIBRI TERTII.

Cap. I. *De Actionibus judiciiſque.*
II. *De Foro competenti.*
III. *De delictis clericorum, & ubi de criminibus agi oporteat.*
IV. *An laici ex cauſa criminis apud judicem eccleſiaſticum etiam poſſint conveniri.*
V. *De Accuſationibus.*
VI. *De Probationibus, Præſumptionibus, & Jurejurando.*
VII. *De Pœnis.*
VIII. *De excommunicatione.*
IX. *De Interdicto.*
X. *De Suſpenſione & Depoſitione.*
XI. *De Purgatione canonica & vulgari.*
XII. *De Abſolutione, & de Pœna homicidii.*
XIII. *De Sepulturis.*
XIV. *De Privilegiis.*
XV. *De Diſpenſationibus.*
XVI. *De Appellationibus.*
XVII. *De Officio judicis.*
XVIII. *Ἀνακεφαλαίωσις eorum quæ dicta ſunt.*

MA-

MANUDUCTIO AD JUS CANONICUM

LIBER PRIMUS.

TITULUS I.

DE *Libris juris Canonici, & unde id conflatum.*

Corpus juris Canonici conflatum eſt inprimis ex decreto Gratiani, quinque libris Decretalium Gregorii Papæ IX. ſexto Bonifacii, qui VIII. ejus nominis, quinque libris Clementinarum, & quinque Extravagantium. Gratianus patria Cluſinus, aut ut alii, Claſſenſis. Quæ urbs eſt Italiæ. Robert. de Monte in *append. ad Sigebert.* Cluſinum ait epiſcopum. Sed alii talem non agnoſcunt. Monachum tantum Benedictinum ajunt in monaſterio Bononienſi, quod S. Felici ſacrum. Decretum ſcripſit ſub Eugenio, qui III. ejus nominis circa annum 1150. ut ſcribit Abbas Urſpergenſis *in fin. vit. Lotharii.* Ant. Auguſtin. *de emend. Gratian.* 2. *dial.* 9. Baluz. *ibid. in not. & in præf. ad Ant. Auguſtin. n.* 29. Inſigne habitum olim opus, de quo etſi nemo dubitat, quin ejus auctor Gratia-

nus ſit, Antonius tamen Auguſtinus in nullo veteri ſere libro reperiri ait ipſius nomen, ſed plerumque hunc tantum titulum; *Concordia diſcordantium canonum*; *lib.* 1. *de emend. Gratian. cap.* 1. *Diſcordantium*, quod undique omne genus decretorum, diſſidentium etiam inter ſe, in illud corpus congeſtum. Ant. Auguſtin. 1. *dial.* 15. Recte autem ait *fere*. Vidit enim Baluzius volumen Romæ in Vaticano hunc qui ſequitur habens titulum: *Decretum Gratiani, monachi S. Felicis Bononienſis ordinis S. Benedicti, compilatum in dicto monaſterio anno Domini* CIↃ. C. LI. *tempore Eugenii Papæ tertii.* Ita in *addit. ad d. cap.* 1. Prima etiam quæ prodiit editio Pariſienſis Ann. CIↃ. IↃ. VIII. Gratiani nomen præfert ita: *Decretum aureum Divi Gratiani, cujus titulus talis eſt: Incipit Concordantia diſcordantium canonum.* Sic idem d. *præf. n.* 28. Et tamen perperam *Decretum*, ut recte Anton. Auguſtinus *d. cap.* 1. Baluz. *ibid.* Decretorum collectio eſt, Codex, ſeu Corpus, ut Innocentius vocat Papa III. apud Odoricum Rainaldum ad Ann. 1202. §. 12. An habeat juris vim ſunt qui diſputant non pauci. Affirmant ex Pontificiis Maranta, Tuſcus, Panormitanus, & ex noſtris Goldaſtus, ut & Strauch. 1. *amœn.* 6. *cap.* 2. Plerique autem id negant. Ant. Auguſtin. *d. lib.* 1. *dial.* 3. Petr. de Marca *de concord. ſacerd. & imp. lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 2. Ziegler. *ad can. redintegrandæ* 3. *qu.* 1. Vitrum lambit Gretſerus, nec ſatis explicat ſe, ut decuit, dum ſcribens contra Goldaſtum approbatum non negat, ſed negat omnia approbata, quæ Gratianus in id retulit. *Audi*, inquit, *Calvinicola lib.* 2. *gemin. defenſ. adverſ.*

verſ. Goldaſt. eccleſia approbavit decretum Gratiani, ut in Scholis prælegatur, & in foro uſurpetur, omnia, quæ in illud decretum Gratianus congeſſit, vera eſſe nunquam & nuſpiam eccleſia Romana dixit, neque unquam dicet, niſi fallor, me autem non falli credibile faciunt tot partim hiſtorici, partim alii errores, quos Gratianus ut homo commiſit. Sed viciſſim quæſo audiat jam ἀλάςωρ Papicola. An eccleſia cum probavit errores uſpiam excepit? Et ſi ita te expedias, an majoris jam momenti decretales Pontificum, quam decretum Gratiani. Ipſi etiam Pontifices an non paſſim errarunt? Nec Cynus id diffitetur, nec Cynum ſequens Cujacius *lib.* 8. *obſ. cap.* 3. Et nec ipſi Pontifices erroris invicem accuſantes. Sed hæc proprie non eſt quæſtio, an nullus error Gratiani. Quæſtio eſt tantum, an Decretum ejus habeat juris vim. Tuſcus de eo ita: *Hodie ſine dubio probat, quia Gregorius* XIII. *illud approbavit, dum in Bulla ſua impreſſoribus conceſſa illud cum Decretalibus, Sexto, & Clementinis, appellat Corpus juris Canonici.* Sic *to.* 2. *lit. D. concluſ.* 110. *n.* 2. Contra autem Ameſcua *tr. de poteſt. in ſe ipſ. cap.* 9. *n.* 7. *Gregorius ſolus curavit emendari falſas allegationes, & expungi menda, ac ad fidem originalium reduci. Non tamen authoritatem Pontificiam libro tribuit, ſed quam habebat reliquit. Itaque authoritas Hieronymi ibidem relata etiam nunc nihil amplius erit quam Hieronymi. Nam ſi authoritatem Pontificiam libro tribuiſſet, emendaſſet, quæ contra juris regulas ibi traduntur a Gratiano &c.* Et hæc verior opinio eſt. Opus hominis privati eſt. Nec juſſu Papæ conſcriptum. Nec ab eo etiam confirmatum. Scriptum ſub Eugenio, qui

III. ejus nominis. Ex Conciliis collectum, ut & veterum Patrum ſcriptis & receptis ſententiis. Abbas Urſpergenſis: *Lotharii temporibus magiſter Gratianus canones & decreta, quæ variis libris erant diſperſa, in unum opus compilavit, adjungenſque eis interdum auctoritates ſanctorum Patrum ſecundum convenientes ſententias opus ſuum ſatis mirabiliter diſtinxit.* Legi id tantum paſſus,& Decretales cum ederet, una id cum iis edi Gregorius XIII. ſed emendatius permiſit. Operam autem emendando & ipſe adhibuit inter primos, Anteceſſor primum Bononienſis, ubi & jus Canonicum cum laude interpretatus, factus poſtea Cardinalis Pii IV. delectu, & mox ejuſdem ſucceſſor, cum ultimam ei operi tandem manum impoſuit. Utrumque autem illud conſtat, & quod edi permiſit, & quod etſi id permiſit non dedit tamen juris vim. Fr. Florens *præf. ad tit. 9. lib. 1. decretal.* Ameſc. *d. loc.* Ant. Auguſtin. de *emend. Gratian. lib. 1. cap. 3. & lib. 2. cap. 9.* Strauch. 1. *amœn. jur. Can. 6. cap. 2.* Certe dicta Gratiani quotidie in ſcholis rejici Ioan. Andreæ doctus admodum interpres ait in *addit. ad Speculat. §. fin. tit. de diſput. & atteſt.* Nec inutiliter tamen operam viſus Pontifex collocaſſe, & quod non aliud receptius quam decretum Gratiani, & quod & alias collectiones & ſic ſummam juris eccleſiaſtici videretur complecti, & quod eam ſaltem haberet vim, quam habent Auctores Canonum, quorum meminit Gratianus. Panorm. *ad cap. 2. ext. de reſcript.* Marant. *prax. diſt. 3. n. 34.* Alber. Gentil. *de lib. jur: Can. cap. 2.* Zoeſ. *par. jur. Can. præf. n. 10.* Ant. Auguſt. *præf. in can. pœnit.* Jam olim Bononiæ poſtquam

quam primum prodiiſſet,cum applauſu exceptum,& ſtatim gloſſis illuſtratum. Statim facta ad id paratitla. Neç in ſcholis tum aliud juventuti prælectum. Sic aucta exiſtimatio, præſertim cum & juvenes ex Bononienſi Academia, ubi primum id prodiit, & cujus fama tum illuſtris, præter id & jus civile, quod & primum tum revixerat, & Doctorum ad id gloſſas, aliud domum non referrent. Fr. de Roye *Inſt. jur. Can. præf*. Palmam inter Gloſſatores obtinebat Joannes Semeca vir admodum excitati & excelſi ingenii, de quo in Paraleipomenis ad Conradum a Liechtenau Abbatem Uſpergenſem ad Ann. 1154. *Hoc tempore floruit Joannes Semeca, Teutonicus juris Doctor, qui Herculea audacia primus aggreſſus eſt gloſſare Decretum, quod ante eum nemo & poſt eum nullus excellentius fecit. Hic Clementi* IV. *Summo Pontifici, tum per Germaniam, ſicut Galliam, decimas a clero in redemptionem terræ ſanctæ exigenti appellationem oppoſuit, ſed Papa excommunicavit, & Præpoſitura Halberſtatenſi privavit. Sed erant magni in Germania viri, qui Johannem deſerendum non putabant. Mors vero æquo pulſans pede pauperum tabernas, regumque turres, hanc litem diremit, & Pontificem ac Præpoſitum e medio ſuſtulit.* Diviſit opus univerſum Gratianus in tres partes. Prima centum diſtinctiones. Secunda cauſas & quæſtiones. Tertia duos tractatus continet, de *pœnitentia* nimirum & de *conſecratione*. Bononiæ exſtat adhuc epitaphium ejus in æde S. Petronii, quod deſcriptum a Mabillonio in Muſæo ejus Italico comparet hujuſmodi:

D. O. M.

Gratiani Cluſini, Caſarei Iur. & Pont
enucleatoris prope divini;
Qui monachus in martyrum Felicis
& Naboris æde abſolutiſſimum
ibidem opus Decretorum
anno gratiæ CIↃ. C. LI. *compilavit;*
Monumentum, quod illic carie
ruderibuſque obſorduerat
hic magnificentius renovatum
Johannes Franciſcus Aldrovandus Bononiæ
IV. *Dictator ære publico inſtauravit*
anno ſalutis CIↃ. CCCC. LXXXVIII.
Idibus Junii Johanne Bentivolo II.
PP. remp. feliciter gubernante

Multum abeſt hoc elogium ab eo, quo eum ornat Anton. Auguſtinus, qui ait *hominem fuiſſe ſtupidum, multiſque in rebus nihil vidiſſe, lib.* 1. *de emend. Gratian. cap.* 17. Malignum etiam dicunt & accuſant mendacii. A Gloſſatore interdum audit; *Fateor plane te mentitum Gratiane ad c.* 7. *c.* 2. *qu.* 3. Vid. Felin. *ad cap.* 2. ext. *de reſcript.* Sed is utut ſic ſentiat alii aliter ſenſerunt. Bononienſes de eo optime, qui & lapidi olim poſito in S. Felicis æde, tranſlato poſtea in ſacrarium, ut idem ibi Mabillonius, inſcripſerunt quod ſequitur:

Hanc aulæ partem reverenter lector adito,
Namque loci monachus Decretum condidit huius
Divinum Gratianus opus, quantum libet arto
Contentus ſepto, quod jam reparando caducum,

Et

Et vetus hoc clauſtrum tolli fuit inde neceſſe,
Id tamen Abbate conſtructum eſt Bartholomæo
Mille trecentenis decies ſeptem atque quaternis
Annis a Chriſto pura de Virgine nato.

Decretales reſcripta ſunt, quibus Papa ad libellos, ad preces ſupplicum, aut eorum, qui ipſum conſulunt, reſpondet. *Decretales* qui dicit, *Epiſtolas* ſubintelligit, ut *conſtitutiones* ſubintelligit, qui dicit *Novellas*. Quinque earum collectiones, quas & legit, & recognovit, & reciſis ſuperfluis redegit in unum corpus Gregorii juſſu Papæ IX. Raimundus a Penna forti. Prima erat Bernardi Papienſis Præpoſiti. Secunda trium erat opus, Gilberti, Alani, & Joannis Vallenſis. Et hæ privata auctoritate a Magiſtris compoſitæ. Tertiam Innocentius Papa III. juſſit confici, & confectam ex duodecim reſcriptorum ſuorum libris juris vim accommodando expreſſe approbavit. Quartam idem Innocentius, partim ex Concilii Lateranenſis decretis, partim ex reſcriptis adhuc poſtea a ſe editis. Quintam juſſit promulgari, ſed de ſuis tantum decretis, Honorius Papa III. Diu autem deſiderata hæc, ſuppreſſa, & vix viſa, quod poſt Honorii exceſſum Gregorius IX, ſucceſſor ejus de ſua tantum cogitaret. Nondum editam adhuc ait Alberic. Gentilis *de libr. jur. Can, p. 9.* Habuit Contius manuſcriptam. Habuit etiam Cujacius. Vid. Cujac. *ad cap.* 28. *ext. de ſponſal. & ad cap.* 17. *ext. de for. comp.* Quæſitam tandem invenit, ac e veteris Bibliothecæ Albienſisruderibus ſitu, pulvere, ac pedore confectam eruit Innocentius Cironius, eccleſiæ ac Academiæ Toloſanæ Cancellarius, ac notis illuſtratam ſtatim To-

loſæ edidit Ann. 1645. Strauch. 1. *amœn. cap.* 9. Ex his autem compilatum prodiit Raimundi opus anno poſt milleſimum cc. xxx. ut conſtat ex Præfatione, quæ & ſcripta eſt eo anno. Martinus Polonus: *Hic Papa per fratrem Raimundum ordinis Prædicatorum Pœnitentiarium & Cappellanum ex pluribus voluminibus Decretalium compilavit Volumen unum mandans ubique Doctoribus illo uti.* Mattheus Paris in vita Henrici III. *His quoque temporibus Gregorius Papa* IX. *videns Decretalium tædioſam prolixitatem, ſub quodam compendio eas eleganter abbreviatas, & collectas ſolenniter, & authenticè, per totius mundi latitudinem legi præcepit, & divulgavit.* Abbreviatas quod dicit ad id pertinet, quod dixi, quod recidit Raimundus multa, quæ viſa ipſi aut inutilia, aut non magni momenti, ſingulorum tamen capitum antiquarum Collectionum primis verbis retentis propter Gloſſas antiquas, quæ ex quinque illis Collectionibus, nondum hac promulgata, principia hæc allegabant. Io. Andr. *ad cap. nobis fuit ext. de jur. patr.* Fr. Florens *d. præf. ad* IX. *prior. tit. lib.* 1. *decretal.* Strauch. 1. *amœn.* 4. 1. *cap.* 10. & 1. *amœn.* 2. *cap.* 8. Quod ad notas marginales, quæ paſſim additæ conſpiciuntur, Raimundi non ſunt, ſed ſunt veteris interpretis Franciſci Pegnæ Hiſpani, ut ſcribit Baluzius ad Ant. Auguſtin. *de emend. Gratian. lib.* 1. *cap.* 20. Decretum per *Canones*, Decretales per *Capitula* citantur addita voce *extra*, quod ſint extra Decretum, in quo olim jus Canonicum conſiſtebat duntaxat.

Sextus Decretalium Bonifacii VIII. juſſu ex epiſtolis Pontificum Gregorii IX. ſucceſſorum, Innocen-

centii inprimis IV. Greg. X. & ipſius Bonifacii compilatus a Guilielmo Ebredunenſi Archiepiſcopo, Berengario in Gallia Biterrenſi epiſcopo, & Richardo de Senis Romanæ eccleſiæ Cancellario. Martinus Polonus: *Anno Domini 1297. Bonifacius ſextum librum Decretalium, quem fieri fecerat, publicavit.* Guilielm. de Nangis apud d'Achery *to.* II. *Spicil. ad Ann.* 1297. *Bonifacius Papa conſtitutiones quaſdam novas, quas animo diligenti & cura ſollicita pro ſtatu & commodo univerſalis eccleſia compilari & ordinari fecerat a peritis in jure Canonico & Civili, tertia die Maji in pleno conſiſtorio coram omnibus, qui præſentes erant, tradidit ad legendum, & perlecta ſæpius cum magna diligentia, atque a Cardinalibus approbata, decrevit ipſe Pontifex, ut libro quinto Decretalium adjuncta facerent ſextum librum.* In Gallia tamen non habet uſum ob inimicitias Philippi Pulchri cum eodem Bonifacio. Gloſſ. *ad cap.* 16. *ext. de teſtib. in* 6. Cuj. *ad cap. ad audientiam ext. de ſponſal. & matrim.* Fr. de Roye *Inſt. jur. Can. in præf.* Strauch. I. *amœn.* I. *cap.* 10.

Sequuntur Clementinæ, quas Clemens V. circa annum CIↃ. CCC. XII. ex ſuis partim reſcriptis, partim ex decretis, ſed paſſim interpolatis, Viennenſis Concilii, ſub eo habiti collegit. *Collegit* dico non edidit. Edidit demum eo mortuo & confirmavit ſucceſſor. Martin. Polonus ad Ann. CIↃ. CCC. XIII. *Eodem anno* XII. *Kal. April. in caſtro de Montiliis juxta Carpentoractum, ubi Curia tunc morabatur, Papa fecit publicari coram ſe in Conſiſtorio conſtitutiones, quas prius fecerat ordinari, ex quibus decreverat ſeptimum librum Decre-*

talium fieri, & exinde cœpit infirmari. Et ſic Conſtitutiones illæ remanſerunt ſuſpenſæ, quouſque per ſucceſſorem ſuum fuerunt ad ſtudia deſtinatæ. Sic editio Plantiniana. Paulo aliter citavit locum hunc *d. præf.* Franciſc. Florens, nimirum ita: *Ann.* 1312. *die* 12. *Kalend. April. &c. Papa fecit publicari coram ſe in Conſiſtorio &c.* & mox: *& exinde cœpit ægrotare. Et ſic Conſtitutiones illæ per quadriennium manſerunt ſuſpenſæ, nec expoſitæ ad communiter habendum, nec ad ſtudia generalia, ut moris eſt deſtinatæ, donec poſtmodum anno Domini* 1317. *menſe Novembri per ſucceſſorem ejus Joannem fuerunt publicatæ, & ſub Bulla ad Studia Generalia directæ.* Variant admodum editiones, & multum differt Plantiniana hæc, quæ prodiit Ann. 1574. ab ea, quæ Argentorati anno 1685. & quæ quamvis poſterior annum non excedit 1265. cum attingat Plantiniana CIƆ.CCC.XXIV.

Quod ad Extravagantes, privatorum collectio eſt ex Johannis Papæ XXII. & aliorum reſcriptis, ſed cui nec Pontificii multum putant tribuendum, niſi etiam aliunde dictis fides poſſit adſtrui, aut ex ſcriniis Apoſtolicis, aut alioquin ex probatis & authenticis documentis. Fr. Florens *d. præf.* Strauch. 1. *amœn.* 1. *cap.* 11.

TITULUS II.

Ejus juris definitio. Ejuſdem diviſio. De Conciliis nonnulla.

Jus Canonicum eſt id quod eccleſia conſtituit. Eccleſia eſt congregatio & cœtus fidelium. Zonar. *ad can.* 47. *Carthag. Concil.* A canonibus ei

nomen. Quæ ſunt regulæ eccleſiaſticæ, deſumptæ ex Verbo Dei, & Veterum conſtitutionibus, ex Conciliis, & epiſtolis Romanorum Pontificum. Duplex eſt, ut jus civile, Publicum & Privatum. Publicum, quod ſpectat ſtatum totius eccleſiæ, & quod inprimis in ſacris & ſacerdotibus conſiſtit, *arg. l.* 1. §. 2. *ff. de j. & j.* Privatum, quod ſpectat utilitatem privatam. Utrumque aut ſcriptum eſt, aut non ſcriptum. Scriptum eſt, quod expreſſe eſt ſancitum, & in ſcripturam redactum. Non ſcriptum ſunt mores, qui uſu diuturno ab eccleſia obſervati. Scripti duæ ſunt ſummæ partes, *Verbum Dei* & *Canones.* Quorum ingens ſemper vis. Et ſemper duo hæc in Conciliis in medio conſeſſus. In actis eorum paſſim, *propoſitis divinis in medio ſcripturis.* In Nicæni II. & Conſtantinopolitani in Trullo; *antepoſitis in medio ſacris & inviolatis Evangelii Codicibus*; Concilii VIII. Oecumenici; *προτεθέντων τῶν ἁγίων εὐαγγελίων.* Add. Concil. Antioch. *can.* 16, *& ſeq.* Nicæn. *can.* 4. Deſumpti Canones ex Conciliis, veterum Patrum ſententiis, decretis, & decretalibus ſummorum Pontificum *can.* 1. *diſt.* 20. Fr. Florens *præf. ad* IX. *prior. tit. lib.* 1. *Decretal.* Concilium cœtus fidelium eſt & cleri & laicorum ad tractandum de fide & diſciplina eccleſiaſtica coactus ab eo, qui cogendi jus habet. Synodum vocant Græci. Ejus ſpecies ſunt quatuor Oecumenicum, Nationale, Provinciale, & Epiſcopale. Oecumenicum totius orbis eſt, & Orientis & Occidentis. Cujuſmodi olim inprimis quatuor, quæ intra ſeculi unius ſpatium, & quod excurrit, coacta. Nicænum I. anno CCC. XXV. Conſtantinopolita-

tanum I. anno CCCLXXX. Epheſinum I. anno CCCC. XXXI. et Chalcedonenſe anno CCCCLI. Nationale quod cœtu conſtat diverſarum nationum, cujuſmodi Dordracenum, aut diverſarum Provinciarum, cujuſmodi Africanum. Sex Provincias habebat Africa, quarum etiam unaquæque habebat ſuum Primatem, Africam nimirum ipſam, Byzacenam, Numidiam, Tripolitanam, & duas Mauritanius, Sitifenſem, & Cæſarienſem. Provinciale quod Provinciæ, cœtu conſtans epiſcoporum qui ejuſdem Provinciæ, quod & vult Imperator, ut congregetur quotannis, *nov.* 137. *cap.* 4, Ziegler. *lib.* 3. *de epiſcop. cap.* 18. *n.* 67. Epiſcopale, ad quod clerus, confluit qui eidem paret Antiſtiti qui ejuſdem diœceſis. *c. pen. diſt.* 18. Fr. de Roye *Inſt. jur. Can. lib.* 1. *tit.* 2. Jus autem indicendi hæc, etiamſi Paparum aſſeclæ ſatis acriter de eo diſputent, niſi Princeps non habet. Et ſi ſtatos excipias, & qui quotannis recurrunt, quibus tacite aſſentitur Princeps, cleri conventus, ne in propria diœceſi quidem epiſcopo illud jus, niſi Princeps permittat, *l.* 1. *ff. de colleg. & corp.* Unde & illud Hieronymi contr. Rufin. *Quis Imperator hanc ſynodum congregari juſſit?* Item id quod Sueſſionenſe & Tullenſe Concilium ſub Carolo Calvo Francorum Rege: *Ut ſiquis epiſcopus Concilium convocare velit Regis conſenſum petat.* Primis ſeculis Chriſtianiſmi, ut & diu dein poſt, priuſquam adhuc Papa invaſiſſet tyrannidem, nemo id traxit in controverſiam. Nihil certius quam quod Princeps & indixit Concilia & iis etiam præſedit. Quod indixit, exempla ſunt, & exempla infinita. Socrat. 2. *hiſt. eccleſ.*

36.

36. πρόσταγμα γὰρ ἦν τοῦ βασιλέως ἐν Μεδιολάνῳ πόλει ποιεῖσθαι τὴν σύνοδον, *Praceperat Imperator, ut in urbe Mediolano ſynodus haberetur.* Ibid. *cap.* 37. *generale Concilium convocare ſtatuit.* & mox. *Et eos qui tum aderant apud urbem Italiæ Ariminum congregari mandavit; epiſcopos autem Orientis Nicomediæ, quæ civitas eſt Bithyniæ, colligi datis ad eos literis præcepit.* Add. *ibid. cap.* 39. & Vid. *eund. lib.* 4. *cap.* 2. *lib.* 5. *cap.* 8. *lib.* 7. *cap.* 34. Theodorit. 1. *hiſt. cap.* 28. & 2. *hiſt. cap.* 15. 26. *&* 31. Evagr. 2. *hiſt.* 2. *&* 7. *hiſt.* 38. Liberat. Diacon. *breviar. cap.* 5. 7. 12. Sic Carolus Magnus Francorum Rex, cum Italiam debellaſſet, Anno DCCLXXIV. Romam veniens convocavit Concilium epiſcopòrum & Abbatum CLIII. Idem Ann. DCCXCIX. remiſſo Romam Leone III. a Romanis ejecto, ſubſecutus ſequenti anno, Sedi eum Pontificiæ, collecto Concilio, cauſaque cognita & diſcuſſa, abſolutum reſtituit. Idem etiam fecit Imp. Arnulphus. A Formoſo Papa vocatus Romam, ſtatim Synodo congregata in throno oppreſſis æmulis eum fortiter confirmavit. Leonem Papam ad ſynodum Roma evocat Conſtantinopolim Imp. Martianus apud Goldaſt. 3. *conſt. imp. p.* 601. Hormiſdam Heracleam Anaſtaſius Imp. apud eund. *ibid.* Otto III. Imperator poſtquam pulſum a Romanis Gregorium V. intellexit, quem ipſe Papam conſtituerat, eique alium ſubſtitutum, profectus Romam cauſa cognita, & indicto Concilio, ſuffecto oculos juſſit erui, pulſumque & dejectum ſuæ ſedi reſtituit. Frodoard. ad Ann. DCCCCXLVIII. *Domnus igitur Agapitus Papa*

pa

pa vicarium ſuum Marinum epiſcopum mittit ad Othonem propter evocandam ac aggregandam generalem Synodum. Poëta Anonymus apud Reineccium ad Ann. DCCXCIV.

> *Catholicus Princeps Synodum celebrare vocatos*
> *Undique Pontifices jam dictam fecit ad aulam*

& mox:

> *Annis præterea Synodum non pluribus ante*
> *Conſtantinopoli celebrari fecit in urbe*
> *Græcorum Princeps, qui Conſtantinus habebat*
> *Nomen, & ejuſdem genitrix Hirena vocata.*
> *Et condixerunt, ut Septima ſeu generalis*
> *Appellaretur.*

Quod iiſdem præſedit aut per ſe aut per alium, exempla etiam non pauca: Notum illud Conſtantini apud Euſeb. *lib.* 3. *hiſt. de vit. Conſtant. cap.* 6. *& ſeqq.* De Conſtantini Legato apud Socrat. *lib.* 2. *cap.* 39. συμπαρῆν δὲ αὐτοῖς εἷς τῶν ἐν τοῖς βασιλικοῖς ἐκφανῶν, ὄνομα λεωνᾶς, ἐφ' οὗ προτεθεῖναι τὸ περὶ τῆς πίστεως ζήτημα, τὸ βασιλέως ἐκέλευε πρόσταγμα, *Aderat una cum illis Leonas quidam vir in Imperatoris palatio conſpicuus, ſub cujus præſentia quæſtionem de fide proponi Imperator edicto ſuo juſſerat.* & mox: *Prima die cum conveniſſent juſſit Leonas, ut unuſquiſque proponeret quod vellet.* De Juſtiniano Evagrius *lib.* 4. *hiſt. cap.* 38. Lambert. Schafnaburgenſis ad Ann. 963. *Magna Synodus facta eſt Romæ, cui Otto Imperator præſidebat cum multitudine magna epiſcoporum, Abbatum, Sacerdotum, clericorum, ac monachorum, ibique rejectus eſt Benedictus a Sede Apoſtolica.* Add. *can. nos ad diſt.* 96. Goldaſt. *Ration. ad to.* 1. *conſt. imper. p.*12.

Chro-

Chronic. Carion.in *vit. Martiani.* Sed poſtquam Papa paulatim vindicavit ſibi jus aut per ſe aut per Legatos præſidendi Conciliis, etſi tamen nec tum id ei paſſim conceſſum, mox etiam & convocandi, & diſſolvendi ſibi jus, ut & ſupra Concilium poteſtatem aſſeruit, & eo quidem confidentius, quod occupaſſet multos jam opinio errare Papam non poſſe. Sic a veteri humilitate, poſtquam ſemel ſucceſſit faſtus, paulatim deſcitum. Ipſi Papæ id olim faſſi ſpectare ad Cæſarem convocandi jus. Nunquam ipſi id olim auſi. Et tantum abeſt ut auſi. Precibus rem agebant, crebro Principem compellantes, imo genu interdum nixi, ut indiceret,fatigabant. Liberat. Diacon. *breviar. cap.* 12. *Leo &c. literis ſuis ad Theodoſium imperatorem & Pulcheriam Auguſtam petit, ut fieret intra Italiam, generale Concilium &c. Valentinianum autem imperatorem & Eudoxiam uxorem ejus, ad memoriam beati Petri, cum multis epiſcoporum, genibus provolutus Romanus Pontifex deprecatus eſt, ut imperatorem Theodoſium hortarentur aliam fieri Synodum, ad retractandum &c.* Sed poſtquam Papa deſcivit, poſtquam Cæſari ſe ſubtraxit, poſtquam vetuit quod debebat, tributum mitti Conſtantinopolim, decoro omni abjecto quidvis deinceps uſurpavit. Donec obviam tandem itum graſſanti inſaniæ, cum jam eo res deveniſſet, ut Papa haberetur velut Deus in terris. Subjecit Papam Concilio & ſubjectum pronuntiavit Concilium Conſtantienſe. Idem de Baſilienſi teſtantur Paralipomena ad Abbatem Urſpergenſem *p.* 297. Concluſum ſcilicet contra Papam, & quod Concilium ſupra ipſum,

& quod nec poſſit id indicere, niſi Princeps permittat, nec ſine ipſius conſenſu indictum diſſolvere. In qua ſententia etiam Æneas Sylvius, quamdiu nondum Papa Pius. Extant in Paralipomenis ad Abbatem Urſpergenſ. *p.* 316. literæ ipſius ſcriptæ ad Colonienſes Theologos, ubi ita, *Allatus namque ad nos eſt*, inquit, *tractatulus quidam veſter, quo imperitiam vel verius dicam temeritatem illorum arguitis, qui & ſubjectum generali Concilio Romanum Pontificem, & ſupremi judicii tribunal in eccleſia eſſe diffitentur &c.* Seſſiones in Conciliis, ut id obiter tantum addam, quod ſecreti a multitudine tractent Patres quæ tractanda & adhibitis Notariis, ſecretaria etiam dicta. Liberat. Diac. *breviar. cap.* 13. *Soluto primo conventu ſecundo ſecretario interloquentibus judicibus, ut cum omnium epiſcoporum deliberatione fides tractaretur &c.* Ibid. *Et ita quarto ſecretario peracto, quinta ſeſſione hoc actum eſt* & mox: *Sexto autem ſecretario adveniens Marcianus Imperator ad Concilium cum judicibus & ſacro ſenatu.* Idem *brev. cap.* 11. *Eutyches vero obtulit preces Imperatori queſtus de falſitate geſtorum quaſi aliqua a notariis ſuperaddita fuiſſent.*

Vid. infr. lib. 3. cap. pen.

TITULUS III.

DE

Conſtitutionibus Summorum Pontificum.

Quod Principi placuit habet legis vigorem, §. 6. *Inſt. de jur. nat. gent. & civ.* Atqui Papa etiam Princeps, ſuperiorem non agnoſcens, ne Imperato-

ratorem quidem ipſum. Jam olim dignitas ſacerdotalis credita Imperatoriæ non tantum par & æqualis, ſed in ſacris etiam ſuperior. Sozom. 2. *hiſt. eccleſ. cap. ult.* οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐπίσκοποι, ὡς καὶ τῆς ἱερωσύνης ὁμοτίμου τῆς βασιλείας οὔσης, μᾶλλον μὲν οὖν ἐν τοῖς ἱεροῖς τόποις καὶ τὰ πρῶτα ἐχούσης &c. *Quippe*, inquit, *cum ſacerdotalis dignitas imperatoriæ par, imo vero in ſacris locis etiam ſuperior ſit.* De Papa ergo non mirum. Papæ etiam majeſtas. Joann. Saresberienſ. ſcribens ad Adrianum Papam *epiſt.* 29. *Majeſtati veſtræ*, inquit, *quanta poſſum devotione tota mente pedibus veſtris proſtratus ſupplico.* Add. *epiſt. ſeq.* & paſſim. Arnulfus Lexovienſis epiſcopus ad Lucium Papam ſcribens apud d'Achery *to.* 5. *Spicil. miſc. epiſt.* 45. *Quidam*, inquit, *de Canonicis noſtris Lexovienſibus anno præterito de paucorum, non de univerſitatis conſcientia, ad Majeſtatem veſtram litteras pertulerunt.* Reges ei vectigales, & in fidem, in protectionem recepti ſub cenſu annuo. Urbanus Papa VIII. apud Galanum *hiſt. Armen. cap.* 12. *Roma vero Patria nationum, quam tanquam matrem Chriſtianitatis potentiſſimi Reges religioſis tributis venerantur.* & mox: *triumphalia Chriſtianæ obedientiæ tributa accipit a potentiſſimis Europæ Regibus, qui depoſito diademate Apoſtolicos Romani Pontificis pedes religioſis oſculis venerantur* Et quidni ei vectigales? Papa ipſe etiam Rex. Turcæ appellant *Rum beg*, *Rum ſchah*, id eſt, *Regem Romanorum.* Geograph. Nubienſ. *part.* 2. *clim.* 5. *In urbe Roma ſunt ædes Regis, Papa vocati. Nec eſt ſupra Papam ſuperioritas in dignitate, & Reges ſunt inferiores ipſo.* Refert in libro *de mi-*

rabilibus urbis Romæ Franciſcus Albertinus ad æreum Herculis ſimulachrum in foro boario repertam inſcriptionem hanc; SIXTO III. PONT. MAX. REGNANTE *aneum Herculis ſimulachrum &c. effoſſum &c.* Vetus eſt editio epiſtolarum Hieronymi: In fine tomi ſecundi inter cætera etiam hæc: *Euſebii Hieronymi doctoris eximii ſecundum epiſtolarum explicit volumen anno Chriſti* CIↃ. CCCC. LXVIII *.indictione prima, die vero* XIII. *menſis Decembris, Pontifice maximo Paulo regnante ſecundo &c.* Otto Friſingenſis *lib.* 2. *Chron. cap.* 34. de Alexandro Papa loquens, *Carolumque*, inquit, *Parmenſem epiſcopum, armata manu, ſedem Romanam occupare volentem conſtantiſſime repreſſit. Unde de ipſo in Palatio Lateranenſi ſcriptum reperi:*

Regnat Alexander, Carolus cadit, & ſuperatur

Regnum etiam corona quã Papa etitur, vulgo dicta, *cujus hodie licitantium opinionibus amplius centum & viginti milli-*

Nec Rex tantum Papa, ſed Rex etiam Regum, & Dominus Dominantium, Et recte, inquit, Papa Pius II. *pro Chriſti ſcilicet reverentia, cujus vices in terris gerit, lib.* 4 *comment.* Pro qua idem etiam nec compeſcuit ſatis impie acclamantes ſolenni pompa appropinquanti, *Attollite portas Principes veſtras, & introibit rex Pius dominus mundi.* Idem *lib.* 8. *comm.* Mundi autem, quod cenſus ad eum miſſus ex toto terrarum orbe, *Romſcot* vocabant Angli, *Denarium S. Petri, S. Petri eleemoſynam*, Angloſaxones *Romfeoh.* Matth. Paris in vita Offæ II. Merciorum regis: *Ab Apoſtolica conſuetudine, & reditu, qui Romſcot dicitur Anglice, denarius S. Petri Latine.* Matth. Weſtmonaſterienſ. ad Ann. DCCXXVII.

Sta-

Statutum eſt generali decreto per totum regnum Occidentalium Saxonum, in quo prædictus Ina regnabat, ut ſingulis annis de ſingulis familiis denarius unus, qui Anglice Romeſcot *appellatur, beato Petro & eccleſiæ Romanæ mitteretur.* Et hinc eſt quod queritur Adrianus Papa IV. quod Fredericus Imp. nomen ſuum Papæ nomini in literis præpoſuiſſet apud Goldaſt. *to.* I. *conſt. imp. Quapropter,* inquit, *dilecte in Domino Fili ſuper prudentiam tuam non mediocriter admiramur, quod beato Petro & ſanctæ Romanæ eccleſiæ, non quantam deberes, reverentiam exhibere videris. In literis enim ad nos miſſis nomen tuum noſtro præponis, in quo inſolentiæ ne dicam arrogantiæ notam incurris.* Hinc effuſæ in Papam terrarum opes, dum omnes, quicquid Papæ, revera Petro putant datum, ut per Papam ad Petrum expeditum haberent iter, & Petrus donis ineſcatus extinctis flammis Purgatorii cœlum facilis aperiret. Senſim ſic crevit Papa, ſenſim jactis fundamentis, & paulatim reverentia ejus impleto terrarum orbe. Sylverius Papa a Beliſario cum juſſu Juſtiniani eſſet pulſus in Lyciam Sylverio Pataram veniente, verba ſunt Liberati Diaconi *breviar. cap.* 22. *venerabilis epiſcopus civitatis ipſius venit ad imperatorem, & judicium Dei conteſtatus eſt de tantæ ſedis epiſcopi expulſione, multos eſſe dicens in hoc mundo reges; & non eſſe unum, ſicut ille Papa eſt, ſuper eccleſiam mundi totius a ſua ſede expulſus.* Papa Petri ſucceſſor. Et quid dico ſucceſſor. Petrus potius non Papa. Petrus facit, quod facit Papa. Idem Papa quod Petrus. Unde & Stephanus Papa cum eſſet

um eſt æſtimatio, ait Jacobus Picolominus Cardinalis Papienſis *lib. 2. comm.* Innocentius Papa III. *ſerm. 1. in feſto S. Sylveſtri: Romanus itaque Pontifex in ſignum Imperii utitur Regno, & in ſignum Pontificii utitur mitra.*

Græci Papam apud Coteler. 3. *monum. eccleſ. Gr. p.* 501. non Petri ſucceſſorem, ſed Petrum etiam ipſum & dicunt & credunt καὶ ὑπὲρ τὸν πέτρον θεοποιοῦσι σχεδὸν, *imo & ſupra Petrum Deum faciunt propemodum.*

a Longobardis obſeſſus ad Francorum Reges ſcribens & implorans eorum opem orditur ſtatim tam audacter: *Petrus vocatus Apoſtolus a Jeſu Chriſto Dei vivi filio &c. viris excellentiſſimis Pippino, Carolo, & Carolomanno tribus Regibus &c.* & mox: *Ego Petrus Apoſtolus dum a Chriſto, Dei vivi filio, vocatus ſum ſupernæ clementiæ arbitrio &c.* Vid. Franciſc. du Cheſne *to.* 3. *hiſt. p.* 705. *& ſeqq.* Alemann. *de pariet. Lateranenſ. cap.* 10. Nihil Cæſar ad Papam. Papa Deus in terris *can ſatis diſt.* 63. Solus orbis Imp. Monarcha abſolutus. Et cui ipſe Imperator etiam faſces ſubmittit *cap. inter corporalia ext. de tranſl. epiſcop. cap. quod ſicut ext. de elect. & el. pot.* A quo quicquid factum perinde eſt habendum ac ſi factum a Deo *c. quanto ext. de tranſl. epiſc.* Bald. *ad l. ult. C. ſent. reſc.* Felin. *ad c. ego ext. de jurer.* Dec. *ad c.* 1. *ext. de conſt.* Strauch. 1. *amœn.* 1. *c.* 17. Vaſallus Papæ Imperator juxta illud vulgatum:

Poſt homo fit Papa ſumit quo dante coronam

In throno Papa ſublimi. Cæſar contra ad ejus pedes. Auguſtin. Patricius deſcribens adventum Friderici III. Imperatoris ad Paulum Papam II. apud Mabillon. *Muſæ. Italic. p.* 260. *Altitudo*, inquit, *ſedis ita erat inſtituta, ut non altior eſſet locus, ubi ſederet Imperator, quam ubi Pontifex teneret pedes.* & mox *cap* 10. *Sedium autem ordo ita erat inſtitutus. ut Cardinalium ſubſellia Cæſaris ſcabellum altitudine æquarent, Cæſaris vero ſedes Pontificis throni ſcabellum.* Papa Cæſare tanto major, quanto maior Sol Luna eſt, *cap. omnes Prin-*

cipes, cap. ſolita ext. de major. & obed. De Urbano Papa V. Magn. Chron. Belg. *Habebaturque ſicut erat ſemi-Deus in terris.* Quaſi *Deum quendam viſibilem & viſibile quoddam Numen* vocat Papam in Panegyr. Ludovicus Gomeſius. Et ſic vulgo Canoniſtæ, Felin. *add. cap. ego ext. de jurej.* Sic Tuſcus Cardinalis, Papa, inquit, *in temporalibus eccleſiæ Romanæ eſt Imperator & ſupra imperium,* Siquis non credat detrudendus in infernum, ut infamis hæreticus. Gobelin. Perſona *Coſmodrom. ætat. 6. cap. 60. Eo tempore quo Fridericus ſuſcepit coronam imperii, quidam Schiſmaticus in urbe fuit, qui dixit regnum ſacerdotio præferendum. Quare ab exercitu comprehenſus Papæ præſentatur, & poſt audientiam igni ſententialiter adjudicatus flammis conſumitur, & cinis projectus eſt.* Papa ergo quod juſſit, quod decrevit, quod ſtatuit, æque habet juris vim, ac quod Princeps potentiſſimus. Nec quod ad ſecularia id in controverſiam quiſquam trahit. Ad res fidei etiam & Papa & Pontificii id extendunt, verbis Chriſti abutentes, *Paſce oves meas, & confirma fratres tuos.* Sed nihil verba hæc ad Papam. Papa Princeps ſecularis, qualis Petrus non fuit. Non magis certe hæc ad Papam, quam ad ceteros Antiſtites. Nec minus ceteri quam Papa beati Petri vicarii. Ambroſii locus inſignis eſt de dignitate ſacerdotali *cap. 11. Et cum tertio fuiſſet interrogatus & trina reſponſione fuiſſet ſecutus, repetitum eſt a Domino tertio. Paſce oves meas. Quas oves & quem gregem, non ſolum tunc beatus ſuſcepit Petrus, ſed etiam nobiſcum eas ſuſcepit, & cum illo*

 nos

nos ſuſcepimus omnes. Caroli Magni Capitular. *lib.* 5. *cap.* 163. *Quod ex verbis Domini facile intelligi poteſt, quibus beato Petro, cujus vicem epiſcopi gerunt, ait, Quodcunque ligaveris &c.* Vid. Baluz. *ad Lupi Ferrarienſ. epiſt.* 84. Papa ſi ut jactat ſolus Petri ſucceſſor, paſcat ergo, ut pavit Petrus, juxta Petri doctrinam, juxta Chriſti, & Apoſtolorum, nec extollat ſe ſuper fratres. An non Chriſtus expreſſe? *Reges gentium dominantur iis, vos autem non ſic.*

TITULUS IV.

DE

Veterum Patrum Sententiis.

Non procedet, ſiquis dicat, Si habent Canones juris vim, quod ſanctorum ſint Patrum, quidni & Decretales? Papæ enim non tantum Sancti, verum etiam Sanctiſſimi. Bellarm. *cap.* 31. *de Rom. Pontif. l.* 2. *to.* 1. Petr. Gregor. *ſyntagm. jur. lib.* 15. *cap.* 2. De quo titulo Henricus Kalteiſen ex familia S. Dominici tres dies dicitur peroraſſe in Concilio Baſilienſi *to.* 4. *Concil. part.* 1. *p.* 339. *&* 367. Lex dicitur, non quicquid Sanctus, ſed quicquid Princeps pronunciavit, *l. ult. C. de leg. l.* 2. §. 21. *C. de vet. jur. enucl.* Imo nec quidquid Princeps. Quo animo pronuntiatum neceſſe eſt prius conſtet. Et quod ad Canones, non habent vim, niſi quam vel Verbum Dei vel Princeps conceſſit. Vetus

tus Principum illud jus. Ex epiſtola ſynodica Concilii Conſtantinopolitani primi ad Theodoſium Imperatorem; ἀναγκαίως ϰ̀ τὰ γεγενημένα κατὰ τὴν ἁγίαν σύνοδον πρὸς τὴν σὴν εὐσέβειαν ἀναφέρομεν &c. *neceſſario quoque ea quæ acta ſunt in S. Concilio ad tuam referimus pietatem &c. Præterea etiam ad recte conſtituendum & ordinandum ſtatum & diſciplinam eccleſiarum certos canones ſtatuimus, quæ omnia huic noſtro ſcripto ſubjecimus. Rogamus igitur tuam clementiam, ut per literas quoque tuæ pietatis ratum habeatur Concilii decretum, ut ſicuti literis, quibus nos convocaſti, eccleſiam honore proſecutus es, ita etiam finem eorum, quæ decreta ſunt, obſignes.* Martianus in edicto de confirmatione geſtorum Chalcedonenſis Concilii, ἱερῷ τῆς ἡμετέρας ἡμερότητος διατάγματι τὴν ἁγίαν βεβαιώσαντες σύνοδον, *ſacro noſtræ Serenitatis edicto ſanctam ſynodum confirmantes &c.* Sic & voluit Juſtinianus, ut legum haberent vim, & pleniſſimam legum vim, quatuor Canones Conciliorum, Nicæni, Conſtantinopolitani, Chalcedonenſis, & Epheſini, *nov.* 131. *cap.* 1. Et hactenus demum verum, quod nec Canones dedignentur ſtatuta Principum ſequi, nec viciſſim ſtatuta Principum ſacros Canones imitari, *nov.* 6. *cap.* 1. *cap.* 1. *ext. de nov. op. nunt.* Fachin. 1. *controv.* *cap.* 13. Sancti vulgo vocantur Patres, quorum fides & doctrina doctrinæ Apoſtolicæ exiſtimatur conveniens. Pontificii comparant eorum dicta reſponſis Prudentum, & in negotiis adhibent, quæ nec Conciliis deciſa, nec decretis Pontificum. Rectius Reformati. Non agnoſcunt, niſi quatenus

nus cum Verbo Dei concordant. Ex Græcis primus Theodoretus dicta hæc exſcripſit circa annum CCCCLI. ex Latinis Regino Abbas libro, qui adhuc extat, *de eccleſiaſt. diſcipl.* eumque deinceps ſecuti Burchardus, Ivo, Gratianus. Nec neglectum a Gratiano jus civile, aut omiſſum, ſed ex eo etiam ſuo operi, ex Francorum etiam capitulis, quæ & Leo Papa IV. expreſſe obſervari vult *c. de capitulis diſt.* 10. adſcripſit non pauca. Et hinc Photii Nomocanon, in quem leges & canones invicem convenientes, in unum corpus redegit. Jam ante eum id fecerat Joannes Scholaſtius, Antiochiæ primum Presbyter, dein pulſo Eutychio Patriarcha Conſtantinopolitanus Juſtiniano imperante. Nec is labor ignobilis. Strauch. 2. *amœn. jur. Can.* 1. *cap.* 3. Quod ad corpus, quo jam utimur, Pontificii diſtinguunt. In ſpiritualibus, & in iis, quæ ad animæ ſalutem attinent, omnino ajunt obſervandum. Contra in ſecularibus in terris quidem eccleſiæ, ſed non in terris Imperii, præſertim ſiqua ei Principis conſtitutio contraria. Marant. *de ord. jud. part.* 3. *n.* 73. *& ſeqq.* Rebuff. *ad conſt. reg. in procem. gloſſ.* 1. *in. fin.* Reſp. Ultraj. 2. *conſ.* 155. *n.* 39. Nos autem nec in iis, quæ ad animam noſtram attinent, ſi verbo Dei id repugnet, attendendum putamus.

TITULUS V.

De

Jure non ſcripto.

DUplex dixi jus Canonicum, Scriptum & non Scriptum. Phot. *Nomocan.* tit. 1. & *ib.* Balſam. *cap.* 3. Ad non ſcriptum duo pertinent Traditio & Conſuetudo *can.* 8. *diſt.* 11. Traditio eſt regula, quæ non ſcripta, ſed quæ tradita univerſam per eccleſiam ſe diffundit, & toto orbe cuſtoditur, ut ait Auguſtinus *epiſt.* 118. *& ſeq.* Conſuetudo aut generalis eſt & totius eccleſiæ, aut ſpecialis, & quæ tantum hanc aut illam concernit. Conſuetudo ut ſervetur neceſſe eſt tria hæc concurrant: ut nitatur ratione *l.* 39. *ff. de legib. nov.* 134. *cap.* 1. *in fin.* ut uſu temporis diuturni, *l.* 33. *ff. de legib.* ut nec fidem, nec ſacros canones, nec bonos mores impugnet, *l.* 2. *C. Q. ſit long. conſ.* Molin. *ad conſ. Pariſ.* 1. §. 27. *n.* 3. Corruptela eſt alioquin. *Si conſuetudinem allegas*, ait Clemens Papa IV. apud Alteſerr. *de Ducib. & Comit. cap.* 4. *te & prædeceſſores tuos accuſas potius quam excuſas, cum perverſæ conſuetudines dici debeant corruptelæ.* Quodnam tempus diuturnum neceſſe eſt judex diſpiciat. Cujac. 20. *obſ. cap.* 1. Haud dubie quod annorum XXX. aut XL. *cap. Abbati* 25. *ext. de verb. ſign. Olitana* hæc conſuetudo. Et ſic paſſim vocatur. Caroli Calvi Capitula *tit.* 30. *Quia, ſicut dicit S. Gregorius, & ex conſuetudine olitana cognoſcitis.*

Hadrianus I. *epiſt.* 80. *Secundum olitanam patrum traditionem.* Idem *epiſt.* 85. *olitana conſuetudo proclamatur.* Epiſtola Formoſi Papæ ad epiſcopos Angliæ apud Spelmannum: *ab olitanis temporibus notiſſimum eſt. Olitana* tempora apud Anaſtaſium in vita Paſchalis primi. *Olitana* autem ab *olim.* Conring. *de conſt. epiſc. Germ. n.* 36. Frequentiam actuum non excludo. Sub uſu hæc continetur. Et ſcripturam quod attinet, in tacito utentium conſenſu ſubſtantia conſuetudinis, non in literis conſiſtit. Quod ſi literis mandetur, dicemus idem de conſuetudine, quod dicitur de hypotheca *l.* 4. *ff. de fid. inſtrum. l.* 4. *ff. de pign. & hyp.* Pyrrh. *procem. ad conſ. Aurelian.* Chaſſ. *procem. ad conſ. Burg. verb. in ſcripturam redacta.* Quod ſi dubitetur an conſuetudo neç ne, neceſſe eſt, teſtes adducantur. Duo aut tres non ſufficiunt. Turba teſtium requiritur. Imb. 1. *Inſt. for.* 43. Radelant. *deciſ.* 31. Turbam autem efficiunt minimum decem aut quindecim, *l.* 4. §. 2. & 3. *ff. de vi bon. rapt.* Papon. 18. *tit.* 6. *arr.* 28. Standum etiam hac in parte magiſtratus judicio. Si juret civitas hoc aut illud aviti juris ſui eſſe, habenda etiam ei fides. Rev. *hiſt. Dav. lib.* 4. *p.* 434. Habenda etiam ſimiliter ſi clerus juret, ſi eccleſia. Fidem habuit Dux Wilhelmus, qui VI. ejus nominis, cum Fredericus van Blankenheim epiſcopus Trajectenſis cum VII. ſtolis juraſſet Dominium de Haeſtrecht & Dominium de Hageſteyn ad diœceſin pertinere. Heda *in ejus vit.* Carolus IV. apud Hedam *hiſt. Ultraj. p.* 279. *Quod ſupradictus epiſcopus & ſucceſſores ſui*

in

in perpetuum poſſeſſiones , bona , & jura quacunque , quas vel qua ipſi ad ſe vel eccleſias aſſerunt pertinere , ſi ſuper eiſdem ipſis quaſtio aut controverſia aliqua moveatur , epiſcopus , qui pro tempore fuerit , cum ſeptem Pralatis aut Canonicis eccleſiarum ſuarum Trajectenſium , eaſdem poſſeſſiones , bona , & jura propriis juramentis valeat obtinere , ſecundum quod ſui pradeceſſores per conſuetudinem hactenus introduxerunt &c. Advocati hic nullæ partes , etſi celebris Advocatus , etſi praxi immerſus. *arg. l. 9. §. 1. C. de teſtib.* Quod ad vim conſuetudinis, vim habet ſatis magnam , nec minorem , quam lex, *l. diuturna 33. ff. de legib.* Nam & legem tollit , quæ prior eſt , *l. 32. §. 1. ff. eod. §. pen. Inſt. de jur. nat. gent. & civ.* & ſublata ab ea lex vim, quam habuit, non recipit , niſi forte eam Princeps expreſſis verbis reſtituat , ut exempli cauſa apud Plinium Imperator Trajanus *lib. 10. epiſt.* 116. *Merito haſiſti , Secunde clariſſime , quid a te reſcribi oporteret cenſoribus conſulentibus , an legerent in Senatum aliarum civitatum , ejuſdem tamen provincia cives. Nam & legis autoritas , & longa conſuetudo uſurpata contra legem, in diverſum movere te potuit. Mihi hoc temperamentum ejus placuit , ut ex praterito nihil novaremus , ſed manerent , quamvis contra legem , adſciti quarumcunque civitatum cives , in futurum autem lex Pompeja obſervaretur : cujus vim ſi retro quoque velimus cuſtodire , multa neceſſe eſt perturbari,*

T I-

TITULUS VI.
DE
Jure Perſonarum.

Ut juris civilis ſic & juris Canonici objecta ſunt tria, Perſonæ, Res, & Actiones. Diviſio perſonarum non una eſt, ut notum. Sunt vel ſervi vel liberi; vel ingenui, vel libertini; vel cives vel peregrini; vel mares vel fœminæ; vel ſpurii vel legitimi; vel ſui vel alieni juris; vel clerici vel laici. Etiam jus Canonicum adhuc ſervos agnoſcit, ut patet *t. tit. de ſerv. non ord. t. tit. de conj. ſerv. t. tit. de nat. ex lib. ventr.* Nec ſervitus niſi ſero, etiam apud Chriſtianos, ab uſu receſſit. Quando autem incertum. Bodin. 1. *de republ. cap.* 5. Agnoſcit etiam adſcriptitios. Ciron. *obſerv. jur. can. lib.* 2. *cap.* 10. Sed horum varia conditio. Quorundam tam dura, ut ſervi potius quam liberi, *l.* 24. *pr. C. de agric. & cenſ.* Quorundam autem tam facilis, ut liberi potius quam ſervi *l.* 6. *l.* 18. *l. cum ſatis* 28. *C. de agricol. & cenſ. l.* 1. *l.* 11. *C. de muri-leg.* Alſcriptitii, qui a domino ita agris adſcripti, ut ſine ipſius conſenſu non poſſint de iis diſcedere. Notabilis eſt locus in Caroli Calvi Capitulis *tit.* 31. *cap.* 31. ubi & de nuptiis, quæ cum alterius terræ adſcriptitiis interdictæ iis, ita: *Si autem de iſtis partibus in illis partibus fœmina maritum, aut maritus fœminam accepit, illud conjugium, quia non eſt legale, neque legitimum, ſicut*

Leo

Leo in ſuis decretis & S. Gregorius in ſuis epiſtolis monſtrant, diſſolvatur, & cujus fuerit vir vel fœmina, mancipium ſuum quæque poteſtas recipiat, & ſuæ poteſtatis homini conjungere faciat. Unde & agri velut pars & quaſi quædam acceſſio *l.* 112. *pr. ff. de leg.* 1. *l.* 2. *C. de agric. & cenſ.* Nec prius, quam manumiſſi, ſervitium illud ceſſat. Unde & eleganter in lege Longobardorum *tit.* 35. *Ducant eum in quadrivium, & dicant ſic : de quatuor viis, ubi volueris ambulare, liberam habeas poteſtatem.* Vetus formula apud Bignonium : *Nec mihi nec ulli heredum meorum impendas ſervitium, hominium, libertaticum, nec ullum obſequium, aut patronaticum, ſed eas partem quam volueris.* Ciron. 2. *obſ. jur. Canon. cap.* 10.

Inter cives Romanos & peregrinos diſcrimen, & diſcrimen olim ingens, ſed id negligit jus Canonicum. Flocci habita lapſu temporis civitas, quæ olim tanti; Salviani jam tempore, qui vixit cum imperaret Anaſtaſius Imperator, in contemptum adducta. Ita enim Salvianus *lib.* 5. *de gubern. Dei. Nomen civium Romanorum aliquando non ſolum magno æſtimatum, ſed magno emptum, nunc ultro repudiatur ac fugitur; nec vile tantum, ſed etiam abominabile pene habetur.* Circa ſpurios jus Canonicum fere nihil mutavit. Nam & ſpurios niſi raro & ex ſpeciali demum beneficio ad dignitates admittit. Unde & paſſim prohibentur in Statutis eccleſiarum in Canonicos recipi. Quotquot autem non nati ex juſtis nuptiis jam ſpurii. Philippi Burgundi ſpurius erat David Burgundus. Ad preces ejus factus epiſ-

co-

copus Trajectenſis, ſed non prius in poſſeſſionem mitti creditus ſatis juſte, quam diſpenſaſſet cum eo Papa, reſcripto Papæ eo nomine Philippi ſumptu petito, ut cautio hæc argumento: *Philips &c. doen kont allen luden, dat om ſeker redelike ſaken ons daer toe porrende hebben geloeft, ende geloven in goeden trouwen by deſen brieve, den vyf Godshuyſen van Utrecht alle mogelike ernſtichede te doene ende te procureren per effectum op onſen coſt an onſen Heyligen Vader den Paus, te hebben ende te vercrigen ſyn brieven ende bullen Apoſtolique, by welcken hy conſenteren ſal, dat die proviſie ende promoty by hem gedaen van den Biſdom van Utrecht ten behoeff ende profyt van den Eerwaerdigen Vader in Gode onſen lieven ende getruwen Raet Heren David van Bourgoengen Biſſcop t'Utrecht, ende oec dat ontfangen, dat die van den voerſz. vyf Godshuyſen gedaen hebben van ſynen perſoon niet keren noch weſen ſal in toekomende tyden in hinder oft prejudicie der privilegien van der kerken t'Utrecht, in alſo verren als men ſeggen wilt den voerſz. Heren David onecht geboren te weſen, ende niet van rechtveerdigen bedde. Welcke brieve ende bulle Apoſtolicque, na dat ſy vercregen ſullen weſen, wy ſullen doen geven ende overleveren den voerſz. van den vyf Godshuyſen van Utrecht, ons wedergevende of ons gemachtichde deſe voirſz. brieve, om die te raſeren ende te canſeleren, als voldaen ende gequyt weſende. In oerconde deſen onſen brieve ende onſen ſegel daer aen gehangen. Gegheven &c.*

Quod ad mares & fœminas non prorſus Canones ſic diſtinguunt, ut diſtinguebant Romani. Arcet fœminas jus Romanum ab omni digni-

gnitate, ab omni publico munere, *l.* 2. *ff. de reg. jur. l.* 1. §. 5. *ff. de poſtul. l.* 8. *ff. de ſenator.* Nec judices poſſunt eſſe, *l.* 12. §. 2. *ff. de jud.* nec poſſunt ex compromiſſo ſuſcipere arbitrium inter partes, *l. ult. C. de recept. arb.* Cujac. 13. *obſ.* 23. Waſſen. *pract. notar. cap.* 15. §. 17. Bugnyon. *de legib. abr.* 3. *ſat.* 19. Jus Canonicum uon item. Admittit ad Canonicatum. Jacob. de Vitriaco *hiſt. Occident. cap.* 31. *In partibus Hannonia & Brabantia, & in quibuſdam Teutonicorum & Alemannorum provinciis, quadam ſunt mulieres, quas Canonicas ſeu Domicellas appellant: non enim moniales nominari volunt, ſicut Canonici ſeculares monachi non dicuntur.* Et quid dico Canonicatum? Ad compromiſſum admittit *c. dilecti ext. de arbitr.* ad munus judicandi, ad magiſtratum admittit, *d. cap.* Etiam fœminis juriſdictio. Etiam merum imperium. Et nihil notius quam quod id habuit Abbatiſſa Rynsburgi. Chartam habeo nondum viſam Ann. 1480. cujus hoc eſt initium: *Maximiliaen ende Marie by der gratie Gods Hertogen van Ooſtenryck &c. Wy hebben ontfaen die ootmoedige ſupplicatie van onſe wel geminde in Gode die Abdiſſe van Rhynsburch mit heuren Convente &c. inhoudende hoe deſelve Suppliante als hooge, middele, ende lage juſtitie hebbende &c.* Aliam etiam habeo Ann. 1454. *Philips by der gratien Gods Hertoge van Bourgoengen, van Lothryck, &c. Want onſe lieve getrouwe Ridder, Raedt, ende Camerlingh die Heer van Lannoy onſe Stadhouder mit anderen van onſen Rade in Hollant gehaelt ende gevangen genomen hebben binnen der Heerliebeyt van Rynsburch*

burch enen man, die aldaer op dat Kerckhof geweken was, overmits dat hy die onnoemelycke ſonde gedaen hadde, 't welck die Eerweerdige in Gode die Abdiſſe van Rynsburch mit heuren Convente, alſo haer die hooge Heerlicheyt ende juſtitie van Rynsburch toebehoort, ten verſoecke ende begeerte van onſen voerſz. Stadthouder ende Raedt in onſen name aen haer gedaen, gehenget ende belieft heeft, Soo iſt dat wy bekennen ende oock mits deſen onſen brieve de voerſz. Abdiſſe ende Convente gelooft hebben, ende geloven, dat deſe ſake ende vanginge haer in toekomenden tyden geen prejudicie noch achterdeel dragen noch weſen en ſal in hoeren rechte van hoere hooger Heerlicheyt ende juſtitie &c. Nec eſt, quod quis putet ſingulare id in Abbatiſſis. Illuſtribus etiam fœminis, & quæ majora habent feuda, jurisdictio data poteſtaſque. Io. Tilius *comment. rer. Gallic. cap. de Parib. Franc.* Elegans de iis epiſtola Ludovici Francorum Regis apud du-Cheſne *to.* 4. *hiſt.* digna, quæ inſeratur hic: *Ludovicus Dei gratia Francorum Rex cariſſimæ ſuæ illuſtri Dominæ E. de Narbona ſalutem. Sicut nobis commendavit dilectio tua per commendabiles nuntios Abbatem S. Pauli & Petrum Raimundi, apud vos deciduntur negotia legibus Imperatorum; in quibus cautum eſt, ne fœminis permittatur judicandi poteſtas. Benignior longe eſt conſuetudo Regni noſtri, ubi ſi melior ſexus defuerit, mulieribus ſuccedere & hereditatem adminiſtrare conceditur. Memento itaque, quia de Regno noſtro es, & nos volumus, ut Regni noſtri uſum teneas: & quamvis Imperio vicina ſis, in hac parte eorum conſuetudini & legibus non acquieſcas. Sedeas ergo ad cognitionem cauſarum diligen-*

ter

ter negotia examinans, zelo illius, qui te fœminam creavit, cum potuerit virum, & ſua benignitate in manu fœminæ dedit regnum Narbonenſis Provinciæ, & propter hoc quod fœmina noſtra auctoritate nulli perſonæ liceat a tua juriſdictione declinare. Vale. Add. Alteſerr. *ad d. cap. dilecti.*

Sed ne longior ſim quam oportet ſumma & præcipua, & quam maxime attendit jus Canonicum, perſonarum diviſio eſt, quod homines alii ſunt clerici, alii laici.

TITULUS VII.

DE

Clericis & Laicis.

Clerici, qui divinis officiis deputati. Laici, λαικοὶ, qui de plebe, de populo. Λαὸς enim populus, *can. duo ſunt* 12. *qu.* 1. Diſtincti invicem in eccleſiis & ſecreti cancellis. Altarium, chorus, erat cleri. Plebs capſum occupabat. Capſum media pars templi. Quæ a formæ ſtructura etiam Navis, Mediana. Gregor. Turonenſ. *lib.* 6. *hiſt. cap.* 11. *Dum diverſa inter ſe ſuper altarium conferunt, recedentes ab altario Salutatorium ingrediuntur.* Idem *lib.* 2. *hiſt. cap.* 14. *Oſtia octo: tria in altario, quinque in capſo.* Add. eund. *lib.* 7. *hiſt. c.* 22. *&* 8. *hiſt.* 21. & Alteſerr. *ad eund.* 7. *hiſt.* 71. Cancelli καγκελοθυρίσι ſeu portulis erant pervii. Sed & hæ & ſpatia cancellorum, quatenus patebant oculis, contecta erant velis. Unde & *velothyra*, βηλόθυρα. Poſſin. *gloſſ.* 1. *ad* Pa-

 chym.

chym. *p.* 420. *&* *ſeq.* Du Cange *gloſſ. Græc. barb. in* Βηλόθυρον.

Clerici a verbo κλῆρος, id eſt, ſors & hereditas, ac ſi propria Dei * ſors, *ſors lecta Dei*, ut eſt apud Anonymum. Etiam † *montes* idcirco dicti, quod cœlo inprimis proximi. Unde & illud Fortunati de Gregorio Turonenſi:

Alpibus Arvernis rediit mons altior ipſis.

Item illud Sidonii:

——— *quantos illa inſula plana*
Miſerit in cœlum montes.

Ea cleri exiſtimatio, cum tamen nihil certius, quam quod fideles quotquot ſunt Dei ſors ſunt & hereditas 1. *Petr. c.* 5. ℣. 3. omnes Dei ſacerdotes 1. *Petr.* 2. v. 9. συγκληρονόμοι τοῦ χριστοῦ. Etſi vetus diſtinctio hæc, quod alii clerici, qui ſpeciatim divino cultui mancipati, *l.* 2. *C. Th. de epiſc. & cler.* τῆς διακονίας, ut ajunt Græci, alii qui adſciti εἰς τὴν μερίδα τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτὶ, *in partem ſortis Sanctorum*, ut Paulus ad Coloſſenſes *cap.* 1. *verſ.* 12. Unde eccleſia inſtar navis, in qua laici ut vectores, Presbyteri & ceteri, ut qui navem gubernant. Fr. Florens *ad tit. de vit. & hon. cleric. pr.* Ut autem non omnes, qui in navi, fiunt ſalvi, ſic nec omnes fiunt ſalvi, qui eccleſiam conſtituunt, ne qui de clero quidem omnes, ut recte Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis. Nec neceſſe ut multitudo hic.

Ad

* Libellus de geſtis Abbatum Gemblacenſium *to.* 6. *Spicil. pr. Vixit in clericalis ordinis habitu quam potuit laudabilius, ſed quia ipſe Dominus pars hereditatis eſt clericis, ſecundum nomen ſuum in ſortem Domini electus ambiebat ſagaciter, ut funes hereditatis caderent ſibi in præclaris.*

† Potentes ſeculi in ſacris paginis interdum dicuntur *montes*, & qui de plebe etiam *colles*, ut obſervat Auguſtin. ad *Pſal.* LV. & 71. *Suſcipiunt montes pacem populo, & per eos ſuſcipiunt colles juſtitiam.*

Ad eccleſiam conſtituendam etiam pauci ſufficiunt. Et ut vectores, ſi uſus ſit, regunt interdum navem, ſic eccleſiam interdum laici. Ubi tres ſunt quamvis laici, ibi etiam eccleſia, ut ait Tertullianus *cap.* 7. *de exhort.* Et certum quod ubi tres, quicunque tandem ſint, in Chriſti nomine, ibi Chriſtus, *Matth.* 18. *verſ.* 20. Naſcuntur laici. Fiunt clerici. Ex laicis nimirum clerici. Et id fieri ex accidenti ait Jo. Gall. *qu.* 30. Quod ad curam animarum ſubjecti clericis laici. Cæſares etiam ipſi, Reges, Principes, Magiſtratus. Unde & hactenus parochiani etiam Rex & Regina apud Eadmer. *lib.* 6. *hiſt. pr. Comprobatum ab aliis eſt magis ad Archiepiſcopum Cantuarienſem id pertinere, ea ratione, quod Rex & Regina ſpeciales ac domeſtici Parochiani ſunt ipſius &c.* Quod ad juriſdictionem, imperium, obedientiam, ſubjecti laicis clerici, ut *epiſt. ad Rom. cap.* 13. 1. *Petr.* 2. *verſ.* 13. Prælati olim ipſi juſſu Principis conſtituti. Et electi ad ejus nutum, & tranſlati, remoti. Liberat. Diacon. *breviar. cap.* 20. *Ea tempeſtate mortuo Epiphanio Conſtantinopolitano epiſcopo, Theodora Auguſta Anthimum tranſtulit in eandem ſedem, qui fuit epiſcopus civitatis Trapezuntis.* * Et quid notius quam quod de rebus eccleſiaſticis etiam Princeps cognoſcat? quod clero præſcribat leges, quod tributum im-

* Idem *cap.* 21. *Anthimus vero videns ſe ſede pulſum, pallium, quod habuit, imperatoribus reddidit, & diſceſſit.* Vita S. Lietberti epiſcopi Cameracenſis apud d'Achery *to.* 9. *Spicil. cap.* 11. *ut eodem die Regali nec non imperiali liberalitate Levita magnificus Lietbertus obtineret Pontificalis electionis Regalem prærogativam &c.* Add. *ibid. cap.* 13.

ponat? An non Chriſtus expreſſe, cum eſſet de eo ſermo, reddi Cæſari juſſit, quæ ſunt Cæſaris. *Matth*, 22. *verſ.* 21. Et quo quæſo alioquin Caroli Magni Capitula? Vid. Goldaſt. Rational. *ad to.* 1. *conſt. imper. pag.* 14. *in fin.*

Clerici porro, qui & alibi, quod eccleſiis ſerviant, eccleſiaſtici, *l.* 104. *C. Th. de decur. l.* 29. *C. eod. de epiſc. & cler.* generaliter dicuntur omnes, qui miniſtri eccleſiarum ſunt, ut Sulpit. Sever. *lib.* 1. *hiſt.* qui *divino cultui miniſterium religionis impendunt*, ut in *l.* 2. *C. Th. eod.* Majores alii, * alii minores, ſacrati & non ſacrati, Seculares & Regulares. Et hi vulgo eorum gradus. Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Exorciſtæ, Lectores, Oſtiarii. Caroli Magn. Capitularia *lib.* 5. *cap.* 302. *Fecit hos gradus in gremio ſynodi, ut non presbyter adverſus epiſcopum, non diaconus adverſus presbyterum, non ſubdiaconus adverſus diaconum, non acolythus adverſus ſubdiaconum, non exorciſta adverſus acolythum, nec lector adverſus exorciſtam, non oſtiarius adverſus lectorem accuſationem det aliquam.* Ziegler. *de dot. eccleſ. cap.* 7. *n.* 27. Sub epiſcopis complector etiam Summos Pontifices. Complector Patriarchas, Archiepiſcopos, Primates, Archidiaconos, Subdiaconos, ſub Lectore Cantores, Succentores &c. Add. Sidon. Apollin. *lib.* 4. *epiſt.* 24. Ex his epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi dicuntur in gradu. Reliqui in miniſterio. Fr. de Roye *Inſtit. jur. Can. lib.* 1. *tit.* 9. Primi ordinis epiſcopi, ſecundi Presbyteri. Secundi ordinis ſacerdotem vocat S. Wig-

* Greg. Turonenſ. *lib.* 5. *hiſt. cap.* 49. *Majores clericos muneribus ditat, largitur vineas, prata diſtribuit, minores vero fuſtibus plagiſque multis etiam propria manu affecit.* Alteſerr. ad *cap. illud in Domino ext, de major. & obed.* Boſſuet. *ad Innocent. ep.* 136.

S. Wigberchtum Lupus Ferrarienſis in vita ejus *cap.* 5. Sidon. Apollin. *lib.* 4. *epiſt.* 11.

Antiſtes fuit ordine in ſecundo
Fratrem faſce levans epiſcopali.

Alteſerr. 1. *diſſ. jur. Can. cap. ult.* Pro ſubjecta autem materia vox clerici debet accipi. Speciatim dicuntur clerici miniſtri tantùm eccleſiæ, ut Acolythi, Oſtiarii *l.* 7. *C. Th. de epiſc. & cler.* Optat. Milevit. *lib.* 1. *contr. Parmenian.* Speciatim Canonici. Et quod peritia literarum ſoli clerici olim cenſi interdum etiam, quamvis laici, viri docti & eruditi, paſſim clerici etiam dicti, *cap. pen. ext. de cler. conj.* Guilielm. Neubrigenſ. *lib.* 4. *rer. Angl. Laici eſtis*, inquit, *ſi non poteſtis intelligere vim verbi.* Et hinc eſt quod Accurſius ad *l.* 6. *pr. ff. de offic. proc.* Proconſulem cum ſit laicus, id eſt, indoctus, imperitus, uti debere ait conſilio Prudentum. Hinc & Belgica lingua *laica* in charta Ann. 1387. *vulgarium & laicalium* in charta Ann. 1411. Latina eſt doctorum, quam quod infimo eam loco, quem Judæis honoratiorem ait, Crucis titulus continuit *Joh.* 19. *verſ.* 20. & Græcæ præfert & Hebraicæ Cardinalis Baronius *to.* 1. *Annal. ad Ann.* XXXIV. *n.* 119. ſibi ipſi contrarius ad *Ann.* 16. *n.* 8. *to.* 1. *Annal.* Sed plane id ineptum. Non infimus olim locus *Luc.* 14. *verſ.* 3. *& ſeqq.* ſed dexter honoratior. Honoratior Romanis, Judæis, Afris, aliiſque, *Geneſ. cap.* 48. *verſ.* 13, *& ſeq. & verſ.* 17. *& ſeqq.* 1. *Reg.* 2. *verſ.* 19. *Pſal.* 109. *ad Coloſſ.* 3. *pr. Matth.* 25. *verſ.* 33. Virgil. 6. *Æneid. verſ.* 537.

Hic locus eſt partes ubi ſe via findit in ambas,
Dextera, quæ Ditis magni ſub mœnia tendit,
Hac iter Elyſium nobis; at læva malorum
Exercet pœnas, & ad impia Tartara mittit.

Ovid. *lib.* 4. *metam.* de Perſeo:

Dis tribus ille focos totidem de ceſpite ponit.
Lævum Mercurio, dextrum tibi bellica virgo:
Ara Jovis media eſt, mactatur vacca Minervæ,
Alipedi vitulus, taurus tibi ſumme Deorum.

Salluſt. *in Iugurth. Sed Hiempſal, qui minimus ex illis erat, ignobilitatem Iugurthæ, quia materno genere impar erat, deſpiciens, dextra Adherbalem adſedit, ut medius ex tribus, quod & apud Numidas honori ducitur, Iugurtha foret. Dein tamen ut ætati concederet fatigatus a fratre vix in alteram partem tranſductus eſt.* Lipſ. 2. *elect.* 2. Caſaub. 9. *exerc.* 3. Difenb. *de mort. Henr.* VII. *ſect.* 1. §. 39. Hoſtienſ. Jo. Andr. & Panorm. *ad c. ſolitæ de major. & obed.* Bald. ad *l. decernimus C. de ſacr. eccleſ.* Turcis, fateor, ſiniſtra, & forſan Perſis honoratior. Busbeq. *epiſt.* 1. Cotovic. *itiner. lib.* 3. *cap.* 25. Tavernier *itiner. to.* 1. *lib.* 5. *cap.* 1. Sed nihil id ad Judæos. Nihil ad ceteros. Siniſtra ubique mali ominis, *Epheſ.* 1. *verſ.* 20. *Hebr.* 1. *verſ.* 3. & 10. Virgil.

Sæpe ſiniſtra cava prædixit ab ilice cornix.
Arboribuſque ſatiſque Notus pecorique ſiniſter.

Cicero. *Nemo me ſiniſtris ſermonibus carpit, neminem ipſe reprehendo, niſi unum me.* Bodin. *method. hiſt. cap.* 5. Nec neceſſe eſt, ut miremur, quod in cœtu eccleſiaſtico inter Archidiaconum, qui a dextris, & Chorepiſcopum, qui a ſiniſtris, epi-

epiſcopus aſſedit medius. Concil. Nicæn. Arabic. *can.* 57. *& ſeq.* Chorepiſcopus enim vilior, & Archidiacono & Decano in eccleſiis poſtpoſitus, ut jam olim oſtendi *lib.* 2. *de Nobilit. cap.* 40. Verum quidem, quod notant, quod in Bullis Pontificiis Paulus a dextra a læva Petrus expreſſus. Alteſerr. 1. *diſſ. jur. Can. cap.* 9. Sed forſan alia ejus ratio. Bullam enim ſi apprehendas, Petrum tenebit dextra, Paulum autem ſiniſtra. Et certe id honoratius, ſi dextra hominem apprehendas, quam ſi eum ſiniſtra, exemplo ſcilicet Patriarchæ, qui dextram quidem Ephraim, etſi is natu junior, Manaſſi lævam impoſuit. *Geneſ. d. cap.*

TITULUS VIII.

DE

Ordinatione clericorum.

Clerici non naſcuntur. Ordinantur, creantur. Et proprie quidem majores clerici, qui, ut ajunt, in gradu, ut epiſcopi, presbyteri, diaconi, ſubdiaconi, *l.* 24. *C. Th. de epiſc. & cler.* dicuntur ordinari. In miniſterio dicuntur reliqui, *l.* 41. *C. Th. eod.* & hi proprie non ordinantur, ſed benedictio tantum iis fit precibus interpoſitis, & facto crucis ſignaculo. Vid. Balſamon. ad *Nomocan. Photii.* Ut juſta ſit ordinatio requiruntur ſequentia: Ut fiat a Prælatis, quibus ea poteſtas. Ut fiat non clam, ſed publice in eccleſia, *can.* 3. *diſt.* 75. Cyprian. *epiſt.* 45. 52. & 68. Ut per manus impoſitionem, χειροτονίαν,

penditur. Alvarus Pelagius, qui epiſco pus Sylvenſis ſeculo XIV. opus ſcripſit inſigne *de planctu eccleſiæ lib. 2. art. 9. Pro pecuniis celebrant, corpus Chriſti pro pecunia vendunt, pro pecuniis conſecrant, & ordinant; pro pecunia omnia conferunt Sacramenta, Sacramenta emunt, Sacramenta vendunt, ſed gratiam non conferunt, quam non habent. Nihil datur gratis, nihil accipitur.* Add. Ziegler. *lib. 2. de epiſcop. cap. 5. n.* 86. *& ſeqq.*

Ut gradatim ordinatio, non per ſaltum procedat, & ſic ſcilicet, ut intercedat quoddam temporis intervallum. Niſi Presbyter primum fiat, epiſcopus nemo fit, & nec Presbyter quidem quiſquam, niſi primum Diaconus, *nov. 6. cap. 1. can. illud can. in ſingulis can. quicunque diſt.* 77. *c. monachos* 16. *qu.* 1. Gregor. Turonenſ. *lib.* 4. *hiſt. cap.* 6. *Nam & ipſos clericatus gradus canonica ſum ſemper inſtitutione ſortitus. Lector decem annis fui. Subdiaconatus officio quinque annis, Diaconatus vero quindecim annis mancipatus fui, Presbyterii autem jam honore viginti annis potior: quid enim mihi nunc reſtat, niſi ut epiſcopatum, quem fidelis ſervitus promeretur, accipiam.* Ivo Carnotenſ. *epiſt.* 185. *&* 224. Cyrill. Scythopolit. *in vit. S. Sabæ cap.* 75. Balſamo *conſt. eccleſ. lib.* 3. *tit.* 12. Fabrott. *ibid. lib.* 3. *tit.* 1. Alteſerr. *ad Anaſtaſ. Biblioth. in Cajo.* Luc. d'Achery *ad Lanfranc. epiſt.* 21.

Ut fiat ad certum titulum, ad munus certum, ad miniſterium. *can. Sanctorum diſt.* 70. Steph. Tornacenſ. *epiſt.* 12. Idem titulus quod eccleſia, quod templum, quod ara, *c. querelam ext. de*

elect. & el. pot. Sic *titulus Equitii* apud Anaſtaſ. Biblioth. in *Sylveſtr.* id eſt, templum ab eo conditum, & quod inſcriptum habebat ipſius nomen. Ekkeard. Junior *de orig. & caſib. monaſt. S. Gall. cap.* 1. *Circa Landelaum epiſcopum in titulo Apoſtolorum conditum, cognatum, & amicum ſuum, extra parietem tamen ſepeliri petiit.* Appendix *actor. vett. ad Baluz. Capitul. cap.* 5. *n.* 10. *Ad nos perlatum eſt eo quod quidam conjugati habentes titulos, in quibus deſerviunt &c.* Lupus Abbas Ferrarienſ. *epiſt.* 73. *Peto ut ad ſupplicationem Geraldi presbyteri Laudiaconum ejus propinquum in ipſius titulo dignemini ordinare.* Add. Chron, Reicherſperg. *ad Ann.* 1309. Salmaſ. *de mod. uſur. cap.* 15. Strauch, 1. *amœn.* 3. *cap.* 14. Idem etiam quod officium, quod munus eccleſiaſticum. Idem quod reditus unde victus comparatur. Ziegler. *lib.* 2. *de epiſcop. cap.* 9. *n.* 5. Facta ſine titulo ordinatio erat nulla. Admiſſa temporis progreſſu, modo tantum ordinator provideret ordinato, donec ei competens conferret beneficium, de neceſſariis alimentis *cap. epiſcopus cap. non liceat ext. de præbend. c. ſi pauper ext. de præb. in 6.* ne in cleri opprobrium alioquin cogeretur ſe conferre ad mendicandum. Strauch. 1. *amœn.* 2. *cap.* 25. *De neceſſariis* dico *alimentis.* Nam ſi ſatis in bonis ei, ſi ſatis ad exhibendum ſe, ne id quidem neceſſe erat. Facta enim ordinatio tum ad titulum patrimonii ſui, ut non male ait Gloſſa *ad d. cap.* Sic alius titulus eccleſiæ, alius patrimonii. Strauch. 1. *amœn.* 1, *cap.* 12. Numerus ſcilicet clericorum cum auctus eſſet in immen-

immenſum, qui habebant patrimonium eo uſi pro titulo. Idque invaluit, ut putant, circa tempus Alexandri Papæ Tertii, cujus *d. cap. epiſcopus.* Mox ſenſim definita etiam quantitas patrimonii. Definita pro opibus & qualitate regionum. In Friſia qui non habebant florenos annuos viginti, & de reditu illo non vendendo non præſtabant cautionem, ad ſacerdotium non admiſſi. Qua de re adhuc habeo documentum, quod addam hic:

Georgius de Egmunda Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia electus & confirmatus Trajectenſis notum facimus univerſis. Quod quia diligenti inquiſitione præmiſſa, & facta ſuper hoc noſtro in ſpiritualibus generali Vicario fide plenaria, dilectum nobis in Chriſto Gabrielem Takonis de Leovardia clericum noſtræ diœceſis uſque ad ſummam viginti florenorum auri antiquorum, monetæ Regis Franciæ & amplius, vel certum annuum reditum perpetuum, ſeu certas penſiones temporales quoad vixerit ſibi aſſignatas habere, idemque Gabriel coram nobis jurisjurandi religione ſe adſtrinxit reditus ſeu penſiones prædictas nullo unquam tempore ſe venditurum, reſignaturum, aut alio quovis modo dimiſſurum, vel alienaturum, niſi prius alios reditus & proventus ſpeciales dictam ſummam pecuniarum excedentes ſibi acquiſierit, nobis ſuper hoc prius debite & legitime certificatis de præmiſſis declaravimus & declaramus in his ſcriptis præfatum Gabrielem pro ſuæ vitæ ſuſtentatione reditum ſufficientem habere, quoad hoc quod poſſit, dummodo aliud canonicum non obſiſtat impedimentum, ſe facere ad omnes ordines ſacros legitime promoveri, Salvo nichilominus, quod manebit in vim ejuſdem juramen-

menti nobis & ſucceſſoribus noſtris epiſcopis Trajectenſibus fidelitate, reverentia, & obedientia perpetuo obſtrictus. Datum ſub ſecreto noſtro ad cauſas præſentibus appenſo, Anno Domini CIↃ. IↃ. XXXV. *die* XXI. *Maji. Spierinck ſubſcripſ.*

Georgius de Egmunda Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Electus & Confirmatus Trajectenſis, Quia nos prævia informatione ſufficienti certificati ſumus, quod redditus & bona, de quibus ſit mentio in literis, quibus hæ noſtræ præſentes literæ ſunt transfixæ, dilecto nobis in Chriſto Gabrieli Takonis de Leovardia firmiter ſunt aſſignati pro titulo patrimoniali cum interpoſitione juramenti de ipſis bonis & redditibus ab eo non auferendis, niſi ipſi de alio titulo patrimoniali aut beneficiali fuerit proviſum, decernimus & declaramus auctoritate noſtra ſtatuentes, quod interim redditus & bona antedicta ad præfatum Gabrielem & ejus adminiſtrationem pertinebunt ſine omni dolo & fraude, dummodo tamen ſe fecerit ad titulum eorundem bonorum & reddituum ad omnes ordines ſacros legitime promoveri. Datum ſub ſecreto noſtro ad cauſas præſentibus appenſo, Anno Domini CIↃ. IↃ. XXXV. *die* XXI. *Maji. Spierinck ſubſcripſ.*

Concilium Agathenſe, ex quo *can epiſcopus diſt.*

Sed nondum omnia adhuc dixi. Legitima etiam ætas in ordinando requiritur. Diaconus olim nemo, niſi annos natus XXV. Presbyter autem nemo, ut & nemo epiſcopus, niſi annos XXXV. *nov.* 123. *cap.* 1. §. 1. *& cap.* 13. Codex *can. eccleſ. Afric.* 77. ut & Neocæſarienſe apud Iuſtell. *Cod. can. eccleſ. univ. can.* 56. requirunt triginta. Nec plures Alexander Papa III. in *cap.* 7. *ext. de elect. & el. pot.* ut nec Imperator *nov.* 137. *cap.* 2. Quibus canones accedunt relati a Gratiano *c. ſiquis. & nemo diſt.* 38.

Afric. cap. 16. Vinc. Riccard. *ad vit. Procl. p.* 54. Phot. & ib. Balſam. *Nomocan. tit.* 1. *cap.* 28. Fabrot. ad Balſam. *tit. de epiſc. & cler.* Ut ſit frugi requiritur, ut juſto thoro natus *cap.* 6. *& ſeq. ext. de fil. presbyt.* ne ſervilis conditionis, ſed ut liber, ingenuus, *nov.* 123. *cap.* 4. *c. ſi-quis diſt.* 54. ut ſciat literas, ut ſit doctus *d. nov. cap.* 12. *nov.* 6. *cap.* 4. ut modeſtus, ut gravis, *d. nov. cap.* 4. *& cap.* 1. *d. nov. cap.* 12. *c. qui epiſcopus diſt.* 23. Ziegler. *lib.* 3. *de epiſcop. cap.* 15. *per tot.* ut in modum coronæ tonſos habeat capillos *c. cum contingat ext. de æt. & qual. ord.* Ziegler. *d. lib. cap.* 17. *per tot.* ut literas habeat dimiſſorias, ſi ordinandus ſit, qui jam clericus, ſed alterius diœceſis. Auguſtin. *epiſt.* 137.

Quod ad literas ſatis conſtat admiſſos & indoctos. Subſcriptio id etiam docet, quæ in Actis Concilii Epheſini hujuſmodi: *Helias epiſcopus Hadrianopolitanus definiens ſubſcr. per Romanum epiſcopum Myrorum eo quod neſciam literas.* Et alia in iiſdem: *Cajumas epiſcopus civitatis Phanaenſis def. ſubſcripſi per Coepiſcopum meum Dionyſium, propterea quod literas ignorem.* Sed non immerito deplorant hanc ſeculi ſui labem epiſcopi congregati in Concilio Valentino, *Et quia*, inquiunt, *indiſcuſſi & inexaminati, ſcientiaque literarum pene ignari, minuſque Apoſtolicæ præceptioni appropinquantes peccatis noſtris agentibus per civitates epiſcopi ordinantur &c.* Conqueſtus Juſtinianus inveniri etiam epiſcopos, qui nec ipſam vel ſanctæ oblationis vel ſancti baptiſmatis orationem tenerent *nov.* 137. *in fin. pr.* & ne ejuſmodi admitteren-

terentur deinceps vetuit expreſſe *cap. ult. d. nov.* Etſi aliqui ſint docti, ut Alphonſus de Caſtro ait *lib.* 1. *adverſ. hæreſ. cap.* 4. *multo tamen plures ſunt adeo indocti, ut vix Latine ſciant loqui, & quod multo pejus eſt, eorum aliqui nec bene Latine legere noverunt.* Et hinc repulit ab epiſcopatu hominem prorſus illiteratum & nec Grammaticæ peritum, Honorius Papa III. *cap. ult. ext. de æt. & qual. præf.* Repulit etiam deceſſor ejus Innocentius Papa III. *lib.* 3. *epiſt.* 194. Verum uſu probatum eſt ſæpe everti per gratiam leges etiam egregias. Rara exempla quæ retuli. Major ſemper bardorum copia. Orbi cum illuxiſſet excellens id & divinum Eraſmi ingenium, hæreſeos ejus libri ſuſpecti clero vel ob id, quod veterum exemplo loqueretur Latine, quod terſa & nitida ejus dictio. Obſcuram dicebant ipſi. Brant. 1. *hiſt. der Reformat.* 2. *pr.*

TITULUS IX.

DE

Epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus, Patriarchis.

Ut qui præerat Provinciæ cum imperio olim Præſes, ſic poſtquam invaluiſſet Chriſtiana religio, qui eam in ſpiritualibus gubernabat epiſcopus. Epiſcopus vox Græca eſt ἀπὸ τοῦ ἐπισκοπεῖν, *ſpeculari, inſpicere, rei intentum eſſe.* Generalis etiam vox, & quæ paſſim uſitata in re etiam profana. Sic qui pani præſunt & ceteris, quæ venum publice proponuntur, dicuntur epiſ-

copi

copi, *l. ult.* §. 7. *ff. de mun. & honor.* Sic Cicero ſcribit ſe a Pompejo, ut Campaniam inſpiceret, & ejus oram maritimam, *epiſcopum* deſignatum. In ſacris denotat non tantum eum, qui proprie eſt epiſcopus, verum etiam Patriarcham, Primatem, Metropolitam. Etiam Summum Pontificem. Imo & Sacerdotes & omnis ordinis Antiſtites epiſcopi etiam dicti. Ipſi autem epiſcopi etiam Summi Pontifices, * Principes Sacerdotum, & Pontifices Maximi. *Pontificatu Maximo digniſſimum Papam* vocat Agrœcium Senenſem epiſcopum Sidon. Apollin. *lib.* 7. *epiſt.* 9. Apoſtoli etiam, Apoſtolici, & Apoſtolatus ipſorum munus, ut notat Bignon. *ad formul. Marculf. lib.* 1. *cap.* 2. Auguſtin. *queſt.* 10. *ex utroque mixt. Quid eſt epiſcopus, niſi primus Presbyter, hoc eſt, ſummus Sacerdos?* Tertullian. *lib. de baptiſm. Dandi quidem baptiſmi jus habet ſummus ſacerdos, id eſt, epiſcopus.* Add. Sidon. Apollin. *lib.* 4. *epiſt.* 14. *& ſeq.* Sic & Papæ olim dicti non tantum ſummi Pontifices, verum etiam epiſcopi, ut & clerici indiſtincte, & cujuſvis ordinis ſacerdotes, *c. abſit c. de eo diſt.* 50. Theophan. *hiſt. p.* 43. *edit. Reg.* τ̃ ϗ Βαῦκλον αὐτȣ̃ ἐποίησε παππᾶν, id eſt, *clericum eſſe juſſit.* Ibid. ὁ ȣ̃ προσφυγὼν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐγένετο παππᾶς. Greg. Turonenſ. *lib.* 5. *hiſt. cap.* 30. *Vocato ad ſe urbis Papa.* Tertull. *lib. de Pudicit. Bonus Paſtor & benedictus Papa concionaris &c.* Ant. Auguſtin. 1. *dial.* 10. Serar. *ad Othlon.*

* Africanis epiſcopis, quod ſonaret τυφωδίστερον quid, appellatio hæc diſplicuit. Juſtell. *ad Cod. can. eccleſ. Afric. cap.* 39.

Quicunque deſideraverit primatum in terra, inveniet confuſionem in cœlo, nec inter ſervos Chriſti numerabitur, qui de primatu tractaverit, ſunt verba Chryſoſtomi *c. multi diſt.* 40.

lon. de vit. S. Bonifac. not. 33. Alteſerr. *ad Greg. Turonenſ. lib.* 2. *hiſt. cap.* 38. Et hinc vulgo adhuc ſacerdos *een Paep. De Paepſchap*, id eſt, *de Geeſtelicheyt*, in veteri quadam charta. *Speculatorem* ſe vocat Archiepiſcopus Moguntinus in literis ad Alexandrum Papam apud Tengnagel. *vett. monum.* p. 301. *&* 305. Vid. *c. cleros diſt.* 21. *c. qui epiſcopatum* 8. *qu.* 1. Sed ut ſolus jam Apoſtolicus Papa, qui Romæ eſt, & Apoſtolica ipſius Sedes, ſic primus ſanxit expreſſe, ut unus Papa eſſet orbis, ut nomen Papæ eſſet proprium ſolius Papæ Romani, Gregorius Papa VII. qui & vulgo Hildebrandus. Olim quia Presbyteri etiam paſſim *epiſcopi*, ipſi, ut diſcrimen eſſet, dicti *Summi Pontifices.* Carol. Magn. *lib.* 3. *Capitul. cap.* 323. *Quæ omnia ſummis Pontificibus debentur, id eſt, cathedralibus epiſcopis, & non presbyteris, aut coëpiſcopis.* Savar. *ad Sidon. Apollin. epiſt.* 11. Et nihil certius quam quod dico. Ab initio, ſi conſideres primitivam eccleſiam, idem presbyter qui epiſcopus, *c. legimus diſt.* 93. *c. olim diſt.* 95. Ant. Auguſtin. 1. *de emend. Gratian.* 15. Quos Apoſtolus dixerat Presbyteros *Actor.* 20. *verſ.* 17. eoſdem vocat mox epiſcopos *ibid. verſ.* 28. Nec epiſcopos & Presbyteros ſed epiſcopos & diaconos compellat ſcribens ad Philippenſes *cap.* 1. *pr.* Et cur non etiam presbyteros, ſi ab epiſcopis hi diſtincti? Add. 1. *ad Timoth.* 3. *verſ.* 2. *&* 12. Hieronym. *in epiſt. ad Titum apud Goldaſt. to.* 3. *conſtit. imp. Diligenter*, inquit, *Apoſtoli attendentes verba dicentis; & conſtitues per civitates Presbyteros &c. Qui qualis Preſ-*

Presbyter debeat ordinari, in ſequentibus differens, hoc eſt, ſiquis ſine crimine eſt, unius uxoris vir &c. poſtea intulit; Oportet enim epiſcopum ſine crimine eſſe tanquam Dei diſpenſatorem. Idem ergo eſt Presbyter, qui epiſcopus. Curare gregem Dominicum, ad virtutem cohortari, monere, inſtituere, anxios conſolari, peccantes corripere, verbum Dei prædicare, officium utriuſque eſt. Pares hactenus etiam tum cum diſtingui jam cœpit. Et uterque hinc Sacerdos. Sacerdos enim is, qui ſacris Dei vacat, *l.* 32. *§.* 4. *ff. de recept. qu. arb.* Uterque etiam Paſtor. Argentoratenſis epiſcopus certe titulo eo uſus: *Ego N. favente divina clementia Argentoratenſis eccleſiæ paſtor indignus.* Sed *ſi fuiſſent, quod audiebant*, ait qui Paralipomena ſcripſit ad Abbatem Urſpergenſem ad Ann. CIↃ. CCC. XCIV. *epiſcopi Paſtores, infirmum conſolidaſſent, & ægrotum ſanaſſent &c. Ezech.* 33. *& a* ἐξουδενεῖν ϗ κατεξουσιάζειν *juxta preceptum Principis paſtorum abhorruiſſent.* Ubi autem in eccleſia humanæ traditiones pro verbo Dei vim nactæ, ubi animos occupavit ſuperſtitio, audacia, faſtus, luxus, ambitio, paulatim quædam epiſcopis velut propria aſſignata. Honoribus ſummis culti, & non minus quam Principes collocati in thronis. Ipſi Principes etiam dicti, & inter Principes regni primo loco recenſiti, ut exemplis adſtruit non paucis Herm. Conringius *cenſ. diplom. Ludov. cap.* 12. Aderant clerici ſtipatores. Aſſidebant * Presbyteri. Adſtabant Diaconi. In

* Codex *canonum eccleſ. Afric. pr. Cum Aurelius Papa una cum Valentino primæ ſedis provinciæ Numidiæ, & ceteris epiſcopis provinciæ Proconſularis &c. nec non Philippo & Aſello presbyteris ac legatis Romanæ eccleſiæ conſediſſent, adſtantibus Diaconis.* Add. *ibid. cap.* 56. 94. & 127.

ſublimiori throno epiſcopi, in ſecundis, in inferioribus, in δ<ευ>τέροις Presbyteri. Unde & dignitas epiſcopalis ſæpiſſime etiam *thronus*. Le Moyne *prolegom. ad Var. Sacr.* Ipſi etiam *throni* Dei, in quibus ſcilicet Deus ſedet, ut ait Carolus Francorum Rex in libello proclamationis adverſus Wenilonem Archiepiſcopum Senonum Ann. DCCCLIX. & qui primi inter eos etiam πρωτόθρονοι. Petr. Antiochen. apud Coteler. 2. *monum. eccleſ. Græc. p.* 115.

Et quia thronus & cathedra, in quam initio epiſcopatus ſolemni pompa deducti, promiſcue uſurpantur, inde eccleſia cathedralis, & inde anni epiſcopatus etiam *anni ſeſſionis. Seſſionis*, & quod in cathedra collocati, in ſignum poſſeſſionis, & quod docturi populum ſedentes ad eum verba faciebant. Ziegler. *lib.* 3. *de epiſcop. cap.* 12. *n.* 16. Sedes autem non tantum gradata, ſublimior, ſed quo illuſtrior eſſet ſplendor, velis tecta, & linteata. Auguſtin. *epiſt.* 213. *Tranſit honor hujus ſeculi in futuro Chriſti judicio. Nec abſidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ, nec ſanctimonialium occurſantium atque cantantium greges adhibebuntur ad defenſionem. Quæ hic honorant, ibi onerant.* Pacian. *epiſt.* 2. *de Novatiano*: *Quem*, inquit, *conſecrante nullo linteata ſedes accepit.* Unde Pontius Diaconus in actis Cypriani *in fin. Sedile autem erat fortuito linteo tectum, ut & ſub ictu paſſionis honore epiſcopatus frueretur.*

Magni quidem animi fiunt magnis honoribus. Liv. *lib.* 4. *hiſt.* Sed virtutis aut pietatis non ſemper

per honos eſt alimentum. Quæ officii epiſcopalis præcipua olim pars, ut nimis vilis & abjecta, ſpreta & neglecta tum, prædicatio verbi Dei. Indecens viſum tum epiſcopis, & cum faſtu parum conveniens, ſi conciones haberent ipſi. Habebant presbyteri. Ipſi minima hæc non curabant. Unde & temporis progreſſu cum nec multum per deſidiam curarent Presbyteri, & nec alii eſſent ſatis prompti, tandem monachi ad prædicandum, quibus prorſus alioquin olim id interdictum, cum habeat monachus non docentis, ſed plangentis officium *c. monachus* 16. *qu.* 1. magno ſtudio acceſſerunt. Antonin. *hiſt. part.* 3. *tit.* 23. *cap.* 1. *Divina providentia animadvertens Pontifices loca tenentes Apoſtolorum, parochialeſque Sacerdotes ſucceſſores* LXXII. *diſcipulorum, quos ad prædicandum Dominus Jeſus Chriſtus eligens deſtinavit per orbem, ab officio prædicationis quaſi ceſſare, & multo magis ab hæreſium extirpatione & in zelo animarum tepeſcere, eccleſiæ ſuæ ſacroſanctæ affluenter providit, ſuſcitando tempore illo ordinem mendicantium, qui his tam ſolerter quam ardenter inſiſterent.* Ziegler. *lib.* 3. *de epiſcop. cap.* 3. *n.* 10. Mundi occupationibus progreſſu temporis epiſcopi paulatim merſi ſic & obſeſſi, ut niſi quæ hujus ſeculi vix aliud quicquam cogitarint. Ea rerum temporalium, ea cura epiſcopatus, tam gravis, tam anxia in negotiis difficultas, ut hinc abripi ſe queratur a propriæ ſalutis cura jam ſuo olim ſeculo Gregorius Papa I. *lib.* 1. *epiſt.* 29. *Hoc autem quod ad epiſcopatus ordinem me cognoſcitis perveniſſe, ſi me diligitis, plangite, quod tan-*

tæ hic hujus mundi occupationes ſunt, ut per epiſcopatus ordinem pene ab amore Dei me videam eſſe ſeparatum, quod inceſſanter defleo &c. Non tam pietas aut religio quam ſuperſtitio ipſis curæ. Vulgo ordines celebrabant, ordinabant Presbyteros, ſacrum chriſma conficiebant, ſignabant eo baptizatos, *c. presbyteros diſt.* 95. conſecrabant eccleſias, pollutas reconciliabant, ſacris interdicebant, ponebant diœceſin, provinciam, ſub interdicto, dabant indulgentias, pœnitentiæ publicæ certum modum imponebant, faciebant Notarios, Secretarios &c. Codex *canon. eccleſ. Afric. cap.* 6. *& cap.* 43. Ad imperium graſſabantur. Aſſumebant Camerarios, Pincernas, Dapiferos, cuſtodes corporis, δορυφόρους, ſtipatores, ſatellites. In aciem deſcendebant, movebant bella, præliabantur. Nec ipſi tantum ſed Abbates etiam ad ipſorum exemplum. Paralipomena ad Abbatem Urſpergenſem ad Ann. 1216. *Primitiis ſuis, quas vocant, interfuere multi proceres & magnates, Abbas S. Galli mille, & Morbacenſis quingentis equitibus ſtipati.* Felix Faber *hiſt. Suevor. lib.* 2. *cap.* 2. *Abbas Owiæ frequenter erat in Ulma, & quaſi Curiam non Principis ſed Regis ibi habebat.*

Infirmos presbyter etiam ungit. An ſimiliter & baptizatos? vid. *d. c. preſbyteros* & Ant. Aug. 1. *de emend. Gratian.* 17.

Olim aliter ſe habebat res, ſi ad initia recurramus. Nulla olim, ait Nicolaus de Clemangiis *lib. de corrupt. eccleſ. ſtat. cap.* 2. *argentea vaſa, nec aurea. Stanneis & fictilibus bibebatur. Nullus magnorum equorum phalerarumque apparatus, nulla*

hi-

hiſtrionum turba praeambula, nullus calamiſtratorum aut comatorum juvenum comitatus, virgatis monſtriferis habitibus, patulis & terra tenus defluentibus manicis, quaſi ritu barbarico indutorum. & mox: *Ubi vero, ut fere aſſolet, paulùlum ex divitiis, rerumque ſecundarum affluentia luxus & inſolentia in eccleſiam ſubiere, tepeſcere ſenſim cœpit religio, virtus hebeſcere, ſolvi diſciplina, charitas minui, tolli humilitas, paupertas opprobrio eſſe, ſimulque parſimonia.* Corruptis moribus demum cœpit magiſtralis diſtinctio hæc inter ea quæ jure ordinis & quæ vi juriſdictionis ad epiſcopum pertinent. Ad jus ordinis refertur jus clericos ordinandi, verbum Dei prædicandi, Sacramenta adminiſtrandi, viſitandi, docendi, admonendi &c. Ad juriſdictionem autem cauſas cognoſcendi, judicandi, decidendi, & legitimo etiam modo exequendi poteſtas, jus item diſpenſandi, ſtatuendi pro imperio, ſuſpendendi ab officio, removendi, degradandi, & ſiquod aliud id genus. Cœpit id poſtquam opes, & ex opibus dein faſtus in eccleſiam invectus, poſtquam inter epiſcopos ſenſim cœpit diſtingui, poſtquam alii Archiepiſcopi, alii Primates, alii autem Patriarchæ. De metropolitano non neceſſe eſt ut dicam. Metropolita & Archiepiſcopus iidem, ut puto. Alibi fateor non iidem, ut *c. cleros diſt.* 21. Sed Archiepiſcopus ibi dicitur, qui alibi vocatur *Primas*. Primas autem metropolita habetur ſuperior, etſi ut ibi patet Patriarcha inferior. Et quatuor tum gradus, cum vulgo ſint tantum tres, ut in judiciis eccleſiaſticis inſtantiæ etiam

tantum tres. Vulgo enim ab epiſcopo ad Archiepiſcopum appellatur, ab Archiepiſcopo ad Patriarcham *nov.* 123. *cap.* 22. & ubi Papa dominatur interdum etiam ad Papam. Vid. Fr. de Roye *lib.* 1. *Inſt. jur. Can. tit.* 15. Ziegler. *de epiſcop. cap.* 4. *n.* 37. *& ſeq.* Sed nec diſtinctio inter Primatem & Patriarcham perpetua eſt, ut ſatis patet ex verbis Innocentii Papæ Tertii apud Boſquetum in ejus *Geſtis* p. 60. *Fraternitatem tuam*, inquit, *ſcire volentes, quod apud nos hæc duo nomina Primas & Patriarcha pene penitus idem ſonant, cum Patriarchæ & Primates teneant unam formam, licet eorum nomina ſint diverſa &c.* Jacob. a Vitriaco *hiſt. Oriental. cap.* 79. *Habent autem prædicti Armeni proprium Primatem, quem Catholicum appellant, cui cum ſummo honore & reverentia omnes a minimo uſque ad maximum tanquam alteri Papæ obediunt &c.* Add. Othon. Friſingenſ. *lib.* 7. *cap.* 32. Ziegler. *de epiſc. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 7. *& ſeqq. & cap.* 11. *n.* 5. *&* 7. Nec abſoluta eſt poteſtas, quam habet Archiepiſcopus in ſubjectos, τῆς ἐπαρχίας, & ſuffraganeos epiſcopos, ſed conſiſtit potiſſimum in jure eos ordinandi, reſcindendi, aut confirmandi, ſi facta appellatio, ipſorum ſententias, & jure ſynodos convocandi. Ziegler. *d. cap.* 11. *n.* 23. *& ſeqq.* Quod ad cetera addam verba Ivon. Carnotenſ. *epiſt.* 83. *Si enim*, inquit, *conceſſum fuerit, ut metropolitanus in eccleſiis comprovincialibus abſque conſenſu epiſcoporum, qui eis præſunt, quicquid voluerit, valeat impetrare, clericos earundem judicare, vel ab officio ſuo ſuſpendere dignitati epiſcoporum indigna*

fiet

fiet violentia, *& auctoritati ſanctorum Patrum ruinoſa injuria.* Quicquid poteſt epiſcopus, Archiepiſcopus etiam poteſt, ſed non poteſt id, quicquid poteſt, in epiſcopi diœceſi. Duo alioquin viderentur, quod tamen Canones non permittunt, epiſcopi ejuſdem loci *c. ſicut* 21. *qu.* 2. *cap.* 14. *ext. de off. jud. ord. cap.* 1. *ext. de privil. can.* 8. *Syn. Nicæn.* Phot. *Nomocan. tit.* 1.*cap.* 20. *& ib. Balſam.* Propter majus tantum bonum & componendi diſſidii cauſa, ad Novatianos verbi gratia reducendum ad unitatem, aliquando indultum id. Duo interdum ejuſdem loci, Catholicus & hæreticus, ut id latius oſtendit Joan. Fileſacus *tr. de epiſcop. auctorit. cap.* 10. §. 5. Add. Selden. *ad Eutych. p.* 85. Ziegler. *lib.* 1. *de epiſcop. cap. ult. & ſeqq.* Et illuſtre adhuc exemplum avorum memoria. Argentoratenſi epiſcopo Joanne van Manderſcheyt defuncto Ann. 1592. duo electi in ejus locum, alter a Pontificiis Carolus Lotharingus, alter a Lutheranis Joannes Georgius Marchio Brandenburgicus. Neuter alteri cum cederet, poſtquam diu bellatum, & multum ſanguinis jam fuſum, convenit tandem inter partes, ut cum aliter quæſtio hæc expediri non poſſet, pari jure adminiſtrarent. Reydan. *lib.* 7. *hiſt. in fin.*

TITULUS X.

DE

Receptione & auctoritate pallii.

Quod dixi Archiepiſcopum, qui præeſt Provinciæ, de Provincia intelligendum, in qua plures epiſcopi, ut exempli cauſa in Sicilia. Sed ut ſint plures neceſſe eſt, non præciſe, ut ſint plures in eadem Provincia. Plures utrum in eadem an in diverſis nihil refert. Sic ſubjecti Colonienſi Monaſterienſis, Leodienſis, Trajectenſis &c. Trajectenſi ſimiliter, poſtquam ſuperiori ævo Archiepiſcopus is evaſit, Leovardienſis, Groninganus, Daventrienſis, Medioburgenſis, Harlemenſis &c. Strauch. 2. *amœn.* 7. *cap.* 114. Et hi qui paſſim Suffraganei. Balderic. *Chron. Cameracenſ. lib.* 1. *cap.* 7. *Singulas diœceſes circumſcriptis finibus ordinavit, & editiores quaſque metropolitanas, inferiores vero ſuffraganeas eſſe inſtituit.* Guill. Tyrius *lib.* 13. *hiſt. cap.* 3. *Honorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus, ſuffraganeis epiſcopis, clero & populo Tyri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Venientem ad nos Kariſſimum fratrem noſtrum Willelmum Archiepiſcopum veſtrum debita caritate recepimus &c.* A *ſuffragio* ſuffraganei. *Suffragium* idem quod auxilium, quod adjutorium &c. Caroli

Arnulfus Lexovienſ. epiſcopus apud d'Achery *to.* 2. *Spicil. epiſt.* 6. *Verum eſt*, inquit, *in Archiepiſcopi electione ſuffraganeorum deſiderari præſentiam.*

roli Magni Capitulare apud Goldaſtum *to.* 3. *conſt. imp. cap.* 1. *De metropolitanis, ut epiſcopi ſuffraganei eis adjutores ſint, eoſque &c.* Ut autem epiſcopi, qui paſſim etiam aderant Archiepiſcopi electioni; ſuffraganei ejus dicti, ſic & ipſi Archiepiſcopi ſuffraganei Patriarchæ, ὑποψήφιοι, ut vocant Græci. Willelm. Tyrius *lib.* 14. *cap.* 12. *Certum eſt, quod inter tredecim Archiepiſcopos, qui a diebus Apoſtolorum ſedi Antiochenæ ſubditi fuerunt, Tyrenſis quidem primum locum obtinuit.* Utrique ab epiſcopis non tantum poteſtate ſed & pallio diſcreti. Pallium breve & rotundum. Circulus ex lana, ex panno candido & ſubtili, latitudine digitorum trium aut quatuor. Ioſ. Scalig. *epiſt.* 344. Collum ambit humeroſque intextas habens cruces, duaſque ex ſe lineas & retro & ante ferme ad genua demittens, in quarum extremis etiam plumbi aliquid ad pondus. Boſſchaerts *de prim. vet Friſ. Apoſtol. diſſ.* 66. Ex lana autem non quavis. Ex agnina aut ovili. Typus enim ovicula eſt, quam quæſivit aberrantem, humeriſque inventam reportavit Servator & Paſtor noſter. Iſidor. Peluſiot. *epiſt.* 136. Nec ex quavis agnina. Quotannis Romæ duo agni in templo divæ Agnetis ſolenniter imponuntur, cum in miſſa imploratur Agnus Dei, altari. Deinde traditi Baſilicæ divi Petri ſubdiaconis mittuntur in paſcua, & ſuo tempore tondentur. Ex ea lana tum pallium fit. Defertur factum ad corpora divorum Petri & Pauli, iiſque etiam ſuppoſitum certis precibus conſecratur. Sleydan. *lib.* 13. *hiſt.* Pancirol. 3. *var. lect.* 2. Fr. Pithæ. *gloſſar. ad libr. Ca-*

pitul. in voce Pallium. Unde & paſſim dicitur ſumptum de corpore divi Petri. Scribens ad Bulgarorum Archiepiſcopum Innocentius Papa III. *Tradimus tibi pallium*, inquit, *de corpore beati Petri ſumptum in ſignum videlicet plenitudinis Pontificalis officii &c.* Willelm. Tyrius *de bell. ſacr. lib.* 11. *cap.* 13. *Interea reſignato pallio, quod idem Patriarcha de altari Antiochena eccleſia ſua inſumpſerat auctoritate in injuriam, ut dicebatur, Sedis Apoſtolica, & Cardinalibus tradito, aliud ei ſumptum de corpore beati Petri more ſuo per priorem Diaconorum traditur.* Add. *cap. ſignificaſti ext. de uſ. & auctor Pall.* Pancirol. *d. loc.* Et hinc ea veneratio. Hinc rarior etiam uſus. Ad miſſarum ſolennia & diebus tantum feſtis. Et nec his indiſtincte, ſed ſpeciatim expreſſis *cap. ad honorem ext. de uſ. & auct. pall.* Innocentius Papa Tertius *lib.* 3. *epiſt.* 18. *videlicet in nativitate Domini, feſtivitate Protomartyris Stephani, Circumciſione Domini, Epiphania, Ypapanti, Dominica in Ramis Palmarum, Cœna Domini, Sabbatho ſancto, Aſcenſione, Pentecoſte, tribus feſtivitatibus B. Mariæ, natali B. Joannis Baptiſta, ſolennitatibus omnium Apoſtolorum, commemoratione omnium Sanctorum, dedicationibus eccleſiarum &c.* Alteſerr. *ad Gregor. lib.* 3. *epiſt. pr.* Etiam in Conciliis, & cum epiſcopi conſecrantur, cum clerici ordinantur, & cum chriſma conficitur, *c. quod ſicut ext. de elect. & el. pot.* Semper & ubique ſolus Papa eo utitur, præſertim ſemper & ubique in Miſſarum ſolenniis, ut in Actis Innocentii Papæ Tertii in *Forma dandi pallium: Sane ſolus*

lus Romanus Pontifex in miſſarum ſolenniis pallio ſemper utitur & ubique; quoniam aſſumptus eſt in plenitudinem eccleſiaſticæ poteſtatis, quæ per Pallium figuratur. Add. *cap. niſi cap. 4. & 5. ext. de uſ. & auct. Pall. cap. bonæ memoriæ 23. ext. de elect. & el. pot.* * Sed ſi proprie velimus loqui *mantum* Papæ, non *pallium*. Car. du Freſne *gloſſar. in Mantum.* Unde & Papa *immantatus*. Radevic. *lib. 2. de geſt. Frid. Barbaroſſ. cap. 67. in Romanum Pontificem electus & immantatus eſt.* Vid. *ibid. per tot.* Albert. Abbas Stadenſis *ad Ann.* 1159. *Quem immantatum videns & Papam proclamatum.* Paſſim fateor tamen pallium. De Benedicto v. depoſito in Concilio Romano: *Pallium ſibi abſtulit, quod ſimul cum Pontificali ferula, quam geſtabat, domino Papæ reddidit &c.* Regino *lib. 2. Chron. eundem Benedictum Romanæ Sedis invaſorem judicio omnium ab invaſo gradu depoſuit, & Pontificale pallium, quod ſibi impoſuerat, abſcidit.* Alibi pallium etiam *infula*. Alibi *humerale*. Frodoard. ad Ann. DCCCXXIII. *Seulfo Archiepiſcopo Archiepiſcopalis infula, quæ pallium nominatur, ab Johanne Papa tranſmittitur.* Græcis ὠμοφόριον. Πολυσταύριον etiam propter cruces. Cruces quatuor purpureæ erant, & a ſiniſtris & a dextris, & retro & ante, ut eſt apud Innocentium *lib. 1. myſterior. miſſ. cap. 63.* Fr. Florens *tr. 8. ad decretal. ad tit. de uſ. & auct. Pall.*

Mantum Regia etiam veſtis, diverſa à pallio non nihil forma. *Mantum* quod perveniat ab humeris ad manus uſque, ut teſtis eſt Iſidorus *origin. lib. 19. cap. 27.* Loquens de Luitprando Longobardorum Rege Anaſt. Biblioth. in Gregor. II. & *ante corpus, inquit, Apoſtoli poneret mantum, armilauſam, balteum, ſpatam, atque enſem deauratum &c.*

Fuerunt ante Innocentium tamen, qui & ſemper ad miſſas uſi, ut conceſſum Brunoni Colonienſi Archiepiſcopo ab Agapeto Papa apud Surium, & Hincmaro Remenſi a Leone Papa IV. apud Flodoard. *lib.* 3. *hiſt. cap.* 10. *Pallium*, inquit, *ad quotidianum recepit uſum a quarto Leone Papa, a quo jam aliud perceperat in deſignatis ſibi ſolennitatibus debite fruendum. Quem quotidianum pallii uſum nulli unquam Archiepiſcopo ſe conceſſiſſe, vel deinceps conceſſurum eſſe idem Papa in epiſtola ad eum directa teſtatur.* Uſi tamen, quod neceſſe, intra ſuam Provinciam, & intra ſuam Provinciam in eccleſia duntaxat. Extra eccleſiam non licuit, *cap.* 1. 4. *&* 5. *ext. de uſ. & auct. pall.* Gregorius Papa I. *lib.* 2. *epiſt.* 54. *Uti in plateis pallio ulterius non præſumas, ne non habere & ad miſſas incipias, quod audacter & in plateis uſurpas.* Add. eund. *lib.* 4. *epiſt.* 1. *&* 14. Fr. Florens *d. loc.*

Pallium Principis olim munus, præſertim in Oriente. Nonnunquam Papa etiam dabat, ſed Principe aſſentiente. Garner. *ad lib. Diurn. Roman. Pontif. diſſ.* 4. *cap.* 17. Nec petenti Auxanio epiſcopo Arelatenſi auſus mittere id Vigilius, priuſquam & Juſtinianus accommodaſſet conſenſum. Strauch. 1. *amœn. jur. Can.* 4. *cap.* 11. Et diu id obtinuit. Etiam imperante adhuc Conſtantino Pogonato. Hieron. Rubeus *hiſt. Ravennat. lib.* 4. Alteſerr. *ad Anaſtaſ. in Leone* II. Invaluit dein ſenſim exoleſcente in Italia Imperatorum poteſtate Paparum tyrannis. Et quod olim tantum Princeps ſenſim Papa uſurpavit. *Senſim*

ſim dico. Nam nec ſolus, nec ſtatim auſus, & indiſtinctè. Fuerunt qui aſſumpſerunt id eo etiam invito, ut paſſim in Oriente. Liberat. Diacon. *breviar. cap.* 20. Guil. Tyr. *lib.* 14. *hiſt. cap.* 20. *& lib.* 15. *cap.* 13. Mutato rerum ſtatu Patriarchis dedit Papa. Ipſi autem poſtquam nacti, ſimul jus etiam nacti ditioni ſuæ ſubjectis Archiepiſcopis illud dandi, *cap. antiqua ext. de privil.* Ant. Auguſtin 2. *de emend. Gratian.* 1.

De eo etiam ſatis conſtat, quod epiſcopis olim vix, Patriarchæ autem, Primati, Archiepiſcopo tantum datum, & Archiepiſcopo non cuivis, ſed ſeqniori præſertim ſeculo auro oblato ſatis fortiter & inſtanter id poſtulanti. Fr. Florens *d. tr, p.* 342. Juret. *ad Ivon. epiſt.* 250. Ut petat fortiter deſideratur, & ut petat jam conſecratus. Anſelmus Archiepiſcopus apud Eadmerum *lib.* 4 *hiſt. Quod dicitis in literis veſtris vos pecuniam quærere, ut Romam mittatis pro pallio eccleſiæ veſtræ, non concedo. Et puto, quod id fruſtra faceretis, quoniam nullus debet habere pallium, antequam ſit conſecratus.* Vetus auctor rituum ſeu ſacrarum ceremoniarum eccleſiæ Romanæ *lib.* 1. *ſect.* 10. *cap.* 5. uſitata tum ait verba hæc: *Ego N. electus eccleſiæ N. inſtanter, inſtantius, & inſtantiſſime peto mihi tradi & aſſignari pallium de corpore beati Petri ſumptum, in quo eſt plenitudo Bontificalis officii. Auro* dixi *oblato.* Nec inſtantia ulla fortior. In Comitiis Wormatienſibus queſti de eo Principes, queſti Status Germaniæ, pallium, quod pridem datum x. millibus ducatorum, viginti quatuor tum millibus impetrari

trari vix poſſe. Paralipom. Abbat. Urſperg. *ad Ann.* 1521. Sed quid neceſſe eſt, ut miremur, Quid eſt, quod non Romæ poſſit pretio comparari? Auri ibi ea vis, ut quod Primati alioquin, quod Archiepiſcopo tantum datum, datum etiam epiſcopis. De pallio epiſcoporum exempla etiam paſſim. De Richario Leodienſi epiſcopo Fulcuin. *de geſt. Abbat Lobienſ. cap.* 19. *Richario acclamatur, eligitur, producitur, & ab ipſo Summo Pontifice Pontifex ordinatur, & conſecratur, donato ſibi omnium prædeceſſorum ſoli Archiepiſcopali pallio, & equo Apoſtolico more ad procedendum ſtrato.* Andr. Presbyter *in Chronic. Hic etiam Leo dedit pallium epiſcopo Bambergenſi, quo ter in anno uti poſſet S. Paſchæ feſto, S. Petri, & Dionyſii.* Manu ipſius Papæ Theodulfo id conceſſum Aurelianenſi epiſcopo, ut ipſe id teſtatur *carm. lib.* 4.

Solius illud opus Romani Præſulis extat,
Cujus ego accepi pallia ſancta manu.

De Auguſtodunenſi *ibid.* Sirmondus. De Halberſtadenſi Albert. Abbas Stadenſis: *Anno Domini* CIↃ. C. LXI. *Gero Halverſtadenſis epiſcopus ferendi pallii dignitatem a Victore Papa ſuſcepit.* Cum pallio autem quod quis nactus, nequis deinceps eo uti poſſit, ubi mortuus, mandandus terræ *cap.* 2. *extr. h. tit. ub. & Alteſerr.* Pancirol. 1. *var. lect.* 10. Et nec idem ſemper eidem pallium, ſed quo undique ex toto orbe diteſceret Papa abundantius, abjecto vetere petendum aliud, ſiquem Papa de eccleſia ad eccleſiam transferret. Ziegler. *lib.* 2. *de epiſcop. cap.* 10. §. 8. Add. Fr.

Flo-

Florens *tr. 6. ad decretal. p. 335. & 347. & ſeqq.* Sed certe id contra veterum, cum ſit ſpecies Simoniæ, decreta Pontificum *can. 3. diſt.* 100. Jo. Diacon. de vita Gregorii Papæ *lib. 3. cap. 5.* Tanti enim venditur *pallium unum*, ſunt verba Georgii Wicelii in *elencho abuſuum pr. quanti multa etiam ditiſſimi cujuſque latifundia, contra apertiſſimos canones Gregorii Magni, & aliorum, ut hodie nihil aliud ſit pallii redemptio, niſi Germaniæ ac aliarum nationum tacita direptio.* De xeniis non loquor. De donis loquor, de pretio. Alioquin habet locum hic, quod egregie in *l. 6. §. 3. ff. de offic. proc. cap. etſi quæſtiones ext. de Simon.* Nec epiſcopi tamen honor Archiepiſcopo quicquam nocet, *arg. §. 2. Inſt. de h. qu. ſu. vel al. jur.* ut nec Regi id quicquam officit, abſque cujus conſenſu nec ipſi Archiepiſcopo recte id Papa concedit. Ivo *epiſt.* 274. *& ib. Juret.* Juriſdictio eſt, quæ datur pallio, ſed epiſcopis cum id datur, datur citra Archiepiſcopi, cui manet tamen epiſcopus ſubjectus, præjudicium. Et ſpiritualis tantum datur. Temporalem dat Princips. Et dat per ferulam, ſeu ſceptrum, *cap. pen. ext. de uſ. & auct. pall.* Albert. Abbas Stadenſis ad Ann. DCCCLXV. de Remberto Bremenſi: *Pallium Pontificale ſuſcepit a Papa Nicolao, ferulam paſtoralem a Cæſare Lothewico.* Idem de Adalgario ad Ann. DCCCLXXVIII. *Ferulam paſtoralem ſuſcepit ab Arnulfo rege, pallium Pontificale a Stephano Papa.* Add. eund. ad Ann. 936. ad Ann. 988. ad Ann. 1029. ad Ann. 1032. & ad Ann. 1035. Conring. *de conſtit.*

epiſ-

epiſcop. Germ. n. 35. Strauch. 1. *amœn. jur. Can.* 3. *cap.* 2. Coronat Regem in Germania aut Imperatorem more veteri Archiepiſcopus Colonienſis, ſed ſi pallium jam nactus. Coronandi poteſtatem nondum nactus non habet. Æn. Sylv. *de vit. & reb. geſt. Frider.* III. *Imp. p.* 16. Nondum eo impetrato nec jus epiſcopos conſecrandi, nec clericos ordinandi, nec convocandi Concilium, nec chriſma conficiendi, nec nomen Archiepiſcopi Archiepiſcopo adhuc competit.; *cap.* 11. *cap.* 28. §. *ſuper eo ext. de elect. cap.* 3. *ext. de uſ. & auct. pall.* Fr. Florens *d. tr.* Boſquet. *ad Innocent.* 1. *epiſt.* 47. Ziegler. *lib.* 2. *de epiſc. c.* 10. *pr.* Plures porro extant formulæ, quibus pallium olim miſſum, quæ in libro Diurno Romanorum Pontificum, & in Geſtis Innocentii apud Boſquetum *p.* 64. *in Forma dandi Palliam.*

TITULUS XI.

DE

Coadjutore, Suffraganeis, Chorepiſcopis.

Etſi autem tantum unus non duo epiſcopi ejuſdem loci, vetus tamen mos ut ob ſenium, ob valetudinem, ob abſentiam diuturnam, ob juventutem, ob periculum, ob temporum malignitatem, vel ex alia juſta cauſa aſſumatur Coadjutor, *can. quamvis can. petiiſti* 7. *qu.* 1. *cap. de Rectoribus cap. ex parte, cap. ult. ext. de cleric. ægrot. vel debil.*

bil. cap. paſtoralis eod. tit. in 6. Aſſumatur ſcilicet ab eo, à quo epiſcopus poteſt dari. Nam qui poteſt quod plus eſt etiam poteſt quod minus eſt, *l. 21. ff. de reg. jur.* Haud dubie autem auctoritas non tantum Papæ ſed & Principis neceſſe eſt ut accedat *can. ſcripſit, can. petiiſti, can. quia frater 7. qu. 1. cap. paſtoralis de cleric. ægrot. in 6.* Alteſerr. 1. *diſſert. jur. Can. cap. 4. & ſeq.* Ab initio, cum videretur Nicæni placitis Concilii id adverſum, vix admiſſus. Et queritur alibi ſe neſciſſe hæc ipſe etiam Auguſtinus Coadjutor datus Valerio epiſcopo Hipponenſi, *Hic adhuc*, inquit, *epiſt. 110. in corpore poſito beatæ memoriæ Patre & epiſcopo meo ſene Valerio epiſcopus ordinatus ſum, & ſedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuiſſe neſciebam, nec ipſe ſciebat.* Quæ & ratio, quod Liberium ab exilio cum revocaſſet Imperator Conſtantius, & Romanam eum eccleſiam juſſiſſet regere cum Felice, intruſo interim in ejus locum, non ferens populus exclamaverit, εἷς Θεὸς, εἷς Χριστὸς, εἷς ἐπίσκοπος. Theodorit. *lib. 2. hiſt. cap. 17.* Aliud autem cum deinceps ſuaſiſſet neceſſitas nihil viſum utilius. Nec ſuperfuit dubitatio cum Baſſo eſſet datus à Synodo Capuenſi, quæ habita ſub Syricio, Coadjutor Senecio, & mox calculo etiam ſuo id comprobaſſet Ambroſius: *Legimus etiam*, inquit, *& omnia percurrimus, vel de eo quod fratri noſtro & Coëpiſcopo Baſſo in conſortium regendæ eccleſiæ datus eſt Senecio.* Proprie enim coëpiſcopus, aut alius aliquis epiſcopus, Coadjutor non eſt, ſed unam tantum perſonam efficit, cum eo, cui eſt

adjunctus, unum tantum epiſcopum, unam cathedram cum eo implet. Non ſuccedit, ſed accedit, ut eleganter ſcripſit de Auguſtino Paulinus ad Romanianum. Verba etiam extant in *can. non autem 7. qu.* 1. *Ita*, inquit, *conſecratus eſt, ut non ſuccederet in cathedra epiſcopo, ſed accederet.* Dupliciter autem datur, aut cum futura ſucceſſione, aut ad tempus duntaxat *can. Pontifices, can. petiiſti 7. qu.* 1. *cap. paſtorali ext. de cler. ægrot. vel debilit.* Qui cum futura ſucceſſione non abſimilis Syncello, quem aſſumebat apud Græcos Conſtantinopoli Patriarcha. Zonar. *in Conſtant. Monomach. Is eſt apud eos, qui olim apud nos Syncellus: nam ut Syncellus Patriarchæ defuncti locum occupabat; ſic etiam Seriphes Caliphæ defuncto ſuccedebat.* Cedren. *to.* 2. *hiſt. cap.* 363. Habebant inſuper epiſcopi etiam ſuos Vicarios. Habebant Adjutores, Suffraganeos, Chorepiſcopos. Nec ſuffraganei iidem omnes. Quotquot erant epiſcopi in Archiepiſcopi diœceſi ſuffraganei ipſius erant. Quotquot autem Archiepiſcopi in diœceſi Patriarchæ ſuffraganei Patriarchæ. Baldric. Noviomenſ. *Chron. Cameracenſ. lib.* 1. *cap.* 7. *Singulas diœceſes, circumſcriptis finibus, ordinavit, & editiores quaſque metropolitanas, inferiores vero ſuffraganeas eſſe inſtituit.* Sic apud Willelmum Tyrium *lib.* 13. *hiſt. cap.* 23. *Honorius epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus, ſuffraganeis epiſcopis, clero & populo Tyri ſalutem & Apoſtolicam benedictionem: Venientem ad nos Kariſſimum fratrem noſtrum Willelmum, Archiepiſcopum veſtrum &c.* Idem *lib.* 14. *cap.* 12. *Certum eſt autem*

Epiſcopos à *ſuffragiis* ſuffraganeos

Eraſmus vocat in Colloquio, quod inſcribitur. *Peregrinatio religionis ergo.*

autem, quod inter tredecim Archiepiſcopos, qui à diebus Apoſtolorum ſedi Antiochenæ ſubditi fuerunt, Tyrenſis quidem primum locum obtinuit, ita ut in Oriente Protothronos appelletur: ſicut in catalogo Pontificum ſuffraganeorum, qui ad eccleſiam Antiochenam reſpiciunt, continetur. Quotquot item epiſcopi, inſignes titulis eccleſiarum, quæ a barbaris occupatæ, ſuffraganei etiam dicti, ut olim in diœceſi Trajectenſis epiſcopi Zudenſis, Cæſareenſis, & Hebronenſis epiſcopi. *Titulares* epiſcopos Theodoricus de Niem vocat in vita Johannis Papæ XXIII. *p.* 5. De quibus Lucas Oſiander ad *cap.* 10. *Apocalypſ. Cum à Pontifice creantur iſti Suffraganei, jurant quòd velint ad gentes illas incredulas proficiſci, eaſque ad fidem Chriſti convertere; priuſquam autem è conſpectu urbis Romæ veniunt, admoniti per ſubornatos homines de illarum gentium contumacia, redeunt ad Pontificem Romanum, & abſolvuntur à juramento &c. Revertere, revertere, via non eſt tuta*; ejuſmodi Epiſcopo volenti ire ad ſuas oves, Ultrajecti acclamabatur. A *ſuffragio* ſuffraganei. *Suffragium* autem utrumque eſt & auxilium & votum. Archiepiſcopo qui ſubjecti & jus ſuffragii cum eo habent, unde & Græcis ὑποψήφιοι. Du Cange *ad Cinnam. p.* 460. *& ſeq.* Et qui titulum tantum habent, quos *epiſcopos* vocat *ſine grege* Chriſtianus Urſtiſius in deſcriptione Baſileæ *cap.* 16. præſtant tamen ei opem, in cujus habitant diœceſi. Ivo *epiſt.* 200. *Quod ſi per vos id perficere non ſufficitis, adhibete vobiſcum duos aut tres ex ſuffraganeis epiſcopis, quorum conſilio & auxilio ſcandalum*

hoc ſedare ſtudeatis. Add. Baluz. ad *Lup. Ferrarienſ. cap.* 10.

Chorepiſcopi olim nomen, etſi ſæpius damnatum, etſi prorſus inviſum, exſcindi tamen penitus ex eccleſia non potuit, *can. Chorepiſcopi diſt.* 68. Concil. Metenſ. *can.* 5. Car. Magn. Capitul. *lib.* 6. *cap.* 119. Alteſerr. 1. *diſſ. jur. Can. cap.* 9. Strauch. 2. *amœn. jur. Can.* 8. *cap. ult.* Ziegler. *lib.* 1. *de epiſcop. cap.* 13. *n.* 32. Hæſit uſus adhuc paſſim. Etiam in diœceſi. Etſi munus non idem. Vid. du Cange *gloſſar. in Chorepiſcopus.* Idem Archiſubdiaconus & Chorepiſcopus Ultrajecti. De officio Archiſubdiaconi titulus in Statutis majoris eccleſiæ: *Archiſubdiaconatus in eccleſia noſtra dignitas eſt, & habet ſtallum in ſiniſtra parte chori noſtri immediate poſt Decanum, & in congregationibus eccleſiarum poſt omnes Decanos quatuor eccleſiarum. Et ipſe Subdiaconus eſſe tenetur, & ad officium ejus pertinet, cum epiſcopus ordinem habet epiſtolam legere, & in Subdiaconatus officio miniſtrare.* Jus ordinis celebrandi, Sacerdotes, aut epiſcopos creandi non fuit. Ziegler. *lib.* 1. *de epiſcop. cap.* 13. *per tot.* Quod eadem autem dignitas ſatis patet ex literis, quibus muneris exercitium & adminiſtratio commiſſa, ut verbi tantum cauſa:

David *de Burgundia Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia epiſcopus* Trajectenſis *venerabilibus Dominis Decano & Capitulo eccleſiæ noſtræ Trajectenſis Salutem in domino. Nobilitas generis, vitæ & morum honeſtas, ſuper quibus apud nos Illuſtris Dn.* Stephanus *Dux Bavariæ ſanctæ Colonienſis & noſtræ Trajectenſis eccleſiarum Canonicus*

nonicus fide digno commendatur teſtimonio nos inducunt, ut ſibi ad gratiam reddamur liberales. Vacantem itaque Choriepiſcopatum dictæ eccleſiæ noſtræ, qui inibi primi Subdiaconi dignitas exiſtit, per mortem ſeu liberam reſignationem quondam magiſtri Petri Mileth, *ultimi poſſeſſoris ejuſdem, Nos ad quos ejuſdem Choriepiſcopatus collatio, proviſio, ſeu quavis alia diſpoſitio pertinere dinoſcitur, volentes eundem Dn.* Stephanum *præmiſſorum meritorum ſuorum intuitu favore proſequi gratioſo, Choriepiſcopatum præmiſſo ſeu quovis alio modo vacantem cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis ipſi Dn.* Stephano *contulimus, & de eodem ſibi providimus, nec non præſentibus conferimus & providemus. Quocirca vos Venerabiles Dominos Decanum & Capitulum ſinguloſque Canonicos dictæ eccleſiæ noſtræ Trajectenſis, & veſtrum quemlibet ad quos pertinet, rogamus, monemus, & requirimus, quatenus Dn.* Stephanum *memoratum, ſeu ipſius legitimum procuratorem ſuo nomine & pro eo ad dictum Choriepiſcopatum admittere & recipere, ſibique illius corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem ſeu quaſi cum omnibus ſuis juribus dare & ſtallum in choro aſſignare, ac de fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus, quantum in vobis fuerit, reddere, & reſponderi facere curetis, cum omnibus ſolemnitatibus in talibus fieri ſolitis & conſuetis. In fidem præmiſſorum omnium & ſingulorum ſigillum noſtrum præſentibus duximus appendendum. Datum in eccleſia noſtra Trajectenſi anno à nativitate Domini* CIↃ. CCCC. LXXX. *die vero quinta menſis Februar.*

Nemo autem exiſtimet, quod idem Chorepiſcopus, qui Belgis *een Wybiſſchop. Wybiſſchop* ſuffraganeus eſt. Plures autem Suffraganei. Etiam

in diœceſi. Chorepiſcopus tantum unus. Templa, aras, ſacerdotes conſecrabat ſuffraganeus. Et exempla habes paſſim in Annalibus Egmundanis. Chorepiſcopis id interdictum *can. quamvis diſt.* 68. Alteſerr. 1, *diſſ.* 9. Charta Ann. 1481. qua agitur de Engelberto fratre Ducis Clivenſis, quem rejecto Davide crearunt Ordines Trajectenſes diœceſis Rectorem: *ind den ſelven Jone: Engelbrecht ſel onſe goede Heer Hertoch van Cleve vuegen, ind oec ſommige vriende mede doen tot Utrecht binnen to komen in ſeſtien of achtien dagen naeſtcomende, ind as die ſelve onſe Joncker daer binnen komen is, ſo ſalmen oen overmits eynen Wybiſſchop aldair ſoo veer doen weyen als totter poſtulatien dienende noot is &c.*

TITULUS XII.

DE

Electione.

Electio eſt unius de multis acceptio. Fulbert. Carnotenſ. *epiſt.* 6. Ab eccleſia univerſa & clericis & laicis electio olim facta. *Actor. cap.* 1. *cap.* 6. *verſ.* 5. *& cap.* 14. §. 25. *can.* 3. *&* 7. *diſt.* 24. *can.* 27. *diſt.* 63. *can.* 13. *diſt.* 77. *can.* 26. *&* 28. *cauſ.* 16. *qu.* 1. *l.* 49. *C. Th. de decur.* Auctor Conſtit. Apoſtol. *lib.* 8. *cap.* 4. Cyprian. *lib.* 1. *epiſt.* 4. Tertull. *Apologet. cap.* 39. Leo Papa 1. *epiſt* 87. *Expectantur vero vota civium, teſtimonia*

¶ Formulam conſenſus civium pro epiſcopatu vid. apud Marculphum *lib.* 1. *cap.* 7.

nia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum. Idem *epiſt.* 82. *Cum de ſummi ſacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem cleri plebiſque conſenſus concorditer poſtulabit.* Steph. Tornacenſ. *epiſt.* 173. *Concurrunt in electione illa quatuor, quæ à Leone dicta ſunt, vota civium, teſtimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum.* Juſtell. *ad Cod. can. eccleſ. Afric.* Sed cum ſæpe in electionibus per vim & impreſſionem plebs eſſet ſuperior, res à plebe ad Optimates & Honoratos deducta, ad *κτήτορας*, ad *λαμπροτάτους*, *l.* 42. *C. de epiſc. & cler. nov.* 123. *cap.* 1. *nov.* 137. *cap.* 2. Laodicenſ. Concil. *can.* 13. Lib. Diurn. Roman. Pontif. *cap.* 2. *& ſeqq.* Fr. Florens *ad* IX. *prior. tit. lib.* 1. *decretal. tr.* 4. Ziegler. *lib.* 2. *de epiſc. & cler. cap.* 1. *per tot.* Nec plebi quicquam aliud quam petitio relicta. Ivo *epiſt.* 27. *Nulla ratio ſinit, ut inter epiſcopos habeantur, qui nec à clericis ſunt electi, nec à plebibus expetiti.* Tandem autem cum invaleſceret Pontificia tyrannis adempta etiam honoratis. Gaufrid. Vindocinenſ. *tr. de ordin. epiſcop. Electio*, inquit, *fieri debet à Vicariis Chriſti, illi autem ſunt clerici in electione, & epiſcopi in conſecratione.* Unde electio epiſcoporum circa ſeculum undecimum tranſlata fere ubique ad cathedrales Canonicos, ut paulo latius & erudite id perſequitur Zieglerus *lib.* 2. *de epiſcop. cap.* 1. *n.* 38. *& ſeqq.* Etſi propter crebras proviſiones Pontificum ne his integrum quidem ſemper aut ſartum tectum illud jus. Si diſſenſiſſent Canonici, ſi elegiſſent indignum, ſi formam in eligendo præ-

ſcriptam non obſervaſſent, aut ſiquid aliud incidiſſet vitium adferens electioni, Papa ſtatim ſe immiſcebat, & eligebat, quem vellet. Imo & extra eos caſus progreſſus ſenſim ulterius. Prælaturas, epiſcopatus, & quævis alia beneficia pro arbitrio conferebat, & accepta pecunia, qua nihil fœdius poteſt dici, plerumque etiam in indignos. Quam indignum in modum cum Brederodio olim actum, qui poſtquam Ultrajecti concorditer jam electus, poſtquam jam pecunia pro confirmatione ad Papam miſſa & accepta, ad preces tamen Philippi Ducis, ne reſtituto quidem quod jam dederat, ab eodem Papa rejectus, ſubſtituto Philippi ſpurio, Davide epiſcopo Morinorum, videri poteſt apud Hedam *hiſt. Ultraj. p.* 291. Exempli cauſa id tantum addo. Sed exempla ſunt infinita. Gobelin. Perſona *Coſmodrom. ætat.* 6. *cap.* 85. *Epiſcopatus plurimi & per Alemanniam fere omnes iſtius Papæ* (Bonifacii ſcilicet IX) *temporibus vacaverunt: multiſque eccleſiis perſonæ indignæ vel inutiles præfectæ ſunt. Et qui plus ſolvit Papæ epiſcopatum obtinuit*; *unde pro expeditione circa talia opportuna multi expenderunt decies tantum, quantum ſolverunt Cameræ Apoſtolicæ prædeceſſores eorum. Nam quidam impetrantes Archiepiſcopatus* XL. *millia, alii* LX. *millia, nonnulli* LXXX. *millia Papæ ſolverunt.* Crevit paſſibus ſic non exiguis Papalis potentia. Contra olim ſe habebat res. Non Papæ olim, ſed Principis interveniſſe auctoritatem, & ne Papam quidem invito Principe miſſum in poſſeſſionem negari non poteſt *c. in nemine diſt.* 23. *c. Hadrianus diſt.* 63.

Ziegler.

Ziegler. *lib.* 2. *de epiſcop. cap.* 2. *n.* 13, *& ſeqq. & n.* 20. *& ſeqq. Scire debes tu ignare Laice*, ait Johannes Petri de Ferrariis auctor Practicæ judicialis circa annum CIↃ.CCCC. X. *tit.* 50. *gloſſ.* 9. *n.* 4. *quod Imperium aliquando habuit utrumque gladium, temporalem ſcilicet & ſpiritualem, adeo quod tunc Imperatores conferebant multa beneficia eccleſiaſtica per univerſum orbem, & amplius eligebant Papam.* Placuerat quidem aliud Hadriano Papæ III. Ziegler. *ibid. n.* 35. Sed peſſimo exemplo, ut Leo VIII. ſucceſſor poſtea judicavit, ut teſtatur Sigon. *lib.* 7. *hiſt. Non erat neſcius*, inquit, *Leo omnem præſentis hujus perturbationis eccleſiæ fontem à fœda Romanorum ambitione eſſe deductum, qui Pontificatum, id eſt, Romæ ac totius prope Italiæ dominatum anxie affectantes inteſtinis jam pridem ſeditionibus civitatem ac comitia corrupiſſent. Non ſine cauſa Hadrianum I. Carolo Magno tribuiſſe, ut eccleſiam ordinaret & Pontificem legeret. Hadrianum III. qui libera ex omni parte Comitia effeciſſet, plus dignitati quum quieti eccleſiæ ſtuduiſſe. Nam libertate populo in Comitiis reddita Romanos indies deteriores effectos. Nimirum hanc libertatem coërcendam eſſe, neque aliud frænum acrius injici poſſe, quam ſi Hadriani conſtitutio renovetur. Itaque relatione facta, & re in diſceptationem adducta præſente atque aſſentiente conventu ſic ſtatuit &c.* Idem *lib.* 8. *hiſt. Ad quorum libidinem coërcendam Leo VIII. Pontifex legem retulit ab Hadriano I. latam, deinde à tertio abrogatam, ne Pontifex deſignatus ſine Regis auctoritate iniret &c.* Primus fuit Hildebrandus, qui

Regum auctoritatem hac in parte ſubvertit. Primus, inquam, Hildebrandus, impurum illud portentum ac Paparum prodigium, qui diviſit orbem terrarum ſuæ ſerviens ambitioni, immani quodam auſu, inter flammas & ſanguinem. Onuphrius Panvinius: *Primus omnium Romanorum Pontificum Gregorius VII. armis Normannorum fretus, opibus Comitiſſæ Mathildis, mulieris per Italiam potentiſſimæ confiſus, diſcordiaque Germanorum Principum bello civili laborantium inflammatus, præter majorum morem, contempta Imperatoris auctoritate & poteſtate, cum ſummum Pontificatum obtinuiſſet, Cæſarem ipſum, à quo, ſi non electus, ſaltem confirmatus fuerat, non dicam excommunicare, ſed etiam Regno imperioque privare auſus eſt. Res ante ea ſecula inaudita &c.* Add. Ziegler. *d. loc. n.* 46. *& ſeq.* In Gallia etſi tempus, quo idem ibi Papa quod alibi uſurpavit, auctoritas tamen Regia tandem multum præpotuit. Conſtat certe ex Concordatis, quæ inter Franciſcum I. & Leonem X. Papam, quod omnium Prælatorum electio & conſtitutio fere ad Regem tantum pertinet. Fr. de Roye *Inſt. jur. Can. tit.* 11. In Belgio autem vi pacti inter Carolum V. & Clementem Papam VII. electio quidem cleri, ſed non libera & abſoluta. Nominabat Cæſar, quem vellet eligi. Nec electus niſi is quem Cæſar nominaſſet. Vid. *lib.* 2. *de Nobilit. cap.* 41.

Omnis porro electio eſt vel juſta vel injuſta. Juſtam vocant Canonicam. Ea autem Canonica, quæ poſt mortem & ſepulturam fit ultimi deceſſoris, *cap. bonæ memoriæ* 36. *ext. de elect. & el.*

pet.

pat. c. nullus 11. *diſt.* 79. Ad quam omnes vocantur, qui habent jus eligendi, *cap.* 21. *ext. eod.* Quæ in loco conſueto fit *cap.* 24. *ext. eod.* Quæ die & hora præfixis, & quam de digno eligendo juramentum præcedit. Verum primum quod attinet exceptio eſt in Papa. Qui quando eligatur, ante an poſt ſepulturam deceſſoris, non refert. Philippus Francorum Rex apud Petrum de Vineis *lib.* 1. *epiſt.* 35. *O Petri Sedes*, inquit, *quanto tempore vacaviſti, cujus ſucceſſor exolvens naturale debitum mauſoleo recludi minime conſuevit, niſi ſucceſſore primo concorditer ſubſtituto.* Quod ad alterum, neceſſe eſt, ut citentur etiam abſentes. Si non citati nominatim, electio etiam non habet vim, quamvis tamen non neceſſe, ut adſit abſens invitus. Votum perdit ſi non adſit, niſi uni ex Canonicis id dicendum committat. Alii non poteſt; *cap. quod ſicut cap. cum inter univerſas cap. ſiquis juſto* §. *illud autem ext. de elect. & el. pot. cap. ſiquis juſto ext. eod. in* 6. niſi id expreſſe etiam Capitulum permittat, *d. cap. ſiquis juſto.* Alteſerr. *ad d. cap. Quia propter.*

Viæ eligendi ſeu modi olim tres, Scrutinii, Compromiſſi, & Spiritus ſancti. Fr. Florens *ad tit. de elect. & el. pot. tit.* 4. *p.* 175. *& ſeqq.* Jan. à Coſta *in Summ. ad d. tit.* Vid. & quod dixi ad Anonym. *in not. p.* 119. *&* 127. Se ipſum nemo eligit *cap. ult. ext. de inſtit. cap. per noſtras ext. de jur. patr.* niſi actum id expreſſe, cum electio per compromiſſum fit, ut compromiſſariis poteſtas ſit eligendi unum etiam ex ſe ipſis, *cap. in cauſis, cap. cum in jure ext. de elect. & el. pot.* Quo jure

cum collata eſſet à Pariſienſi Capitulo in tres è Canonicis poteſtas eligendi, & rurſus eadem in Mauricium unum ex illis tribus, idem Mauricius ſe eligens nominavit. Cæſar Heiſterbacħenſ. *lib. 6. de miracul. cap.* 19. *Cum noſtris temporibus Pariſiis vacaret epiſcopatus & electores inter ſe concordare non poſſent, tribus ſua vota commiſerunt, qui tres cum in unam convenire non poſſent perſonam, magiſtro Mauritio, qui unus trium erat, duo ſuam dederunt auctoritatem, ut quemcunque ipſe nominaret epiſcopus eſſet. Et quia idem Mauritius, ut rei exitus probavit, magis cupiebat prodeſſe quam praeſſe, ſe ipſum nominavit.* Nec multum res iniqua eſt. Juxta Auream enim Bullam idem poteſt facere Elector Imperii. Et revera etiam id fecit Rex Hungariæ Sigiſmundus. Ut Marchio Brandenburgenſis cum veniſſet ad Comitia, & de Cæſare nominando ob regiam dignitatem rogatus primus ſententiam, ſe ipſum nominavit, *Me*, inquiens, *ego novi*, *alios non itidem, an æque mecum imperio orbis digni ſint, præſertim in tanto rerum motu, quo Italia quoque ſchiſmate ibi durante plurimum laborat.* Simile exemplum etiam habet de quodam ordinis Teutonici Magiſtro Æneas Sylvius in Europa *cap.* 29. Clemente V. defuncto cum diſſiderent Purpurati, & tandem eſſet compromiſſum in Jacobum Cathurcum Cardinalem Portuenſem, ut Papam diceret quem vellet, rapta is occaſione ſtatim dixit ſe ipſum, ſtupentibus tamen ceteris, ut Nic. Burgundus ait *hiſt. Bavar. lib.* 1.

TITULUS XIII.

DE

Electi poteſtate & ejus confirmatione.

Poſtquam quis electus jus in re nondum habet. Habet tantum jus ad rem, jus petendi confirmationem, per quam conſequitur jus in re, *cap. avaritiæ ext. de elect. & el. pot.* Jus ad rem habet, quod electores, poſtquam facta eſt electio, variare amplius non poſſunt, *cap. cum inter Canonicos cap. publicato ext. de elect. & el. pot.* Jus in re autem idcirco non, quod neceſſe, ut electum prius Papa confirmet. Ante confirmationem qui electus poteſtatem adminiſtrandi non habet *cap. qualiter, cap. cum in cunctis §. cum vero ext. de elect. & el. pot. cap. cum jam dudum ext. de prabend.* niſi extra Italiam & à Curia degat remotior, & immediate ſit ſubjectus Romano Pontifici, cui interim ex gratia adminiſtratio permittitur, modo nihil alienet, *cap. nihil eſt §. epiſcopi ext. de elect. & el. pot.* Confirmatus & diſponit & adminiſtrat prout placet. Habet juriſdictionem, & quæ præterea ad eam pertinent. Confirmare etiam poteſt, & beneficia conferre. Poteſt excommunicare. Poteſt inveſtire, & juramenta recipere à vaſallis eccleſiæ, *cap. noſti cap. transmiſſam ext. eod. cap. 1. ext. de tranſlat.* Jan. à Coſta *Summar. de elect. & el. pot.* Idem propter contractum quaſi vinculum conjugale inter ipſum & eccleſiam transferri poſtquam confirmatus ſine

Papæ

Papæ auctoritate ab ea ad aliam non poteſt *cap. inter corporalia ext. de tranſlat.* Electio præcedit. ſed ſola hæc non ſufficit. Neceſſe eſt, ut qui electus electioni de ſe factæ intra menſem conſentiat, & petat confirmationem dein intra trimeſtre, *can. poſtquam diſt.* 50. *cap. ne pro defectu ext. de elect. & el. pot. cap. quam ſit ext. eod. in* 6. Et nec ſufficit confirmatio. Petita hac & accepta requirenda adhuc conſecratio. Et neceſſe ut id fiat intra aliud trimeſtre *can. quoniam diſt.* 75. *can. quoniam diſt.* 100. Olim metropolitanus adhibitis aliquot ſuffraganeis & electum examinabat, & ſi habilis confirmabat. Lapſu temporis conſecratio, cum confirmandi poteſtatem ſibi Papa vindicaſſet, ei tantum conceſſa. Ziegler. *lib.* 2. *de epiſcop. cap.* 8. Examinis autem exemplum, dignum certe quod legatur, inſtituti ab Hincmaro Remenſi Archiepiſcopo, cum conſecrandus eſſet Willebertus Catalaunenſis epiſcopus, videri poteſt in appendice, quæ ad *to.* 2. *eſt Concil. Gall. formul.* 11. Quod ſi tempus, quod dixi, electus negligat aut contemnat, beneficia, quæ habet, vacant, & ut vacantia conferri poſſunt, *d. cap. cum in cunctis* §. *cum vero*; etſi Papa connivente tam ſtricte id vix ſervatum, cum jam olim obtinuerint, etiam per multos annos, etſi nec confirmati nec conſecrati, eccleſias, ut exemplum exhibet Joannes Bavarus Alberti Ducis filius, electus Leodienſis; qui & cauſam præbuit propterea funeſtiſſimo, quod ſecutum eſt, cum Leodienſibus bello. Queritur de eo Matthæus Paris ad Ann. 1251. *His diebus*, inquit, *ſub eiſdem*

dem confirmati ſunt electus Wintonienſis Athelmarus domini Regis frater uterinus, & Roffenſis electus, Magiſter Laurentius de ſancto Martino, quibus conceſſum eſt per aliquot annos ſequentes reditus prius obtentos retinere, & ſic jam in conſuetudinem & uſum hæc abuſio ſuſcitatur, ut quis ad epiſcopatum vocatus non epiſcopus permaneat, ſed Electus, ut ſcilicet Paſtor non paſcat ſed paſcatur, & ut epiſcopus priſtinos reditus retineat, ut multiforme monſtrum habeatur, & ut aliquis epiſcopus ad alium epiſcopatum ditiorem poſtulatus transferatur, ut una eeclesia alterius pellex habeatur. Idem ad Ann. 1253. *Cæterum, quod videre non conſuevi, concedit Papa ob favorem ſecularem, ut aliquis epiſcopatum obtineat, nec tamen epiſcopus exiſtat, ſed electus ſempiternus, quod tantundem ſignificat, ut lac & lanam habeat ovium, lupos tamen non abigendo, priſtinos etiam reditus retinendo.* Moris olim Ultrajecti, ut factam electionem cum omnibus actis & inſtrumentis clerus mitteret ad Papam, ut confirmaret eam petens, & injungere Archiepiſcopo ut conſecraret dignaretur. Qui nondum confirmatus *Electus* tantum dictus, Confirmatio cum acceſſiſſet *Electus* & *Confirmatus*, ut verbi gratia: *Wy Sweder by der genaden Gods ende des Heyligen Stoels van Romen Elect ende Confirmeert t'Utrecht.* Et majus jus confirmati etiam hactenus Ultrajecti; quod jus dicendi Prætorem confirmatus tantum habuit. Dum electus, non confirmatus, interim Proprætor erat Conſul Primarius. Hortenſ. *lib.* 3. *hiſt.* Nec paſſim Papa confirmabat. Interdum

& re-

& recuſabat, ſi ei ita videretur *c. qualiter ext. de elect. & el. pot.* ut exemplum illuſtre eſt, in Johanne Naſſovio, in Rudolpho van Diepholt. Vid. Bek. & Hed. Et nec laicum confirmabat, nec nothum aut ſpurium, niſi aliter ei viſum ex plenitudine poteſtatis, *cap. 2. ext. de inſtit. in 6. c. licèt* 14. *c. dudum ext. de elect. & el. pot. cap. 6. extr. de tranſact.* Fr. de Roye *proleg. ad tit. de jur. patr. cap.* 26. Exempla etiam in promtu Johannis nimirum Bavari & Davidis Burgundi. Interim extra controverſiam quod proprie hæc epiſcopum electio, confirmatio, & conſecratio faciebant. Proprie autem idcirco, quod ſpiritualia hæc conferebant. De temporalibus epiſcopi inveſtiti a Cæſare. De Ottone II. Joh. de Beka: *De conſenſu metropolitani ſui ſuſcepit epiſcopalem benedictionem apud Frankevordiam, ubi conſimiliter à Frederico Cæſare temporalem acceptavit juſtitiam.* Idem in Goſuino: *Dominus autem Cardinalis ad poſtulationem Archiepiſcopi Colonienſis ex tunc Henricum de Viana cathedrari juſſit, cui ſimiliter & ipſe Rex per paſtoralem baculum & annulum temporalem juriſdictionem dedit.* Helmold. *Chron. Slav. lib.* 1. *cap.* 69. *Epiſcopos inveſtire ſolius Imperatoriæ majeſtatis eſt.* De temporalibus recte. Ratione horum non habita de ipſo epiſcopatu, poſtquam ſic convenit inter Papam Calixtum & Henricum V. Imperatorem, electum Papa inveſtivit. Goldaſt. *to.* 1. *conſt. imp. p.* 258. *& ſeq.* Ziegl. *lib.* 2. *de epiſc. cap.* 2. *n.* 63. De quo cum quæſtio rurſum inter Papam & Fridericum Barbaroſſam egregie Fredericus apud Radevicum

lib.

lib. 2. hiſt. Epiſcoporum Italiæ ego quidem non affecto hominium, ſi tamen & eos de noſtris Regalibus nihil delectat habere. Qui ſi gratanter audierint à Romano Præſule, quid tibi & Regi? conſequenter quoque eos ab Imperatore non pigeat audire, quid tibi & poſſeſſioni? Unum id tantum addam, quod conſecratio, cum confirmatum adhuc fortius confirmet, confirmatio etiam dicta. Joh de Beka in Jacobo de Outshoern: *& Jacobus de Outshoern per confirmationem Henrici Colonienſis Archiepiſcopi* XLIV. *eſt effectus epiſcopus.* Heda *in Baldrico: Qualiter ego Baldricus Trajectenſis Præſul indignus cum poſt mortem Reverendi patris Dn. Radbodi* XIV. *Trajectenſis epiſcopi vocatus fuiſſem in epiſcopum Trajectenſem, & à metropolitano videlicet Colonienſis eccleſiæ Archiepiſcopo confirmatus & conſecratus &c.* Proprie alioquin ad Coloniénſem pertinebat tantum conſecratio, ut electo Henrico Bavaro Ann. 1524. in inſtrumento ejuſdem anni: *Quapropter ſanctiſſimo in Chriſto patri ac domino noſtro Domino Papæ tam devote quam humiliter unanimi voto ſupplicarunt, quatenus dictam electionem ſic concorditer, ſolemniter, & canonice factam & celebratam confirmare, ac eidem Dn. Electo munus conſecrationis impertiri mandare dignaretur &c.*

TITULUS XIV.

DE

Poſtulatione.

IN nonnullis conveniunt in pleriſque autem differunt poſtulatio & electio. Conveniunt in eo, quod debet utraque eſſe concors, aut ſaltem majoris partis. Nam quod major pars egit, cenſentur omnes egiſſe, *cap.* 1. *de h. qu. ſi à maj. part. Cap. l. quod major ff. ad municip.* Quod ſi alium pars poſtulet, alium pars eligat, poſtulantium quam eligentium duplo major debet pars eſſe *cap. ſcriptum ext. de elect. & el. pot.* Alteſerr. *ad cap. gratum ext. de poſtulat. Prælat.* Differunt autem in his: Electio juris ordinarii eſt. Poſtulatio fit extra ordinem *cap.* 3. *ext. de poſtul. Prælat.* Electio tribuit jus ad rem *cap. avaritiæ ext. de elect. & el. pot. in* 6. Poſtulatio fere nullum. Papæ gratia hæc tantum nixa, & ex nutu ejus pendens *cap.* 5. *ext. de elect. & el. pot. d. cap.* 3. *ext. de poſtul. Prælat.* Poſtulatio nihil aliud quam unanimis petitio per quam qui juxta Canones ad dignitatem eccleſiaſticam aſſumi non poteſt, ad eam tamen ex gratia & ex diſpenſatione à ſuperiori admittitur *cap.* 23. *ext. de elect. & el. pot.* Qui Antiſtes jam, non poteſt eligi, ſed poteſt tamen poſtulari, *cap. cum inter Canonicos ext. de elect. & el. pot.* Dicitur poſtulari, qui eligi non poteſt, *cap. ult. ext. de poſtul. Prælat.* ut ſi defe-

ctum

ctum patiatur quis in natalibus, in ordinibus, in ætate *&c. cap. dudum cap. innotuit ext. de elect. & el. pot. cap. eam te & cap. præterea ext. de ætat. & qual. & ord. præf. cap. capientes §. denique ext. de elect. in 6.* ſi ad aliam eccleſiam evocetur aut epiſcopus, aut Cardinalis, aut Abbas *d. cap. 3. ext. de poſtul.* * Inter hos enim & eccleſias, quibus ſinguli ſunt præfecti, cenſetur quaſi conjugium, & conjugium ejuſmodi, quod niſi à Papa diſſolvi non poteſt. *c. ſiquis* 7. *qu.* 1. Anonymus quem primus edidi Anno 1690. *cap.* 26. *Ab omnibus convenitur in Dominum Wilbrandum Paderbornenſis eccleſiæ tunc epiſcopum. Pro cujus poſtulatione honeſti nuncii ad Curiam & ad Dominum Papam transmittuntur.* Juſtell. *ad d. can eccleſ. Afric.* Ziegler. *lib.* 2. *de epiſcop. cap.* 12. *pr. & lib.* 4. *cap.* 21. *n.* 4. *& ſeq.* Sic in ſe traxit Papa, quod olim non fiebat niſi metropolitani & Comprovincialium epiſcoporum conſenſu, cauſa ſcilicet prius cognita, utrum evidens eccleſiæ id flagitaret utilitas, *can. epiſcopus* 37. *c.* 7. *qu.* 1. ut exempla in eam rem apud Socrat. *lib.* 7. *c.* 31. *&* 39. Theodoret. *lib.* 5. *cap.* 4. *&* 8. Strauch. 1. *amœn.* 1. *c.* 7. *& ſeq.* Ex generali privilegio B. Petro conceſſo, ſed quod Orbis nondum vidit, Papæ vindicat abſolute id Innocentius Papa Tertius *c. cum ex illo ext. de tranſl. epiſc.* Laicus proprie etiam dicitur poſtulari non eligi, *cap. cum monaſterium* 13. *ext. de elect. & el. pot.* Unde & Engelbertus frater Ducis Clivenſis, quem Davidi Burgundo propter morum duritiem & Ordinum privilegia parum recte obſervata ſubſtituerant

* Concil. Sardic. *can.* 1. *Ne cui liceat epiſcopo de civitate ſua ad aliam tranſire civitatem.* Codex *can. eccl. Afr. cap.* 48. *Etiam in Capuenſi plenaria Synodo videtur ſtatutum, ut non liceat fieri rebaptizationes, reordinationes, vel tranſlationes epiſcoporum.*

 Tra-

Trajectenſes, quod & laicus & adoleſcens in chartis paſſim *Poſtulatus*. Sæpe hæc tamen confunduntur, *Electus* dicitur *Poſtulatus*, & Poſtulatus, Electus, *can. Statuimus* §. *his omnibus can. Oſius & ſeq. diſt. 6. & can. Valentinianus diſt.* 63. Sic vocatus Joannes Bavarus Alberti Ducis filius ad Leodienſem epiſcopatum, etſi proprie *Poſtulatus*, nam laicus & nondum Presbyter, *Electus* dicitur tamen paſſim, & ſic ſe ipſum etiam vocat. Charta apud Mantel. *in addit. ad hiſt. Loſſenſ. Ann.* 1411. *Wy Johan van Beyeren by der genaden Goits Elect van Ludick ende Grave van Loon &c.* Poteſt eligi ad Præſulatum etiam Presbyter aut Diaconus alterius eccleſiæ, *d. cap. cum inter Canonicos*. Alterius Præſul non poteſt *cap. ad hoc & cap. gratum ext. de poſtul. Prælat.* Nec ea inter clericum, Presbyterum ſcilicet aut Diaconum, & eccleſiam conjunctio, qualis inter epiſcopum & eccleſiam cui præeſt, *cap. cum requiſiſti ext. de teſt.* Non abſurde autem dicitur poſtulari, non eligi, qui eligi non poteſt. Nam, quod poſcenti per gratiam datur, etiam dicitur poſtulatum. Sic *poſtulatitius* gladiator, qui extra ordinem conceſſus. Senec. *epiſt.* 7. *Hos plerique ordinariis paribus & poſtulatitiis præferunt.* Nummi etiam *poſtulati*, ſed alio prorſus ſenſu, non quod cuſi extra ordinem, ſed quod cuſi à Poſtulato. Chapeavill. *de geſt. Pontif. Leodienſ. cap. 3. to. 3. Cujus impatiens Præſul indicit mulctam unius Poſtulati Hornenſis.* Charta apud Schotan. *in additam. ad hiſt. Friſ. Ann.* 1481. *ende ick ſal deſſen vurſchreven Tonis ende Pieter geven dubbelde ſoldye, ende elker*

knecht

knecht twe golden Poſtulaet gulden. Et hi vel aurei erant vel argentei. Et vidi aureum ejuſmodi, ex auro nimirum cuſum, Rudolphi van Diepholt, apud virum Ampliſſimum Danielem de Milan Senatorem, Scabinum, & Camerarium Trajectenſem. Sed an omnes ejuſmodi, ex auro nimirum cuſi, in chartis aurei vulgo dicti, id dictu difficile eſt. Nam & paſſim floreni aurei, floreni aurei Rhenenſes, *Gontguldens* ut vulgo, quos argenteos tamen conſtat. Charta Ann. CIↃ.CCCC.LXIII. *dedit & donavit &c. octuaginta octo florenos poſtulatos aureos, & duodecim denarios argenteos, vulgariter ſtuvers nuncupatos* &c. Sed & multum hi rurſum differunt ab argento *Poſtulato*, quod & alii *puſulatum*, cujus meminit Alfenus in *l.* 31. *ff. loc. cond.* Sueton. *in Neron. cap.* 4. Puſtulatum, id eſt, merum, & idcirco *Puſtulatum*, quod vulgo in coquendo aſſurgat in puſtulas. Cuj. 7. *obſ.* 39.

TITULUS XV.

DE

Renunciatione.

UT nefas de eccleſia ad eccleſiam tranſire, propter vinculum quod intercedit, quod inſtar vinculi conjugalis, ſic nefas quam quis nactus eam rurſum deſerere. Deſeri rurſum non poteſt non magis quam poteſt uxor, *cap. cum inter ext. de elect. & el. pot. cap. licet cap. quanto ext. de tranſl. epiſc.* Caroli Magni *Capitul. lib.* 5. *cap.*

28. *Clericum permanere oportet in eccleſia, cui in initio ab epiſcopo prætitulatus eſt* &c. Ratherius Veronenſis apud d'Achery *to. 2. Spicil. de contemptu canon. part.* 1. *Eccleſiæ*, inquit, *non licet dimittere epiſcopum ſuum, ut alterum vivente eo accipiat, ne fornicationis vel adulterii crimen incurrat.* Poteſt tamen ex cauſa, ut ex cauſa etiam poteſt uxor. Quid ſi criminis quis ſibi conſcius? Quid ſi gravi laboret morbo, morbo qui & diuturnus, & ob quem propriis negotiis non poteſt ſupereſſe, *cap. qualiter & cap. ſeq.* 7. *qu.* 1? Quid ſi cœcus, ſi ſenex? Robert. de Monte ad Sigebert. ad Ann. 1162. *In capite jejunii apud Cenomannos Hugo Archiepiſcopus Dolenſis cœcitate debilitatus præſentibus Henrico Rege Anglorum & duobus Legatis Romanæ eccleſiæ Henrico de Piſis & Wilhelmo de Papia reddidit Archiepiſcopatum, quem fere per ſex annos tenuerat.* Fornicatus cum diceretur Rogerus quidam Presbyter, ut renuntiaret officio ſuo, ſuaſor ei & auctor fuit Ivo Carnotenſis, quod exemplo parochianis ſuis noceret magis quam prodeſſet. *Suadeo*, inquit, *epiſt.* 29. *ſeu vera, ſeu veriſimilia ſint, quæ dicuntur, ut à candelabro, cui ſuperpoſitus es, inventa honeſta occaſione deſcendas, ne à modo fumum magis quam ſplendorem circumſtantibus offundas.* Et quid ſi criminis non conſcius? Quid ſi promotionis injuſtæ aut vitioſæ? *Currite*, inquit Petrus Bleſenſis *epiſt.* 44. *ad conſcientiæ veſtræ teſtimonium, & ſi inveneritis vos minus canonicum habere ingreſſum, ſitis ſolliciti de egreſſu. Nam hic reſignatio habet locum. Beato enim Gregorio teſte, qui in ovile*

ovium

ovium non per oſtium, ſed aliunde aſcendit, ad æternæ ſalutis bravium in vanum ſe fatigat, niſi honorem, in quo deliquit, penitus derelinquat. Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio facta de epiſcopatus ceſſione. Privatam eligite vitam, ſi recolitis conſcientiam veſtram jam dictæ promotionis obtentu fuiſſe vel in modico vulneratam. Quid ſi populus ſit contumax, ſi obſtrepat ſemper, ſi ſpernat, ſi non obediat, non audiat? Dimiſſionem cum peteret Gregorius Nazianzenus Conſtantinopolis Archiepiſcopus inter ceteras, quas reddit cauſas, exprobratum ſibi conqueritur, *quod nec menſa lauta & opipara, nec veſte magnifica eſſet uſus, nec ſplendide in publicum prodiiſſet, nec ad eos, a quibus conveniebatur gravitatem & faſtum adhibuiſſet.* Non dico cauſam hanc ſatis juſtam, ſi non alia concurrant. Vid. Theodorit. *lib.* 5. *hiſt. cap.* 8. Sed utrum, hæc quæ concurrunt, juſtam faciant necne, Superioris arbitrio, aut metropolitani, aut Synodi Provincialis, aut ut vulgo etiam Papæ, relinquatur neceſſe eſt. Ziegler. *lib.* 2. *de epiſcop. cap.* 13. *n.* 9. Sane ſenium cum prætenderet epiſcopus Londinenſis ceſſionem tamen non admiſit Alexander Papa Tertius. *Vergente enim deorſum conditione corporea, fervor*, inquit, *ſpiritus in ſublimiora conſcendit*, *cap.* 1. *ext. h. t.* Pure etiam renuntiandum, ſimpliciter, & abſolute, non in favorem tertii *cap. quæſitum ext. de rer. perm.* Vivo enim ex cauſa quamvis detur Coadjutor, *c. petiiſti* 7. *qu.* 1. *cap. ex parte ext. de cleric. ægrot.* nemo tamen ſibi vivo poteſt alium ſufficere. Greg. Magn. *lib.* 7. *epiſt.* 50. & *lib.* 11.

 qu. 8.

qu. 8. Siquid hactenus olim factum, non aliter fuit factum, quam cauſa cognita & diſcuſſa, maturo inprimis cleri populique conſenſu. Singulare eſt exemplum, quod habet de Martyrio epiſcopo Antiochiæ Theodorus Lector *lib.* 1. *hiſt.* qui cum Petro Fulloni epiſcopatum affectanti ſtudentem videret populum, eoque eum concitante adverſum ſe tumultuantem, malorum vocibus tandem fractus, coram tota eccleſia, *Clero,* inquit, *contumaci, & populo immorigero, & eccleſiæ contaminatæ renuntio, ſervata mihi Sacerdotii dignitate*, κλήρῳ ἀνυποτάκτῳ, καὶ λαῷ ἀπειθεῖ, καὶ ἐκκλησίᾳ ἐρρυπωμένῃ ἀποτάττομαι &c. De eo ni fallor conſtat, quod qui ſemel renunciavit electioni de ſe factæ variare iterum non poſſit, nec alterius electionem quovis modo impedire, *can. quam periculoſum* VII. *qu.* 1. *cap. ex tranſmiſſa* 7. *qu.* 1. Nec actio datur nec appellatio, ſi electio rurſum fiat. Nam & agit & appellat is tantum cujus intereſt, *l.* 1. *ff. de appell. recip. l. ſi procuratorem ff. mand. cap. cum inter ext. de el. & elect. pot. cap. e parte ext. de teſtib. cap. ſuper his ext. de accuſ.* Alteſerr. *ad d. cap. cum inter.*

TITULUS XVI.

DE

Presbyteris.

Presbyteri olim & epiſcopi, ut jam dixi, iidem. Sed poſtquam cœpit diſtingui prælati ipſis epiſcopi. Epiſcopis tamen proximi. Et niſi primum Presbyter ne epiſcopus quidem quiſquam, ut niſi primum Diaconus ne Presbyter quidem quiſquam. Gradus erant clericorum. Et fiebat promotio, ſeu ſi mavis, ordinatio, de gradu in gradum. Vita S. Liudgeri apud Mabillon. *ſecul.* IV. *act. ord. S. Bened. lib.* 1. *cap.* 5. *Horum prior in Levitarum obiit gradu, junior non pervenit ad gradum.* Ibid. *cap.* 9. *Non enim fuerat idem Gregorius ad gradum epiſcopalem ordinatus, ſed Presbyteri perſeveravit in gradu.* Et mox: *eundem Alubertum ordinavit Epiſcopum, Sigiboldum Presbyterum, Liudgerum Diaconem.* Luc. d'Achery *ad Lanfranc. d. epiſt.* Eligi quidem potuit, qui nondum Presbyter, epiſcopus, ſed quamdiu nondum Presbyter, Electus dictus, non Epiſcopus, ut Electus Leodienſis Alberti Ducis filius Johannes Bavarus Jacobæ patruus. Unde & mutuum illud odium, grave & atrox bellum, quod inter ipſum & Leodienſes, quod quamvis jam Electus fieri Presbyter tamen nollet. Sacerdos, Presbyter, Plebanus, Papa, Parochus, Curatus, Paſtor, ſynonyma. A cura *Curatus.* A

 tem-

templi cura aut eccleſiæ. A plebis cura *Plebanus.* Plebs utrumque ſignificat & populum & eccleſiam, in qua plebis conventus. Charta Ottonis Magni apud Meibomium append. ad Witichind. *Confirmamus & corroboramus eccleſiæ S. Dei genitricis & virginis Mariæ &c. omnes plebes, abbatias, xenodochia, atque cortes &c.* Synodus Carthaginenſis habita Ann. ıɔxxv. apud d'Achery *to. 6. Spicil. ut defuncto Primate, non ſucceſſor plebis illius aliquam in nobis haberet licentiam, ſicut eſt moris in ſubditis, ſed neque plebi nos vicinæ aliquando ſubjecimus, aut epiſcopis vicinis &c.* Narratio reſtaurationis Abbatiæ S. Martini Tornacenſis apud d'Achery *to. 7. Spicil. illis tantum eccleſiis quæ plebes vocantur deberi decimas indicat &c.* Munus ejus præcipuum eſt curam gerere animarum, plebi ſacramenta eccleſiaſtica adminiſtrare, audire confeſſiones, prædicare, admonere, cantare miſſam &c. Primus presbyterorum, qui primas tenet poſt epiſcopum, Archipresbyter vulgo. Archipresbyter, qui parochis ſeu parochialibus epiſcopis præeſt in diœceſi, qui obſervat eos, viſitat, & de vita eorum ac moribus ad epiſcopum refert. Unde & πρωτοπρεσβύτερος, & recentioribus Græcis etiam πρωτοπαπᾶς. Socrat. *lib. 6. hiſt. eccleſ. cap. 9.* Latinis etiam Decanus. *Statuta Ultrajectina majoris eccleſiæ: Decanus noſter presbyter eſſe debet, qui etiam in eccleſia noſtra vices Archipresbyteri gerit in his, quæ de conſuetudine ad Archipresbyterum vel de jure pertinere noſcuntur* Nomen ductum id a militia. A numero ſcilicet ſubjectorum *can. in capite*

pite diſt. 50. *can. nullus & ſeq. diſt.* 60. *can. nullus omnino* 16. *qu.* 7. *cap. cum Apoſtolus ext. de cenſib. cap.* 2. *ext. ne Prælat. vices ſuas vel eccleſ. ſub ann. cenſ.* Senſim etiam tranſlatum ad quodvis collegium. Qui ei præeſt *Decanus*, etſi aut plures aut pauciores quam decem. In ſpiritualibus etiam qui præficitur certis locis, *Decanus. Decania* tractus, territorium, ſeu regio, cui præeſt. Caroli Calvi Capitula *tit.* 3. *Statuant epiſcopi loca convenientia per Decanias, ſicut conſtituti ſunt Archipresbyteri.* Alteſerr. 1. *diſſ. jur. Can. cap. ult.* Archipresbyter autem, de quo ſermo, ratione ordinis Archidiacono quidem multum ſuperior, poteſtate autem & dignitate eodem rurſum inferior. *c. perlectis diſt.* 25. *cap.* 2. *ext. de offic. Archidiac. can. ſed vacat* 11. *qu.* 3. *can.* 7. *ſextæ ſynodi in Trullo.* Et hinc Alexius Comnenus apud Cotelerium 2. *monum. eccleſ. Græc. cap.* 22. πρωτοδιάκονος τὶς εἴη, πρῶτος μὲν τῶν διακόνων ἐστὶν, ἔσχατος δὲ τοῦ ἐσχάτου τῶν ἱερέων· ὁ μὲν γὰρ ἱερεὺς &c. Strauch. 8. *amœn. cap.* 5.

Cuique olim eccleſiæ unus tantum Sacerdos; qui perinde ei affixus ac maritus uxori, *can. neminem can. Sanctorum diſt.* 70. Anaſtaſ. Biblioth. *in vit. Evariſt.* Sed cum numerus fidelium in tantum eſſet auctus, ut unus omnibus non ſufficeret, cuique adhuc alii in ſubſidium adjuncti, qui *nocturnum* ſcilicet *& diurnum officium ſolenniter adimplerent, & miſſarum celebrationes quotidianis explerent cæremoniis*, ut eſt in *can.* 8. *Nannet. Concil.* Paſſim hinc *minores clerici*, quorum ſcilicet intuitu Plebanus, ſeu qui Rector paro-

parochialis eccleſiæ, *majoris ordinis* Sacerdos,& Archipresbyter dicitur apud Agobardum *lib. de privil. & jur. Sacerd. cap.* 11. *& cap. ult. ext. de offic. Archipresb.* Walafrid. Strabo *lib. de reb. eccleſ. cap. ult. Centenarii qui & centenariones vel Vicarii, qui per pagos ſtatuti ſunt, Presbyteris plebium, qui baptiſmales eccleſias tenent, & minoribus Presbyteris præſunt, conferri queunt, Decuriones vel Decani, qui ſub ipſis Vicariis quædam minora exercent, minoribus Presbyteris titulorum poſſunt comparari.* Fr. de Roye *ad cap. poſtulaſti ext. de jur. patron.*

TITULUS XVII.

DE

Diaconis, Subdiaconis, Acolythis &c.

Diaconus nihil aliud quam miniſtrum ſignificat. Sacrorum, Sacerdotis, ſeu Parochi miniſter, dum ſilentium indicit, dum exequitur imperata, dum ſedenti tantum adſtat, dum calicem ſacra facturo porrigit, unde & καυκοδιάκονος, καῦκος enim calix, *can. non oportet diſt.*93. Gregor. Turonenſ. *lib.* 2. *cap.* 8. *Unde factum eſt, ut quadam die Dominica, poſtquam Diaconus ſilentium populis, ut miſſæ auſcultarentur indixit.* Chryſoſtom. *in Matth. homil.* 33. διά σε κάθηται ὁ πρεσβύτερος, διά σε ἕστηκεν ὁ διάκονος πονῶν καὶ ταλαιπορούμενος, *tui cauſa Presbyter ſedet, tui cauſa ſtat Diaconus, laborans & afflictus.* Anaſtaſ. Biblioth. *de vit. Pontif. in Martin. Sedentibus*

tibus epiſcopis & Presbyteris, *adſtantibus Diaconis*, *& clero univerſo.* Alteſerr. 1. *diſſert.* 13. Du Cange ad Ann. Comnen. *lib.* 3. *hiſt.* Miniſter pauperum dum ſuccurrit iis & eleemoſynas largitur. Ubique id faciebat, ſed plerumque in *Diaconiis.* Quæ certæ erant ſtationes & loca ad id deſtinata. Anaſtaſ. Biblioth. *de vit. Pontific. in Benedict. II. Hic dimiſit omni clero*, *monaſteriis*, *Diaconiæ*, *& manſionariis auri libras triginta.* Idem in Adriano: *Conſtituit Diaconias tres foras portam beatorum Apoſtolorum Principis.* Miniſter etiam epiſcopi, dum juſſu ejus baptizat, juſſu ejus egenos viſitat, geſta martyrum excipit, fideles monet, inſtruit, ad fidem, ad pietatem, ad conſtantiam hortatur, clamando etiam dum fiunt ſacra, *Surſum corda.* Tertullian. *libr. de Baptiſmo cap.* 17. *Dandi quidem*, inquit, *habet jus ſummus ſacerdos*, *qui eſt epiſcopus: dehinc Presbyteri & Diaconi*, *non tamen ſine epiſcopi auctoritate*, *propter eccleſiæ honorem.* Cyprian. *epiſt.* 11. Petav. *lib.* 2. *diſſert. eccleſ. cap.* 1. *n.* 4. Alteſerr. ad *Anaſtaſ. de vit. Pontif. in Fabiano.* Martyr. Raban. apud *Caniſ. to. 6. antiq. lect. ad* XIII. *Calend. Februar.* *Levita* etiam alibi, ut apud Ennodium de vita Epiphanii: *In quo ſecundo à Levitis numero dedicatus ſenum cœtibus puer adjunctus eſt. Secundo*, inquit, *à Levitis.* Nam Subdiaconum intelligit. Plures Subdiaconi in eadem eccleſia, Archidiaconus tantum unus, qui & *magnus miniſter.* Per eum enim epiſcopus perinde ac per Diaconum ſilentium indicebat. Hieronym. ad Pammachium: *Nonne ante ſepulchrum miſſo Archidiacono præ-*

no præcepiſti, ut talia diſputans conticeſceret? Pro populo preces offerebat, prædicabat monebat. Chyſoſtom. *homil.* 14. ad Galatas: οὗ καὶ νῦν σύμβολόν ἐστιν ὁ διάκονος τὰς ὑπὲρ τοῦ δήμου ἀναφέρων εὐχάς, *Cujus & nunc ſignum Diaconus eſt pro populo preces Deo offerens.* Ebo Rhemenſis in *opuſc. de miniſtris Rhemenſis eccleſiæ: Archidiaconi officium eſt verbum etiam faciendi ad populum in diebus feſtis providere & facere.* Fortunat. *lib.* 3. *ad Archidiaconum Meldenſem:*

Det tibi larga Deus, qui curam mente fideli
De grege Pontificis magne miniſter habes.

Eccleſiæ curabat opes. Ejus reditus diſpenſabat. In poteſtate ejus & ærarium & univerſæ res ſacræ, *can. diaconi diſt.* 93. *cap.* 1. *cap. adhac ext. de offic. Archid.* Prudent. *hymn.* 2. *Periſteph.*

Clauſtris ſacrorum præerat,
Cæleſtis arcanum domus
Fidis gubernans clavibus
Votaſque diſpenſans opes.

Archidiaconus etiam menſæ, ut *menſa Pampilonenſis* apud Innocentium Tertium *lib.* 2. *epiſt.* 121. Menſa idem quod ærarium, quod opes, quod reditus. *Menſa* Canonicorum pro eorum reditibus *c. poſſeſſiones* 10. *& cap. ut ſuper ext. de reb. eccl. n. alien.* Alteſerr. 1. *diſſ.* 10. Boſquet. *ad Innocent.* 3. *ep.* 7. Sed ſenſim aucta poteſtas, poſtquam data & juriſdictio & mixtum imperium. *cap. dudum* 11. *ext. de elect. & el. pot. cap. dilecto ext. de offic. Archid. cap. ſignificantibus ext. de nov. op. nunt. cap. licet ext. de pœn.* Poſtquam miſſio in poſſeſſionem, beneficiorum collatio intra metas terri-

territorii, & ſolemnis Abbatum inſtallatio conceſſa *cap. ad hæc cap. ut noſtrum ext. de offic. Archid. cap. cum veniſſent ext. de inſtit.* Alteſerr. *ad d. cap. ad hæc.* Quinque ejuſmodi Ultrajecti, quot eccleſiæ collogiatæ. Ingens iis jus, & quamvis ab iis ad epiſcopum appellatum, epiſcopali in eccleſiaſticis tamen par fere & æquale.

Subdiaconi Diaconos adjuvabant in ſacris. Aſſidebant apud Græcos ad fores eccleſiæ & catechumenos emittebant. Allat. *de narthec. vet. eccleſ. p.* 90. Orariis omnes inſtructi. Synod. Pictavenſ. *lib.* 2. *cap.* 5. Souchet. *ad vit. S. Bernard. Tironenſ. cap.* 44. *Orarium* mappa, manipulus, Diaconorum inſigne. *Stolam* etiam vocant, quam in lævo habebant humero. Alii etiam *phanonem.* Vid. *can. nullus diſt.* 93. *& lib.* 2. *de Nobilit. cap.* 39. Qui primus Subdiaconus ſeu qui Archiſubdiaconus in eccleſia Trajectenſi idem qui Chorepiſcopus, ſeu Decanus ruralis, ut notat Molanus *tr. de Canonic. lib.* 2. *cap.* 32. Chorepiſcopi quidem nomen, qui in qualibet diœceſi certi territorii ſpeculator & obſervator, vi Canonum ob faſtum, & quod excederet officii ſui metas, extinctum. Sed extinctum non ubique. Ut dixi diu Ultrajecti & frequenter uſurpatum Engelberti Chorepiſcopi mentio fit in charta Ann. 1155. Theodorici Dei gratia Chorepiſcopi Trajectenſis in charta Ann. 1245. Stephani de Everdingen, majoris eccleſiæ Canonici & Chorepiſcopi Trajectenſis, in charta Ann. 1364. Henrici Houberch in charta Ann. 1410. Roberti de Scoers in charta Anni 1340. Thomæ de Nykercken

ken in charta Ann. 1524. Wilhelmi Cardinalis in charta Ann. 1394. Petri de Mera, & alibi, & in actis Concilii Conſtantienſis *ſeſſion.* 15. Henrici Scatter artium & medicinæ Doctoris & Chorepiſcopi Trajectenſis, Rectoris Magnifici Academiæ Lovanienſis Ann. 1435. in Actis *ibidem.* In actis Synodi Baſilienſis Ann. 1431. *ſeſſ.* 1. non *Scatter* ſed *Stater* dicitur mendoſe, & non dicitur Chorepiſcopus ſed Decanus Trajectenſis. Quod neceſſe eſt ut intelligas de *Decano rurali.* Molan. *d. loc.* Plures poſſem memorare, ſi id rei momentum eſſet. Sed alias forſan latius.

Hieronym. *epiſt. ad Nepotian. Si lector, ſi acolytus, ſi pſaltes te ſequitur, non ornentur veſte ſed moribus.*

Sequuntur Subdiaconos Acolythi, Exorciſtæ, Lectores, Oſtiarii. Et hi ordines Clericorum Carol. Magn. *lib.* 5. *Capitul. cap.* 302. Ziegler. *de dot. eccleſ. cap.* 7. *n.* 27. Acolythi velut famuli ad lumina accendenda in eccleſiis obſtricti. Du Cange *in Acolythi.*

TITULUS XVIII.

DE

Canonicis.

* Vita S.Liudgeri apud Mabillon. *ſecul.* IV *Sanct. ord. S. Bened. part.* 1. *cap.* 14. *Sed in loco illo &c. ubi etiam nunc cœnobium eſt Canonicorum Domino famulantium.*

A cæteris diſtinctum ordinem non conſtituunt Canonici. Et ipſi partim epiſcopi; partim Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi &c. Vid. *lib.* 2. *de Nobilit. cap.* 39. & 41. * Charta Ann. 1528. qua Collegii Eyndovienſis fun-

fundatio continetur; *Quoties his caſibus Decanus celebraverit, duo Canonici in officiis Diaconatus & Subdiaconatus ſervire tenebuntur.* Duæ inprimis eorum ſpecies, Regulares & Seculares. Regulares ut mundo mortui vivebant ut monachi. Seculares non item. Seculares emittebant tantum votum caſtitatis, & ſeparatim habitabant. Regulares caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ, & habitabant communiter. Communis eorum victus, communis menſa, refectorium. Vid. Claud. du Molinet *ad Steph. Tornacenſ. epiſt.* 141. Molan. *de Canon. cap.* 12. Colvener. *ad Baldric. Chron. Cameracenſ. lib.* 1. *cap.* 25. Eidem clauſtro incluſi. Clauſtrum id cœnobium, monaſterium. * Qui præerat ei Abbas. Charta apud Miræum *notit. eccleſ. Belg. cap.* 96. Balderic. *Chron. Camerac. lib.* 2. *cap.* 43. Adam. Bremenſ. *lib.* 2. *cap.* 52. Th. Cantipratan. *lib.* 2. *apum cap.* 35. Lipſ. *Lovan. lib.* 2. *cap.* 16. Seculares non Abbatem ſed Præpoſitum habebant. Diſcrimen quod in habitu, in veſtitu non tanti. Canon diſtinguebat. Iis qui Regulares Canonicus quidem habitus, ſed monaſtica erat regula. Nam nec proprium habebant quicquam, quemadmodum monachi. Acta viſitationis Provinciarum Burdegalenſ. & Bituricenſ. apud Baluz. *tr.* 4. *miſc. p.* 377. *Cum intellexiſſet, quod licet pro Canonicis regularibus cenſerentur, communiter tamen ipſorum quilibet propriam cameram habebat, non in eodem refectorio comedebant, non eodem dormitorio converſabantur &c.* Flodoard. *hiſt. Remenſ. lib.* 4. *cap.* 20. *Poſtea tumultu infra clauſtrum Canonicorum exorto,*

* Eraſmus in colloquio, quod Perigrinationem Religionis ergo inſcripſit: *Prapoſitus dignitatis eſt nomen non ſanctimoniæ. Et ideo Canonicorum collegia nomen Abbatis libenter amplectuntur.*

G Quod

Quod ad illud autem quod dicitur, *Canonicus Regularis*, bis idem dicitur, cum ſic dicitur, ut bis idem dicitur, cum dicitur *Deſiderius Eraſmus*. Vox Græca eſt *Canonicus*. Idem quod *Regularis*. Unde Eraſmus eleganter in colloquio de *peregrinatione religionis ergo: Collegium eſt Canonicorum*, inquit, *ſed quibus à Latinis regulæ cognomen additur, medium genus inter Monachos & Canonicos, quos ſeculares appellant. In odioſis Canonici ſunt, in favorabilibus monachi. Si Romanus Pontifex fulmine feriat omnes monachos, tum Canonici fuerint non monachi. Sin idem permittat omnibus monachis uxorem ducere, tum fuerint monachi.* Sed quamvis idem dicatur bis, loquendi tamen mos hic, *diſcretionis cauſa*, ut Cujac. ait ad *tit. de præbend. & dign.* ut poſſint ſcilicet diſcerni *Seculares* & *Regulares*. Utriſque Canon ſeu Regula. Sed ſecularibus laxior. Regularibus durior. Ant. Auguſtin. 1. *de emend. Gratian.* 1. Inelegans tamen phraſis eſt, ut egregie etiam obſervat Crantzius *lib.* 3. *metrop. cap.* 15. *Deferveſcente*, inquit, *in clero religione apud eccleſias ex monachis regulares Canonici, & ex his ſeculares, ut nunc vocantur, Canonici prodierunt. Quid autem ex hac deinceps reſolutione ſit oriturum quis novit? Interpretemur hoc vocabulum. Si canon eſt regula, Canonici ſunt regulares. Quid ergo fiet de Canonico ſeculari, niſi ut regularis ſit irregularis, aut ſi id malumus regularis ſine regula &c?* Et *lib.* 7. *cap.* 50. *Sed quærimus quid ſit Canonicus ſecularis. Nam interpretatò nomine, ſi canon eſt regula Canonicus eſt regularis. Ergo ſecularis Canonicus eſt regularis, & expreſſius,*

Idem in Colloquio, quod inſcribitur Exorciſmus ſive Spectrum: *Faunus quidam ſacerdos ex eorum genere, quibus non ſatis eſt appellari Latine regulares, niſi Græce cognomen idem accinatur.*

regu-

regularis ſine regula, aut regularium irregulatio &c. Sed quod ad mores hodiernos Regulares jam pauci, præbendis pridem diſtributis, & vix relicta redituum certa pars in commune. Panormit. *ad cap. licet ext. de præbend.* Strauch. 1. *amœn.* 2. *cap.* 9. Secularium Ultrajecti olim quinque collegia. Regularium tantum unum. Et id prorſus extinctum. In foro olim frumentario, ubi Orphanotrophium jam. Collegium dicas an *Capitulum* eodem res redit. *Capitulum* autem utrumque eſt, & collegium Canonicorum, & locus conſeſſus, quod quotidie olim in conſeſſu caput Biblicum legeretur, aut ſaltem aliqua ejus pars, ſi id nimis prolixum. Ziegler. *ad c. cum veniſſet ext. de reſtit. ſpoliat.*

Canonici porro olim ſimpliciter etiam clerici. Baldric. Noviomenſ. *lib.* 1. *hiſt. cap.* 9. *Villas duas in ſtipendiis clericorum delegavi.* Canonici clerici. Car. Magn. *Capitul. lib.* 5. *cap.* 185. *Ut Canonici clerici canonice vivant.* Adam. Bremenſ. *lib.* 1. *cap.* 29. Lambec. *orig. Hamburg. lib.* 1. *p.* 45. *& ſeqq.* Et ſimpliciter etiam *monachi.* Chronic. Montis-Sereni ad Ann. CIↃ CCXXIII. Seculares alii *Capitulares*, alii non item. *Capitulares*, quibus ſtallus, quibus vox in Capitulo. Non Capitulares, quibus neutrum. Alii item præbendati, alii autem honoris. Honoris qui adſciti honoris tantum cauſa nec præbendam, nec vocem, nec domum habent clauſtralem, qui nec horis nec officio Canonicorum funguntur, ſed titulo tantum contenti, cum proceſſio eſt in eccleſia, præbendatos ſequuntur. De iis vetus Statutum hoc ex

Chartulario S. Petri. *Anno* 1498. *die* v. *menſis Octobris Dn. Decanus & Capitulum Capitulariter congregati mandarunt mihi eorum Notario iſtud infra ſcriptum ſtatutum huic regiſtro inſerere: Quum frequenter ex creatione & receptione Canonicorum honoris quos noſtra liberalitate & gratia interdum facere conſuevimus nulla differentia & dubia orirentur. Quare volumus, quod nemo deinceps in Canonicum honoris recipiatur, niſi prius jurisjurandi religione promiſerit nullo unqnam tempore præmiſſorum occaſione pro præbenda, ſive præbendali ſtipendio aut domo clauſtrali inſtantiam facere, nec ſe de collationibus beneficiorum intromittere, & quod quandocunque per nos requiſitus fuerit Canonicatum ſuum honoris ad manus noſtras reſignabit, & inſignia Canonicatus deponet. Actum & concluſum ut ſupra. G. de Merlo.* Aliud porro officium Canonicorum in genere. Aliud in ſpecie. In ſpecie eſt id, quod ordo exigit, cui quiſque eſt adſcriptus. In genere eſt pſallere in eccleſia, diurnis horis nocturniſque preces ad Deum fundere. Ivo Carnotenſ. *epiſt.* 218. *Ad hoc inſtituta eſt clericalis militia, ut pſalmodia & hymnodia quotidianum Deo offerat ſacrificium.* Media nocte incipiebat nocturnum officium. Poſt nocturnas vigilias ſequebantur Matutinæ, Tertia, Sexta, Nona, Veſperæ, & Completorium. Et hæ horæ Canonicæ, penſum, curſus Canonicus. Hieronym. in epitaphio Paulæ: *Mane, hora tertia, ſexta,*

Divinum officium *Canonicum*, ut & *Canon* ſimpliciter. Vita S. Euthymii: παρήγγειλε τοῦ μὴ λαλεῖν τινὰ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐν καιρῷ τοῦ κανόνος. *Monuit nequit in eccleſia tempore canonis loqueretur.*

ſexta, nona, veſpera, nocte media per ordinem Pſalterium recitabant. Qui ceſſantes ad officium excitabat κανονάρχης, Pallad. *hiſt. Lauſiac. cap.* 50. ὅτε ἐν μιᾷ νυκτὶ ἠγέρθην, ἐφ' ᾧ τῷ κρούσαι τὸ ξύλον, ἤμην γὰρ κανονάρχης, *Cum quadam nocte ſurrexiſſem, ut pulſarem ſignum, eram enim Canònarches.* Nec ceſſatio impunita, Jubilariis exceptis, & his qui Canonici honoris tantum cauſa *can. ult. diſt.* 92. Benedicti Papæ XII. literæ ad Capitulum Narbonenſe apud Baluz. 2. *miſc. Non ſolum verbis ſed effectivis operibus diſponatis, & ordinetis, quod omnes & ſinguli beneficiati & intitulati in eadem eccleſia horis diurnis pariter & nocturnis miſſarumque ſolemniis interſint, continue reſidentes, & pſallentes, & peragentes divina officia, ut tenentur, quodque illi, qui non interfuerint, punctentur, & perdant proventuum ſuorum certam partem.* Jubilarii, qui Canonici annos jam 50. Servitiis deinceps & officiis exempti ſolemni ritu. Exemplum addam ex Chartulario S. Petri Trajectenſis: *Anno Dn.* 1500. *die* 15. *Martii Venerabiles D D. Decanus & Capitulum S. Petri Trajectenſis Venerabilem & egregium virum & Dominum Dn. & Magiſtrum Theodricum Byndop, eorum confratrem, qui jam L. annis dicta eccleſia Canonicus extitit inſtantem & petentem ad celebrandum Jubilaum, ut moris eſt, admiſerunt, ipſumque ab omni officio & ſervitio pariter & onere ſibi incumbente occaſione dictorum Canonicatus & prebenda juxta ſtatutum de Jubilariis per quinque eccleſias deſuper editum ſalvis horis Canonicis legendis abſolverunt. Quo facto idem Magiſter Theodoricus eoſdem Dominos meos Decanum & Capitulum, ſingu-*

lariter ſingulos, fraternaliter & amicabiliter, ac benigne ad prandendum ſecum in domo ſua Dominica Lætare, quæ erat XXIX. *ejuſdem menſis Martii invitavit. Quo die advenientibus eiſdem Venerabilibus Dominis meis ſolemne prandium cum diverſis piſcium generibus tam aſſatis quam bullitis cum diverſis ſpeciebus & paſtiis, ac vinum habundantiſſime propinavit &c.* G. de Merlo. Pergamus ad monachos.

TITULUS XIX.

DE

Monachis.

Monachi olim laici, *can. ſiquis epiſcopus* 1. *qu.* 1. quod quaſi quædam pœnitentiæ confeſſio eorum vita. Zonar. *ad can.* 2. *pſeudoſynod. &c.* Velut ſemper lugentes & fundentes ad Deum preces. Lugentes autem & pœnitentes, quaſi ſcilicet rei criminum ordinari non poſſunt. *c. quando diſt.* 24. Unde & qui lugentium ater ipſis veſtitus, cum Canonici Regulares, inter quos alioquin & monachos diſcrimen dixi non magnum, albis veſtibus olim uſi. Orderic. Vital. *lib.* 8. *ad ann.* 1094. *Nigredo in pleriſque locis*

Eraſm. in Colloquio πτωχοπλούσιοι Franciſcani: *Olim monachi nihil aliud eramus quam purior pars laicorum : & hoc intererat inter monachum & alium laicum, quod nunc intereſt inter frugalem & probum virum, ſuis manibus alentem familiam, & inter Snaphanum, ex prædationum reditu jactantem ſeſe &c.* Hieronym. ad Heliodorum : *Sed alia monachorum eſt cauſa, alia clericorum &c.* Idem ad Nepotianum *pr. & qua ratione qui ſeculi militia derelicta vel monachus cœperit eſſe vel clericus.*

eis ſancta ſcripturæ humilitatem deſignat, quem idcirco colorem religioſorum fervor hactenus gratanter geſtat. Nec lugentium tantum ater, ſed id pauperum etiam ſchema, Ipſi autem & inter cetera paupertatem profeſſi. Gregor. Turonenſ. *lib.* 1. *hiſt. cap.* 17. *Et aſpiciens eam in veſte nigra, ſenio jam protectam, putavit eſſe unam de egentibus.* Sic certe ab initio, quo & Clericis Regularibus ater placuit non albus. Sed poſtquam varii eorum ordines replerunt terrarum orbem, quidam, ut Ciſtercienſes, ad diſtinctionem aliorum etiam album aſſumpſerunt. Alii alium, prout placuit. Et valde varia ipſorum veſtis. Orderic. Vital. *ibid. Nigredinem, qua priſci Patres, tam regulares clerici in cappis, quam monachi in cucullis, ob humilitatis ſpecimen uſi ſunt, moderni tanquam ob majoris juſtitiæ oſtentationem abjiciunt.* Petrus Cluniacenſis ſcribens ad Bernardum Abbatem Cluniacenſem *lib.* 1. *epiſt.* 28. *Unde & habitum,* inquit, *inſoliti coloris prætenditis, & ad diſtinctionem cunctorum totius fere mundi monachorum inter nigros vos candidos oſtentatis.* Alteſerr. 5. *aſcet.* 19. Gabr. d'Emiliane lib. 2. *de monach. præſtig. epiſt.* 1. Omnes autem cum olim laici, ut divinis intereſſent, debebant ſe conferre ad parochiales eccleſias, aut, qui alioquin adminiſtraret hæc, dabatur ipſis Presbyter ad titulum monaſterii. Theodoret. *de vit. Patr. cap.* 12. εἰς τὴν θείαν ἐκκλησίαν μετὰ τῶν πολλῶν κατὰ κυριακὴν ἡμέραν ἐφοίτα τῶν τε θείων ἐπαΐων λόγων, καὶ τοῖς διδασκάλοις ὑποτιθεὶς τὰ ὦτα, καὶ τῆς μυστικῆς μεταλαμβάνων τραπέζης εἰς τὸ καινὸν ἐκεῖνο καταγώγιον ἐπα-

νή, Cum populo ibat ad divinam eccleſiam die Dominico, & divinos audiebat ſermones, & aures prabebat Doctoribus, & myſtica menſa particeps factus redibat ad novum illud habitaculum. Et hinc ſcilicet, quia laici, Abbas etiam cum monacho poſt oſtiarium collocatur, qui eſt infimus clericorum *can. a ſubdiacono diſt.* 95. Alteſerr. 2. *aſcetic.* 2. Sed quia ex devotione non ob crimen commiſſum agebant pœnitentiam, & ipſos tandem inter clericos Syricius Papa retulit *can monachos* 16. *qu.* 1. Vita Pachomii apud Roſweyd. *cap.* 24. *Poſtea ex nimia multitudine monachorum ſecuta penuria clericorum monachi ſacris ordinibus initiari cœpere, & felici connubio monachi & clerici in unum coaluere ex conſtitutione Syricii.* Alteſerr. *lib.* 3. *aſcetic. cap.* 8. Ut quis ſuſcipi poſſit monachus, duo inprimis requiruntur, exploratio & profeſſio. Profeſſio poſtquam facta qui profeſſus eſt mundo mortuus. Nec proprium habet quicquam, nec quicquam proprium acquirit. Quod habet, quod acquirit, id totum eſt monaſterii. *can. ſtatutum* 18. *qu.* 1. *can. non dicatis* 12. *qu.* 2. *cap. monachi. cap. ſuper quodam ext. de ſtat. monach. cap. præſenti ext. de offic. ord. in* 6. Caſſian. *de inſtit. cœnobit. lib.* 4. *cap.* 13. *In aliis quoque monaſteriis, in quibus aliqua remiſſius indulgentur, hanc regulam videmus ſtrictiſſime nunc uſque ſervari, ut ne verbo quidem audeat quis aliquid dicere ſuum, magnumque ſit crimen, ex ore monachi proceſſiſſe codicem meum, tabulas meas, graphium meum, tunicam meam, caligas meas &c.* Herbert. *de mirac. lib.* 2. *cap.* 34. & 36. *Quin etiam animadvertio,* in-

inquit *cap.* 36. *quam cavendum quamque timendum ſit ab ejuſmodi proprietatibus quamvis minimis, &c. cum etiam quædam ſanctimonialis, ut legitur, propter exiguum ſericum filum, quod ſine licentia lectulo ſuo repoſuerat, diaboli perſenſerit in morte calumniam.* Peculiaritas olim dicta hæc, ſiquis proprium quid ſervaſſet. Siquis autem ſervaſſet, & cum diabolo ei lucta, & poſt mortem affectus probro *cap. monachos cap. cum ad monaſterium ext. de ſtat. monach.* Gregor. I. *lib.* 10. *epiſt.* 22. *Fratri & coëpiſcopo noſtro omnino dicere ſtude, ut peculiaritatem a quatuor aut quinque monaſterii monachis ſtudioſiſſime compeſcat, quia ſi illic peculiaritas a monachis habetur, nec concordia, nec caritas, in congregatione eadem poterit permanere.* Statuta Abbatum ordinis S. Benedicti in provincia Narbonenſi apud d'Achery *to.* 6. *Spicil. cap.* 9. *Apud quem vero proprietas in morte inventa fuerit, in ſignum ſuæ perditionis in ſterquilinio ſubterretur.* Joan. Diacon. *lib.* 1. *de vita S. Gregor. cap.* 15. Alteſerr. *lib.* 4. *aſcetic. cap.* 12. *& lib.* 10. *cap.* 6. Sed parum hodie id obſervatur, votorum monachis jam oblitis, & connivente ad id Papa, Abbate vitii ejuſdem reo, corradentibus quicquid poſſunt. Gabr. d'Emiliane *de monach. præſtig. lib.* 2. *epiſt.* 8. Et ridicula an non res eſt, quod ut voto paupertatis obſtricti pauperes volunt dici, quibus annua alimenta, cum religionem ingreſſi, ut de pluribus non dicam, decem millia florenorum, ut ſe noviſſe ejuſmodi non paucos idem ait Emiliane *ibid. p.* 204. Non ita olim ſe res habuit. Votorum

ratio vitæque tum ſtrictior longe & exactior. Morum tantus tum rigor, ut non quivis paſſim admiſſi, ſed qui annum prius, aut biennium, imo & triennium, an pares oneri, explorati. Et ſic poſt multa experimenta demum facta profeſſio *nov.* 5. *cap.* 2. *nov.* 123. *cap.* 25. *can. monaſteriis* 19. *qu.* 3. *can. Gonſaldus* 17. *qu.* 2. Gregor. I. *lib.* 8. *epiſt.* 23. *Praterea monaſteriis omnibus fraternitas veſtra diſtrictius interdicat, ut eos quos ad convertendum ſuſceperint, priuſquam biennium in converſatione compleant, nullo modo audeant tonſurare.* Qui nondum profeſſi, nondum monachi etiam habiti. Licentia adhuc diſcedendi. Alreferr. 4. *aſcetic.* 8. Poſtquam autem profeſſi mutatum etiam ipſis nomen. Et cur mutatum ſiquis quærat, ni fallor, ratio eſt in promtu. Vim eandem cucullæ quam baptiſmo adſcribebant. Io. Subdiaconus *lib.* 1. *de contempl. n.* 9. *Affirmabat ita dicens: Quia virtutem, quam vidi ſtare ſuper baptiſma, vidi etiam ſuper veſtimentum monachi, quando accipit habitum ſpiritualem.* Baptizati autem mutabant nomen, ut Rollo Normannorum Dux poſt baptiſmum dictus Robertus. Quidni ergo & monachi? Irenes Auguſtæ Typicum *cap.* 71. *Fiant commemorationes dilectæ ſororis majeſtatis meæ, admodum venerandæ & honorandæ Domnæ Theodoræ,* τῆς διὰ τοῦ ἁγίου καὶ ἀγγελικοῦ μεγάλου σχήματος μετονομασθείσης κυρᾶς Εἰρήνης, *quæ per ſanctum & angelicum magnum habitum cognominata eſt Irene*, & mox: *Fiant commorationes dilecti fratris majeſtatis meæ, Panſebaſti Sebaſti Domni Joan-*

Joannis Ducæ, τοῦ διὰ τοῦ ἁγίου καὶ ἀγγελικοῦ μεγάλου σχήματος μετωνομασθέντος κυροῦ Ἀντωνίου, *qui per ſanctum & angelicum magnum habitum cognominatus eſt Antonius.* Nec a monachis tamen tantum id, ſed a ceteris etiam clericis, ut a vitæ genere ſeculari tranſgreſſis ad ſpirituale, idem interdum factum. Procop. *lib.* 1. *de bell. Vandalic.* ἔνθα ἱερεὺς γενόμενος ἑκουσίως Πέτρον ἑαυτὸν μετωνόμασεν, *ubi Presbyter factus ultro Petrum ſe ipſum nominavit.* Alteſerr. *ad Gregor. Turonenſ. lib.* 2. *cap.* 38. Serar. *ad Othlon. de vit. S. Bonif. lib.* 3. *rer. Mogunt. not.* 16.

TITULUS XX.

DE

Vita & honeſtate clericorum.

Clerici cum vitam divino cultui conſecrarint, neceſſe eſt etiam ne eam ſcelere aut probris conſpurcent, ne offendant vulgus, ne irritent, ſed exemplo potius præeant, & cohortentur ad pietatem, ad virtutem, ad bonos mores, a vini uſu immoderato, a ludis voluptuoſis, damnatis, illicitis, a ſpectaculis, a Comœdiis, a luxu, ab alea, a ſcortis ſe abſtineant, *l. ult. C. de epiſc. aud. l.* 44. *C. Th. de epiſc. & cler. nov.* 123. *cap.* 10. *can.* 7. *diſt.* 35. *cap. clerici ext. de vit. & hon. cleric. cap. ult. ext. de exceſſ. Prælat.* ut nec alea ludant ipſi, nec dum alii ea ludunt, ut ſpectatores interſint, *d. c. clerici d. nov. l. ult. C. de epiſc. aud.*

aud. Petr. Bleſenſis *epiſt.* 7. *&* 17. Ziegler. *lib.* 4. *de epiſc. cap.* 15. Ut ſit tota ipſorum vita ad gravitatem compoſita. Ne ſaltationibus occupentur, ne tripudiis, ne choreis. Ludicra hæc quæ nec decent Chriſtianum. Tantum abeſt, ut clericum. Concil. Laodicen. *can.* 53. *Quod non oportet Chriſtianos ad nuptias venientes ballare vel ſaltare, ſed caſte cœnare vel prandere, ſicut decet Chriſtianos.* Ubi *ballare* eſt nihil aliud quam βαλλίζειν. Βαλλίζειν eſt concrepantibus cymbalis ſaltationem accommodare. Io. Sariſberienſ. *polycrat. lib.* 5. *cap.* 12. Et hinc noſtrum *een bael.* Fr. Florens *ad cap.* 12. *ext. de vit. & hon. cleric.* Ne duello, ut olim, certent, *t. tit. de cleric. pugnant. in duel.* ſed pſalmis, hymnis, canticis, & verbi Dei lectioni, quantum poſſunt, incumbant *c. his igitur diſt.* 23. Ziegler. *lib.* 4. *de epiſcop. cap.* 17.

Ne indulgeant venationi, *c. qui venatoribus diſt.* 86. *c. quorundam c. epiſcopum c. omnibus diſt.* 34. *cap.* 1. *ext. de cler. venat.* nec quid faciant hujuſmodi, cujus meminit Ægidius Aureæ vallis monachus *de geſt. Leodienſ. epiſc. Sacerdotes*, inquit, *cæteraque eccleſiaſtica perſona cum univerſo populo in ſolemnitatibus Paſchæ & Pentecoſtis, cum ſanctam devotius aliis diebus eccleſiam frequentare & Deo ſervire tenerentur, aliquam ex concubinis ſacerdotum purpuratam, ac diademate renitentem, in eminentiori ſolio conſtitutam, & cortinis velatam, Reginam creabant, & coram ea aſſiſtentes in choreis, tympanis, & aliis muſicalibus inſtrumentis tota die pſallebant, & quaſi idololatræ effecti ipſam tanquam idolum adorare ſole-*

ſolebant. Add. *cap.* 12. *ext. h. t.* Venatio ipſis prorſus vetita. *Venatores*, ait Jo. Sarisberienſ. *omnes adhuc inſtitutionem redolent centaurorum. Raro invenitur quiſquam eorum modeſtus aut gravis, raro continens, & ut credo ſobrius nunquam &c.*

Arma etiam vetita. Cautum ſic expreſſe, ne arma portent, ne tractent, ne fundant ſanguinem, ne judicio, cum tractatur de fundendo, præſentiam ſuam commodent, *c.* 1. *& ſeqq. diſt.* 51. *can. quicunque. can. reprehenſibile* 23. *qu.* 8. *c. clerici ext. de vit. & hon. cler. cap.* 5. *ext. de pœn. cap. pen. ext. de homicid. clem. diœceſanis ext. de vit. & hon. cler. c. clerici c. ſententiam ext. n. cler. vel monach.* Guil. Brito *Philipp. verſ.* 606.

Perſona primi multa, pluresque ſecundi
Ordinis, & cleri quamplurima turba minoris,
Arma quibus tractare negat lex eccleſialis.

Synod. Matiſconenſ. 11. *can.* 18. *Definimus, ut ad locum examinationis reorum nullus clericorum accedat, neque interſit atrio ſauciolo, ubi pro reatus ſui qualitate quiſpiam interficiendus eſt.* Ubi *atrium ſauciolum* eſt locus ſupplicii, ut notat Alteſerr. *ad d. c. ſententiam.* Add. Jo. de Polemar apud Caniſ. *to.* 4. *antiq. lect. p.* 282. Fr. de Roye *lib.* 1. *Inſt. jur. Can. tit.* 22.

Diſerte etiam cautum, ne militiæ dent nomen, ne aſpirent ad magiſtratus *d. c. clerici c. de his c. clericum diſt.* 50. *c. eos qui* 20. *qu.* 3. Ab honoribus, a magiſtratibus, ἀπ' ἀξίας πηλίκης paſſim Canones eos arcent. Spretis his primus Bruno frater Ottonis Magni & Archiepiſcopus Colonienſis & Lotharingiæ ſimul Dux eccle-

ſiaſti-

ſiaſticam cum civili dignitatem conjunxit. Et tractum deinceps in exemplum id. Abbatiæ, epiſcopatus, aucti prædiis, caſtris, oppidis, Dominiis etiam ampliſſimis & univerſis provinciis, & inveſtiti ex eo tempore vel Principes epiſcopatibus vel epiſcopi Principatibus, ut paganis ſcilicet & hæreticis, ſi forte ab ipſis periculum, reſiſtere etiam poſſent armis. *Brunonem*, inquit Witichindus, *Pontificis ſummi ac Ducis magni vidimus officium gerentem*, & addit excuſationis loco, nequis eum propterea culpabilem affirmaret, *cum Samuelem ſanctum & alios plures ſacerdotes pariter legamus & judices.* Sed nequicquam & fruſtra. Chriſtianæ eccleſiæ πολίτευμα non in terris eſt, ſed in cœlo, nec alium quam ſpiritualem accepit a Deo gladium, verbum Dei ſcilicet & armaturam, quam habemus apud Paulum ad *Epheſ. cap.* 6. Aliud Paſtoris, aliud Regis officium. Nec ſatis decore utrumque idem ſuſtinet. Imo recte Syneſius, πολιτικὴν, inquit, ἀρετὴν ἱερωσύνῃ συνάπτειν, συγκλώθειν ἐστὶ τὰ ἀσύγκλωστα. *Si Principes eſſe velint terreni*, inquit Marcus Antonius de Dominis de *Republ. eccleſ. cap.* 8. *n.* 10. *& ſeqq. abdicent ſe ſacerdotio, quia utraque poteſtas totum requirit hominem, & altera tota carnalis & externa eſt, altera nunc poſt Chriſtum tota ſpiritualis, altera ſumma utitur manſuetudine, altera ſummo rigore & ira &c.* Convenienter hinc doctrinæ vererum Concilium Triburienſe, quod fuit anno 895. *cap.* 27. *Semel*, inquit, *in clero deputati nec ad militiam, nec ad aliquam veniant dignitatem mundanam, uti in Synod. Chalcedonenſi ſtatutum eſt cap.* 7. *ne tales ſint, ſicut*

S. Iſidorus dixit eſſe, ſimiles hippocentauris, qui nec equi nec homines, ſed quaſi bruta animalia libertati ac deſiderio ſuo ſerviunt. Verum utut hæc diſputantur, quid notius, quam quod paſſim etiam homines eccleſiaſtici, inſtructi bellicis inſtrumentis, inſignes clypeis & gladiis, comitatu & miniſteriis, ut potentes hujus ſeculi, ſuperbi & tumidi, exercitus cogant, & pugnent, & prælientur intrepidi, in feudum ſimul prædia & dent & accipiant, & accipiant ea lege, ut armati ſerviant vel per ſe, vel ſi nolint per ſubſtitutum. Ziegler. *tr. Epiſcopus miles cap.* 10. *& ſeq. per tot.* Nec ratio habetur canonum, quibus miles, ſi fiat clericus, quod habet feudum amittit. Multum certe de eo queritur Cardinalis Baronius *ad Ann.* 887. *n.* 2. *Deterius*, inquit, *videri potuit, & plane monſtruoſum illud fuit, quod tam epiſcopi quam Abbates armati ad bella procederent, in hoſtes irruerent, caderent ipſos, & caderentur ab ipſis. Execrandum plane diu iſtiuſmodi facinus inolevit in Galliis, cujus merito accidiſſe putamus, ut externis atque civilibus bellis eadem provinciæ affligarentur, ſed eo deterius, quod iidem etiam ab ejus temporis ſcriptoribus laudati reperiuntur nomine bellicæ fortitudinis, cum tanquam ſacrorum canonum violatores, & muneris paſtoralis, & nominis deſertores deteſtandi fuiſſent.* Verum vetus illud malum. Frequens quidem prohibitio, ſed obſervatio parum felix. De commiſſo inter Longobardos & Burgundiones prælio quod ſeculo ſexto jam accidit, Gregor. Turonenſis *lib.* 4. *hiſt. cap.* 37. *Fueruntque in hoc prælio Salonius atque Sagittarius fratres atque epiſcopi, qui non cruce cæleſti muni-*

muniti, ſed galea aut lorica ſeculari armati, multos manibus propriis, quod pejus eſt, interfeciſſe referuntur. Obtendi aliud non poteſt quam clericos propter feudum invitos ſæpe in bellum cogi, ſed in promptu reſponſio eſt, fieri ſcilicet vix poſſe, nam nec canones id admittunt, ut ſit clericus feudi capax, ut miles Chriſti ſit miles ſeculi *lib.* 2. *feud. tit.* 21. In ſcholis de eo diſputatum. & diſputatio eſt ſatis frequens, ſed utut frequens nihil notius, quam quod ſeculi demum vitio id admiſſum paulatim. Contra eam corruptelam egregie ita Zaſius *de feud. part.* 5. *n.* 71. *Ego in hoc nihil firmo*, inquit, *hoc tamen ſcio, quod textus feudales expreſſe volunt, quod qui Clericus efficitur, hoc ipſo feudum amittat, quod & rationem habet. Nemo enim militans Deo ſecularibus negotiis ſeſe implicat.* & mox: *Certe & in uſibus feudorum juſtiſſime & omnino ex Chriſtiana ſinceritate cautum eſt, ne clericus feudis implicetur. Nec certe ſatisfacere poſſe videtur communis iſta & plane frigida ſolutio, quam Præpoſitus circumfert, quod per ſubſtitutum ſaltem clericus ſerviat, quia tale quiddam poſſet videri, ac ſi furem quiſpiam excuſet, ſi per ſubſtitutum furetur.* Certe illud *per ſubſtitutum* nullius momenti. Nec ſemper in vaſalli poteſtate, ut ſic ſerviat. Nec neceſſe, ut ſi nolit, eum Princeps admittat. Rigordus ad Ann. CIↃ. CC. IX. *Aurelianenſis & Altiſſiodorenſis epiſcopi ad propria ſunt reverſi, dicentes, ſe non teneri, ire vel mittere in exercitum: niſi quando Rex ipſe perſonaliter proficiſcitur. Et cum nullo ad hoc privilegio ſe tueri poſſent, generali conſuetudine contra eos faciente, petiit Rex, ut hoc emendarent, ipſis*

autem

autem emendare nolentibus Rex eorum Regalia conſiſcavit &c. Agnoſcit Grammondus dum de Guiſio Cardinali *lib.* 8. *hiſt. Ex purpura Romana & ſacro charactere, (rara in Principe laus) militiam affectabat impatiens ſui: non miles, quia Cardinalis, non item Cardinalis, quia miles erat.*

Vitio clericis etiam datum, ſi veſtitu ſuperbi. Probro ſi faſtu tumidi, ſi ſub ſpecie pietatis corradant quicquid poſſunt, & plus habendi cupidine obſeſſi opes ſuas jactent. Veſtitus humilis ſit, neceſſe eſt, non faſtoſus, non varius, conveniens ordini & officio, cui quiſque eſt adſcriptus, *cap.* 15. *& t. tit. ext. de rit. & hon. cleric.* Auctor vitæ Ludovici Pii apud Pithæum: *Denique tunc cœperunt deponi ab epiſcopis & clericis cingula balteis aureis & gemmatis cultris onerata, exquiſitæque veſtes, ſed & calcaria talos onerantia relinqui. Monſtro enim ſimile ducebatur, ſi eccleſiaſticæ familiæ deputatus conaretur aſpirare ad ſecularis gloriæ ornamenta.* Sic egregie quidem illi. Sed ſemel poſtquam luxus eccleſiam invaſit ſiſti probrum non potuit. Nec immerito de eo queritur & erumpit tandem in verba hæc Petr. de Ferrariis in *pract. tit.* 51. *gloſſ.* 5. *Concorditer vadunt,* inquit, *ad unam menſam, concorditer incedunt & habitant, & per eandem domum & eccleſiam concorditer tractant & ſtudent rapere, & ad ſe trahere laicorum ſubſtantiam, & ſuam ipſorum clericorum augere & nullo modo diminuere. Et propter hoc fecerunt pro ſe legem,* quod

Vita S. Euthymii: οὐκ ἔστιν οὗτος ὁ πατριάρχης. Ἀναστάσιος γὰρ ὁ σκευοφύλαξ ἔστιν οὗτος, σκόπει γὰρ ὅτι χρωματικὰ ἱμάτια φορεῖ, ἅπερ ἀδύνατον πατριάρχην Ἱεροσολύμων ἐνδύσαι, *Non hic eſt Patriarcha, ſed is eſt Anaſtaſius Sceuophylax. Ecce enim coloratas veſtes gerit, quas ut induat Ieroſolymorum Patriarcha impoſſibile eſt.*

quod non poſſint vendere, nec alienare nec dividere eorum bona. Sicque in brevi neceſſe eſt, quod omnia bona laicorum ſubjiciantur dominio clericorum, niſi bonus Imperator provideat, qui donationem Conſtantini revocet, & legem faciat, ut omnium clericorum ſtatus ad ſtatum mendicantium fratrum penitus reducatur, & Papa cum Cardinalibus ſimiliter ad vitam Chriſti & Apoſtolorum jus deveniat &c.

Coma item interdicta. Acciſi crines, tonſique, & ſuperius & inferius, relictis tantum in circuitu, ſic ut aures tamen pateant, coronæ inſtar capillis. Idem cautum de barba. Alere eam non licuit, *c. prohibete c. pen. diſt.* 23. *ut & diſt.* 35. *per tot.* Baluz. *ad Gratian. d. can. prohibete.* Synodus Toletana IV. *can.* II. *Omnes clerici vel lectores, ſicut Levitæ & Sacerdotes detonſo ſuperius capite toto inferius ſolam circuli coronam relinquunt.* Gregor. Turonenſ. *de vit. Patr. cap.* 16. *apud Surium* 1. *Octobr. Igitur S. Nicetius epiſcopus ab ipſo ortus ſui tempore clericus deſignatus eſt: nam cum partu fuiſſet effuſus, omne caput ejus, ut eſt conſuetudo naſcentium infantium, a capillis nudum quidem cernebatur, in circuitu vero modicorum pilorum ordo apparuit, ut putares ab eiſdem coronam clerici fuiſſe ſignatam.* Boſquet. *ad Innocent. lib.* 3. *epiſt.* 200. Quamdiu monachi adhuc laici toto capite olim tonſi. Poſtquam clerici dein facti, relicta ipſis corona, παπαλήθρα, ut vocant Græci. Unde & S. Fructuoſus Pontifex Bracarenſis Regulæ quam edidit *cap.* 16. *Coronam,* inquit, *capitis, quam geſtabat, amittat.*

tat. Inter clericos & monachos tamen quoddam diſcrimen, & clerici paulo aliter, aliter monachi dein tonſi, ut oſtendit Ziegler. *lib.* 3. *de epiſcop. cap.* 17. *n.* 17. Græci etiam aliquando attonſi in modum crucis. Euchologium ipſorum: ὁ ἱερεὺς κείρει αὐτὸν σταυροειδῶς, *Sacerdos tondet eum in formam crucis.* Menard. *ad Concord. Regul. cap.* 62. §. 10. Olim cum paulo ſanctius eſſet monachi inſtitutum, cum ſanctior ipſius vita, etiam ſupra ipſius caput coronam quandam finxerunt lucidam, & ut paſſim videmus in Sanctorum picturis, velut radios emittentem. De S. Saba Cyrill. Scythopolit. cap. 71. διήνοιξεν ὁ Θεὸς τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ βασιλέως &c. *aperuit Deus oculos Imperatoris, qui divinam quandam gratiam, lucidam, refulgentem,* καὶ τύπον ἔχουσαν στεφάνου, *corona inſtar figuratam, intuetur ſupra caput ſenis, quæ radios ſolares emitteret.* Et id σχῆμα ἀγγελικόν. Pallad. apud Coteler. 3. *monum. eccleſ. Græc. p.* 159. μοναὰς ἔχων ἀδελφῶν χιλίων σχῆμα ἔχοντας ἀγγελικόν. Θεῖον σχῆμα, ut incert. Auctor poſt Theophan. *p.* 7. *edit. Reg.*

Probro ipſis præterea, ſi cauponam habeant, ſi eam intrent, niſi intrent neceſſitatis cauſa, ut dum iter faciunt divertant *can. nulli can. clerici diſt.* 44. Auctor *ſerm. ad fratres in eremo: Non enim debet qui animarum curam gerit tranſire de domo in domum, non frequentare forum cum ruſticis, non mercantias acquirere, non commatres procurare, non ligonizare, non tabernas intrare, non diſcurrere niſi neceſſitate compulſus.* Alteſerr. *ad cap. clerici ext. de vit. & hon. cler. & ad Anaſtaſ.*

ſtaſ. de vit. Pontific. in Zoſimo. Probro ſi comeſſentur, ſi frequentes in conviviis, ſi vinoſi, ſi ebrii. Hieronym. ad Nepotianum: *Facile contemnitur clericus, qui ſæpe vocatus ad prandium ire non recuſat. Nunquam petentes raro accipiemus rogati. Beatius eſt enim magis dare quam accipere.* Et quod miretur quis, probro, ſi exerceant medicinam. Tam vilis hæc olim ars, *l. ult. C. comm. de legat.* Adde & quod infelix & nixa ut plurimum conjecturis. Medico & imperitia & negligentia imputatur, *l. illicitas §. ſicuti ff. de offic. præſ. §. 6. & 7. Inſt. de leg. Aq.* Per mortes hominum ſe diffundit. Alienis diſcit periculis, ipſe ſecurus, & hoc ipſo ſatis felix, quod ſol proſperos ejus ſucceſſus aſpicit, adverſos tegit tellus. Ars, quæ, quod omni ævo

πολλὰς ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν,

prorſus ei interdicitur, qui in ſacris eſt conſtitutus *c. ult. ext. ne cler. vel monach.* & qua ſi contumax non abſtineat extra ordinem punitur *c. tua ext. de homicid.* Gloſſ. *ad c. ſententiam ext. ne cler. vel monach.* Strauch. 1. *amœn.* 5. *cap.* 14. Obſervanda etiam duo hæc: ne cum fœminis converſentur, & ne exerceant mercaturam. Quærant lucrum animarum, non opum cumulos, aut facultatum, *c. nulli diſt.* 44. *can. negotiatorem diſt.*88. Chryſoſtom. *homil.*38. *ad Matth. cap.* 21. cujus verba retulit Gratianus in *c. ejiciens ead. diſt.* * *Ejiciens Dominus ementes & vendentes de templo ſigni-*

* Petr. Bleſenſ. *epiſt.*17. *pr. Clericus qui leviore comparat pretio, ut vendat carius, filius eſt avaritiæ, idololatra pecuniæ, ſervus mammonæ, & venundatus ſub pretio.* Hieronym. ad Nepotian. *Negotiatorem clericum, & ex inope divitem, ex ignobili glorioſum, quaſi quandam peſtem fuge.* Et mox: *Hoſpitiolum tuum aut raro, aut nunquam, mulierum pedes terant.*

ſignificavit, quia mercator nunquam poteſt Deo placere, & ideo nullus Chriſtianus debet eſſe mercator, aut ſi voluerit eſſe, projiciatur de eccleſia, dicente Propheta : quia non cognovi negotiationes, introibo in potentias Domini. Nec omnis tamen negotiatio indiſtincte ipſis vetita. Quid ſi aliunde ipſis victus non competat? Quid ſi manu hic quærendus exemplo Apoſtolorum *c.* 2. *&* 3. *diſt.* 91? Quid ſi modicum captetur lucrum? Quid ſi ad alendam & ſuſtentandam familiam? ad pauperes exhibendos? ad redimendos captivos? Certe id ipſis prohiberi nec poteſt, nec debet *l.* 2. *C. de epiſc. & cler. l.* 10. *l.* 15. *C. Th. eod.* Concilium Carthaginienſe IV. *can.* 51. *Clericus quantumlibet verbo Dei eruditus artificio victum quærat.* Quod ad fœminas probroſum, & ſemper vitio id ipſis datum, ſi affectentur, ſi frequentent, ſi cum ipſis aſſidui. Expreſſe etiam ipſis vetitum, ne haberent aut concubinas, aut quas vocabant ſubintroductas, *συνεισάκτους*, extraneas, etſi forſan nec libidinis, nec quærendorum liberorum cauſa, haberent domi incluſas, exceptis tantum quæ omnem ſuſpicionem effugiebant, matre, amita, ſorore, filia &c. *l.* 19. *C. de epiſc. & cler. nov.* 12?: *cap.* 29. *nov.* 137. *cap.* 1. S. Baſilius in *conſtit. monaſt. cap.* 3. χρὴ δὲ τὰς τῶν γυναικῶν ὁμιλίας καὶ συντυχίας ὡς τὰ μάλιστα φεύγειν &c. *Fugiendæ nobis inprimis cum mulieribus congreſſiones, collocutioneſque; niſi cum graviſſima nos aliqua ad eas neceſſitas impellat.* Synodus Toletana IV. *can.* 42. *Cum clericis*, inquit, *extraneæ fœminæ nullatenus habitent, id enim & conſtitutio antiquorum Patrum decrevit.*

Et *can.* 4. *Quidam*, inquit, *clerici*, *legitimum non habentes conjugium extranearum mulierum conſortia appetunt.* Sed ea etiam invaſit labes, ut quia nuſpiam ſororis cohabitatio interdicta, ejuſmodi etiam adſcititias, φίλας ſibi, & dilectas, ad tegenda propudia ſua appellarent *ſorores*, quod Hieronymus etiam indicat *lib. ad Ruſticum monachum*, *libr. de vitand. ſuſpect. contub. & epiſt. ad Ocean.* Sic ut apud Martial.

Quare non habeat, Fabulla, quæris
Uxorem Themiſon; habet ſorores.

S. Athanaſ. *ſyntagm. doctr. p.* 95. Juſtell. *ad Cod. can. eccleſ. univerſ. c.* 39. Fabrott. *ad Balſam. p.* 1389. Libidine nimirum merſi ſanctitatem jactabant, dum etſi nondum vi ad cœlibatum coacti (nam primus fuit, qui coëgit Paparum illud portentum, & qui rei etiam nefariæ cum Mathilda ſuſpectus, Hildebrandus, ſeu Gregorius Papa VII.) uxor quidem ipſis nulla, cum ſorore autem haberent rem. Græcis ſcio uxor, (παπαδία ipſis dicta) etiam poſt Hildebrandum. Latini ſi haberent ſacerdotio dejecti. Si ſororem non item. Et hæc ſancta ipſorum vita. Queritur Hieronymus in literis etiam ad Euſtochium. *Unde*, inquit, *in eccleſias Agapitarum peſtis introivit. Unde ſine nuptiis aliud nomen uxorum? imo unde novum concubinarum genus?* Agapitas vocat, quas Græci ἀγαπητὰς, συνεισάκτυς, φίλας, ἀδελφὰς, Latini etiam *ſubintroductas.* Ziegl. *lib.* 4. *de epiſc. cap.* 4. *n.* 17. *& ſeqq.* Certe & eo prorupit infamis quorundam vita, ut vix à conſanguineis, vix à matre aut ſorore temperaverint

ſibi

ſibi ita, quin, quod fidem excedit, infandum ſcelus & in illis interdum perpetratum, *c. inhibendum ext. de cohab. cleric. c. clericorum ext. h. t.* Alciat. *ad cap. cum non ext. de judic. n.* 25. *in fin.* Maſcard. *de prob. concl.* 59. *n.* 16. Salmuth. *ad Pancirol. part.* 1. *tit.* 45. Sed quod ad Hildebrandum. An non ipſe & anathema, & a cœtu ſanctorum Patrum anathema ei dictum. Concil. Gangrenſ. *can.* 60. Εἴ τις τὸν γάμον μέμφοιτο, καὶ τὴν καθεύδουσαν μετὰ τοῦ ἀνδρὸς &c. *Siquis nuptias accuſet, & dormientem cum viro ſuo, fidelem, piamque, ac religioſam, deteſtetur ac vituperet, quaſi non poſſit in regnum Dei introire, Anathema ſit.* Et mox *can.* 63. Εἴ τις διακρίνοιτο παρὰ πρεσβυτέρου γεγαμηκότος, ὡς μὴ χρῆναι λειτουργήσαντος αὐτοῦ προσφορᾶς ἀναλαμβάνειν, ἀνάθεμα ἔστω. *Siquis diſcernit presbyterum conjugatum, quaſi non oporteat, eo miniſtrante, ejus oblationi communicare, Anathema ſit.* Vid. *Cod. can. eccleſ. univerſ.*

MANUDUCTIO
AD
JUS CANONICUM.

LIBER SECUNDUS.

TITULUS I.

DE

Rebus eccleſiaſticis & earum acquiſitione.

RES eſt vocabulum immenſæ amplitudinis, & quod omnia complectitur, quæ in rerum natura ſunt. Unde & vix poteſt dici aut definiri quid ſit. Uſum juris ſi ſpectes, res eſt, quicquid nec ad perſonas nec ad actiones referri poteſt. Res vel ſacra eſt vel profana, vel divini juris vel humani, *l.* 1. *pr. ff. de rer. div.* ſpiritualis vel temporalis, corporalis vel incorporalis, & corporalis rurſum vel mobilis vel immobilis. Nec ſtatim quicquid ſacrum ſpirituale etiam poteſt dici. Sacra eſt ſupellex, ſacra prædia, & facultates, quæ in cenſu eccleſiæ. Spiritualia ſiquis dicat minus proprie loquetur. Spirituale enim, non quod corpus, ſed quod animam tantum ſpectat, ut ſacrorum confectio, ſacrorum adminiſtratio, ſacra concio, ſacramenta. Quod pro-

proprie ſpirituale eſt fide in Deum acquiritur. Modi reliqua acquirendi ſunt præſcriptio, donatio, legatum, fideicommiſſum, & ſuſceptio hereditatis. Olim quicquid vellent relinquebant eccleſiæ, & mobilia & immobilia. Exiſtimabant id fortiſſimum peccatorum remedium. Unde & multis ad id pios hortatur Salvianus *lib.* 2. *&* *ſeqq. adverſ. avarit.* Scilicet hoc primum ait *lib.* 2. *pr. inquirendæ ſalutis eſſe ſuffragium, ut peccatorem pœniteat erroris, tum ut juxta ſermonem ſacrum ſtatim peccata ſua miſericordiis redimat, poſtremo ſi id non fecerit, nequid ſaltem moriens inexpertum relinquat, vel ultima ſibi rerum ſuarum oblatione ſuccurrat.* Nec eccleſiæ tantum, nequis erret, ſed cum invaluiſſet Pontificia tyrannis ſacrificulis etiam, parochis, & miniſtris eccleſiæ, ut miſſis ſuis & ſacrificiis quam primum animam è purgatorio eveherent ad Deum. Credebant impium & inhumanum, & vix dignum ſepultura ſiquis nihil reliquiſſet. Bodin. *lib.* 5. *de republic. cap.* 2. *ſect.* 530. Imo eo deventum, ut ſiquis caſu inopinato inteſtatus obiiſſet, accederet ſacrificulus facturus mortuo teſtamentum, qui nec ſui oblitus, nec ſegnis, quicquid vellet, relinquebat eccleſiæ. Cujus flagitii etiam teſtis Mornac. *ad l.* 1. *C. de ſacroſ. eccleſ.* Vere enim flagitium, quod inter alia etiam crimina Cicero objicit Clodio *lib. de aruſpic. reſponſ.* quod & mortuis in Gallia condidiſſet teſtamentum. Sed id Curia Pariſiorum edictis tandem ſuſtulit Ann. 1388. & 1401. Nec ſufficere id tamen viſum refrænandæ cupidini, ſed cum prædiis, poſſeſſionibus, &

 tot

tot partis pecuniis, clerus nondum contentus ad opes jam invidendas majores undique adhuc adderet, & ſic nervis Reipublicæ ſuccifis Principes ſuſtinerent vix dignitatem imperii, bello etiam ſenſim impares, quod ex prædiis ecclesiaſticis non poſſet cogi tributum, Everh. *conſ.* 30. *n.* 12. *& ſeqq.* paſſim etiam inhibitum, ne collegia eccleſiaſtica, ſeu ut vocant manus mortuæ compararent immobilia, & niſi redimi ſtatim poſſint, ne reditus quidem annuos. Vid. *'t Placcaet van Keyſer Karel Ann.* 1520. 19. *Octobr.* quod explicuit Anſelmus, *Trib. Belg. cap.* 50. *per tot.* repetitum *Ann.* 1528. 28. *Januar.* & *Ann.* 1531. 16. *Octobr.* ut videre eſt apud Brant. 1. *hiſt. der Reformat.* 2. *p.* 102. *&* 106. 't Lantrecht *van Jutlant lib.* 3. *cap.* 11. Coſtuymen *van Ypre tit.* 13. §. *ult.* Rebuff. *proœm. ad conſt. reg. gloſſ.* 5. *n.* 22. Chaſſen. *ad conſ. Burg. rubr.* 7. §. 14. Goldaſt. 2. *conſt. imp. p.* 315. *& ſeq.* Goris *adverſ. tr.* 3. *part.* 1. *cap.* 8. Ziegler. *de dot. eccleſ. cap.* 8. *n.* 35. *& ſeqq.* Brant 1. *hiſt. der Reform.* 1. *in fin.* Bugnyon. 2. *leg. abr. tit.* 180. Primus vetuit in Hollandia Wilhelmus Comes Tertius edicto Ann. 1328. quod legere eſt apud Brant 1. *hiſt. der Reform.* 1. *p.* 25.

TITULUS II.

DE

Sacramentis.

SAcramentum vox homonyma eſt. Alibi juramentum, alibi pœna pecuniaria eſt. Feſtus in *Sacramentum. Sacramentum æs ſignificat, quod pœnæ nomine penditur & id in aliis rebus quinquaginta aſſium eſt in aliis rebus quingentorum &c.* Hic ſignum eſt rei ſacræ, ſignum divinæ gratiæ, gratiæ ſcilicet inviſibilis ſignum viſibile, Chryſoſtom. *homil.* 83. *in Matthæum: Siquidem incorporeus eſſes, ille tibi dona incorporea tradidiſſet, ſed quia corpori conjuncta eſt anima tua, ideo rebus ſenſibilibus tibi traduntur intelligenda.* Pontificii habent ſeptem. Reformati tantum duo. Quæ Pontificii habent ſunt Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Ordo, Pœnitentia, extrema Unctio, & Conjugium. Quæ Reformati, ſacra Cœna, & Baptiſmus. Iterari poteſt ſacra cœna. Baptiſmus non poteſt, *l.* 58. *C. Th. de hæret. epiſt. ad Hebr. cap.* 6. *verſ.* 4. *& ſeqq. cap.* 1. *& cap.* 3. *ext. de baptiſm. t. tit. decretal. de Sacram. iter. vel non.* Sacra cœna eſt ſacramentum, quo per panem & vinum, quæ fidelibus exhibentur, nutritio ſpiritualis, abolitio peccatorum, Chriſti corpus pro nobis fractum & fuſus ſanguis ſignificatur. Sed hæc a Pontificiis jam in miſſam converſa. *Euchariſtiam* etiam vocant & *ſacrificium incruentum.* Etiam *ſacramentum.* Sed dum

id quod ſacramentum verum vocant nihilominus Chriſti corpus & ſanguinem, ſignum & rem ſignatam, quo nihil ſtultius, confundunt. Et hæc quidem duo, ſacra cœna & baptiſmus, inſtituti divini ſunt. Humani cætera & Pontificii. Quæ & proprie ſi attendas ſacramenta non ſunt. Matrimonium ſi ſacramentum * cur clericos ab eo arcent? Ordo ſi ſacramentum, an in veteri teſtamento tria ergo non duo? Ordo idem quod ſacerdotium. Et ubi quæſo id ſacramentum? Et cujus rei id ſacramentum? Confirmatio eſt cum baptiſato & quidem mox poſt baptiſmum ſacrum chriſma confertur. Vita S. Liudgeri apud Mabillon. *ſecul.* IV. *Sanctor. ord. S. Bened. part.* I. *lib.* 2. *cap.* 2. *Omnes nuper, ut fuerant baptizati, defuncti ſunt, exceptis duobus, quos beatus Liudgerus cum ſancti chriſmatis impoſitione confirmavit.* Phot. *Nomoc. tit.* 4. *cap.* 1. An ullibi id imperatum? Ullibi inquam in ſacris? Et unde id quod cum presbyter in vertice unxit baptizatum in fronte id repetat epiſcopus? Qui id poteſt in vertice, cur non quæſo & in fronte *can. his can. manus de conſecr. diſt.* 15? Vid. Petr. Suav. Polan. *hiſt. Concil. Trident. lib.* 2. Ziegl. *lib.* 3. *de epiſc. cap.* 5. Strauch. 1. *amœn.* 3. *cap.* 5. Cur & ungit ac baptizat etiam quivis ſacerdos, ſolus autem epiſcopus confert chriſma & confirmat *c. quamvis diſt.* 68. *c. presbyteros diſt.* 95. *c. un. §. per frontis ext. de ſacr. unct. c. quanto ext. de conſuet.* An ulla ratio ſatis prægnans? Pœnitentia ſi ſacramentum, cur non preces etiam ad Deum? Extrema unctio ſimiliter, ſi verum quod ſacramentum,

* Mirantur Græci apud Coteler. 3. *monum eccleſ. Græc. p.* 500. Mirabatur Paphnutius inſignis Chriſti confeſſor, quod in Synodo Nicæna proponere id quidam auſi. Euſebius. Carion. aliique in *vita Conſtantini*.

tum, divinæ gratiæ an ergo ſignum? Et cujus quæſo ſi ſignum? Scio meminit Apoſtolus *Jacob.* 5. *verſ.* 14. Sed an præcepit an juſſit? Et ſi præcepit quid tum? Præceptum quodvis an ſacramentum? An quem præcepit etiam amor erga Deum & proximum? An cura quam inculcat pupillorum, viduarumque? *Derelinquet vir patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ*, καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν· Τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστὶν, ait Apoſtolus ad *Epheſ. cap.* 5. *verſ.* 31. & *ſeq.* Myſterium magnum non nego, ſed an propterea & ſacramentum? Myſterium & ſacramentum an ergo non differunt? Incarnatio Dominica an non magnum myſterium, 1 *Timoth.* 3. *verſ.* 16? An ergo & ſacramentum? Recte Cajetanus, qui & ipſe Pontificius, ad *d. cap.* 5. *Non habes ex hoc loco, prudens lector*, inquit, *conjugium eſſe Sacramentum, non enim dicit Sacramentum, ſed myſterium hoc magnum eſt.* Vid. Wiſſenb. 1. *exerc. ad Pand.* 14. *th.* 11. Unctio etiam extrema quòd à Chriſto inſtituta negant ex Pontificiis Hugo de S. Victore *lib.* 2. *de Sacrament. cap.* 2. Lombard. 4. *diſt.* 23. Alexand. Alenſis *part.* 4. *qu.* 8. *memb.* 2. De chriſmate idem aſſerit Alexander jam dictus, *Sacramentum*, inquit, *confirmationis neque Dominus inſtituit, neque Apoſtoli, ſed poſtea inſtitutum eſt in Concilio Meldenſi*, *part.* 1. *qu.* 24. *memb.* 2. Confeſſio auricularis pœnitentiam præcedit. Si pœnitentia ſacramentum, cur de eo adhuc diſputant, an confeſſio hæc neceſſaria, & an non potius ſufficiat ſola cordis contritio & ſecreta ſatisfactio? Allatis

tis multis auctoritatibus poſtquam de eo retulit diſſentientium ſententias Gratianus tandem ita *c. quamvis de pœnitentia diſt.* 1. *Cui autem*, inquit, *harum potius adhærendum ſit, lectoris judicio reſervatur. Utraque enim fautores habet ſapientes & religioſos viros.* Sic *cap.* etiam *quidam ead. diſt. Quidam Deo ſolummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci. Quidam vero ſacerdotibus confitenda eſſe percenſent &c.* Add. Ant. Auguſtin. 1. *de emend. Gratian.* 18. Verum ipſi hinc Pontificii Gratianum contemnunt. Hominem ajunt ſtupidum. In multis nihil vidiſſe. Ant. Auguſtin. 1. *dial.* 17. Nec poſt Concilium Tridentinum de eo quiſquam ex iis dubitat, quin pœnitentia ſacramentum, aut, ut alii, confeſſio. Sed utrum dicas nihil refert. Pœnitentiæ enim partes tres, contritio, confeſſio, & ſatisfactio. Ant Auguſt. *d. dial.* 18. Sed quo abſurdius rurſum nihil idem Pontificiis & ſacramentum & pœna. Cui injungunt pœnitentiam, pecunia etiam mulctant, etiam virgis coërcent, & ſic duplici eundem pœna ob idem crimen afficiunt, præſertim ſi quem cogant, ut palam agat pœnitentiam, in conſpectu totius populi, ſi hordeo paſcant, ſi avena, ſi nudis pedibus diſcinctum manu tenentem cereum in eccleſiam propellant. Concordia Regularum *cap.* 32. §. 4. *Monachus parvulorum aut adoleſcentium ſectator &c. publice verberetur, &c. decalvatuſque turpiter opprobrio pateat.* Greg. Turonenſ. *lib.* 9. *hiſt. cap.* 21. *Juſſit omnem populum in eccleſiam convenire, & rogationes ſumma cum devotione celebrari, &*

nihil

nihil aliud in uſu veſcendi, niſi panem hordeaceum cum aqua munda adſumi. Charta Ann. 1380. *Comparentibus coram nobis perſonis infra ſcriptis ad hoc, ut apparuit, ſpecialiter deputatis arbitrale ſeu amicabile dictum inter ipſas partes de & ſuper præmiſſis pœnitentia & emenda faciendis tulimus & pronunciavimus &c. Dit is onſe ſeggen Heren Florens van Wevelinchoven Biſſcop t'Utrecht, als van der Penitentien ende beteringen, die Peter van Blanckenberch &c. doen ſellen &c. In den eerſten ſeggen wy, dat die voergenoemde Peter, Wouter, ende Giſelbrecht tot Romen wandelen ſellen omme abſolutie als recht is. Item dat ſy ſellen in Cypres wonen een jare, ende daar af goet betoen weder brengen, dat ſi der in alſo lange geduert ende geweeſt hebben &c. Item ſo ſellen Peter ende Wouter voerſz. een Outaer ſtichten ende doteren in de Kercke van ſint Johan t'Utrecht &c. Item als dit geſchiet is, als voerſz. is, ſo ſellen deſe voerſz. perſonen drie jaren uyt den Stichte ende den Biſdomme van Utrecht weſen, ende als ſi dan weder quemen, ſo ſellen ſi ten ierſten jare dar na driwerf voir den Cruce gaen, barvoet, bloet hoefts, in haren hemden end nedercleder, ende ellic mit eenre Keerſen van enen pont waſs tot elliken tiden, als op ſint Johans dach Baptiſte te midſomer tot ſint Johanne, ende op ſint Marien Magdalenen dach ten Doeme, als dar kermiſſe is, end op onſer Vrouwen lichtmiſſe, voir die proceſſie, ende bidden der meenre eccleſien vergiffeniſſe van dien, dat ſi miſdaen hebben.* Sed nihil eſt in Papatu, quin, etſi quantum fieri poſſit, prætexatur religio, opes tantum ſpectet, Papalis

gloriæ

gloriæ incrementum, & in terras non tantum, ſed in homines etiam ipſos & conſcientias imperium. Neceſſe eſt conſulam brevitati. Non dicam omnia quæ jam poſſum. Sed exempli tantum cauſa; Cur fœdius dicunt crimen, ſi uxorem habeat ſacerdos, quam ſi habeat concubinam? Brant. *in not. ad to.* 1. *hiſt. p.* 93. Cardinalem Campegium quid adegit, ut diceret, præſtare ut Sacerdos centum habeat concubinas quam uxorem legitimam? Non religio hic in cauſa eſt. Honorabile enim conjugium inter quoſvis dicit Paulus. *Hebr.* 13. *verſ.* 4. 1. *ad Timoth. verſ.* 1. *&* 2. Ambitio eſt & nihil aliud. Audiamus Cardinalem Rudolphum Pium Carpenſem in Synodo Tridentina apud Polanum *lib.* 5. differentem, ut ſequitur: *Si connubia*, inquit, *permittantur Sacerdotibus, id inde ſecuturum, ut familiam, uxorem, ac liberos alentes ad Principis quiſque ſui obedientiam reſpiciens Pontificis obſequium detrectet: ut liberorum charitas ab officio ad omnem eccleſiæ fraudem ac præjudicium abducat; ut de ſacerdotiis in familias ſuas hereditario jure adſciſcendis cogitent: ut denique intra breve tempus ſedes Apoſtolica Urbis Romanæ cancellos non exſcendat. Ante inſtitutum cœlibatum ſedem Romanam nullum ex aliis civitatibus ac regionibus fructum percepiſſe: per hunc adeptam dominatum omnium Sacerdotiorum, quæ matrimonium exiguo tempore illi eriperet &c.*

T I-

TITULUS III.

DE

Baptiſmo.

Baptiſmum Chriſtus inſtituit *Matth. cap.* 28. *verſ. pen.* Sacramentum quo per aquæ aſperſionem ablutio ſpiritualis à macula & reatu peccati ſignificatur. Aquæ dico aſperſionem. Plerumque autem non ita ſed immerſione id olim factum. Nudi olim merſi & viri & fœminæ, & totum corpus olim nudi in aquam ingreſſi. Anſelm. *in Matth. cap.* 3. *Plures cauſæ ſunt*, inquit, *quare Chriſtus ad baptiſmum acceſſit; primo, ut exemplo ſuo nos invitaret, nequis forte ab inferiori baptizari vel in conſpectu hominum denudari erubeſceret &c.* Quo genere baptizandi uſus adhuc Otto Babenbergenſis epiſcopus, qui primus ad fidem Chriſti Pomeranos convertit, ut Auctor vitæ ejus ſcribit *lib.* 2. *cap.* 7. *apud Caniſ. to.* 2. *antiq. lect.* Eodem adhuc hodie utuntur Æthiopes. Sed apud ipſos in flumen baptizandi deſcendunt. Job. Ludolf. *lib.* 2. *rer. Æthiop. cap.* 6. Apud Pomeranos deſcendebant in cupas. Et ſic aqua dein caput aſperſum ut moris. Nuſpiam autem id immerſum. Immerſio pertinebat ad reliquum tantum corpus. Etſi autem *κατάδυσις* ſeu immerſio tandem deſiit, in eccleſia tamen veteri nudos nudaſque ad baptiſmum acceſſiſſe multis probat du Cange ad Ann. Comnen. *lib.* 15. *hiſt.* In baptiſterio exuebant ſe. Juvabant viros Diaconi. Diaconiſſæ autem fœ-

minas, ut idem probat *ibid.* Et facit qui ſequetur mox locus Chryſoſtomi. Diu autem id uſitatum. Injunctum etiam, ut ſic fieret, nonnunquam expreſſe. Etiam ſeculo adhuc IX. Concilium Celichitenſe *cap.* 11. *Sciant Presbyteri quando ſacrum baptiſma miniſtrant, ut non effundant aquam ſanctam ſuper capita infantium, ſed ſemper mergantur in lavacro.* Nec aliter quam paulatim & nec ubique etiam ſtatim deſiit. Fuiſſe adhuc qui ea uſi ſeculo XII. teſtis eſt ſatis locuples Jacob. à Vitriaco *hiſt. Occident. cap.* 36. Contra alii qui non uſi, & quidem ſub initium jam ſeculi IX. Vita S. Liudgeri apud Mabillon. *ſec.* IV. *Sanctor. ord. S. Bened. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. *juſſit ſanctus vir Liudgerus eundem Bernlevum &c. perſuaſis matronis, morituros illorum baptizare infantulos benedicta ſimpliciter aqua in nomine Domini intinctos vel ſuperfuſos cum invocatione ſanctæ Trinitatis.* Variavit ſic conſuetudo. Et non mirum quod variavit. Nullum de eo in ſacris literis, ut fiat merſio, habemus juſſum. Exemplum quidem Chriſti in eo hactenus ſecuti, *Matth. cap.* 3. *verſ. pen.* Philippi & Eunuchi, *Actor. cap.* 9. *verſ.* 17. *& ſeqq.* Sed exemplum & præceptum multum inter ſe differunt. Unde & deſiit, & ubi deſiit, ſucceſſit paulatim mos ad fontem ſtantes baptizandi, baptizandi veſtitos, & ſolum caput tantum nudos. De iis loquor, qui poſſunt ſtare. Nam infantes quod attinet, Pontificiis in uſu, ut mergant paſſim adhuc totos. Eraſmus in Colloquio, quod vocat ἰχθυοφαγίαν: *Nos pueros vixdum à latebris uteri materni egreſſos in fri-*

in frigidam aquam, quæque diu in alveo ſaxeo conſtitit, non enim dicam computruit, totos immergimus, & ſi vel primo die atque adeo in ipſo partus oſtio perierit, nullo parentum aut amicorum culpa, deditur miſer æternæ damnationi. Ait *in frigidam.* Sed & calida ad id uſi. Wenceſlao Imperatori baptizando dum caleſit exarſit domus Paſtoralis Noribergæ, quæ ut fama eſt, ad D. Sebaldum. Chronic. Carionis *ad Ann.* 1361. Uſi autem non ubivis, ſed publice in eccleſia, nec in quavis eccleſia, ſed baptiſmali duntaxat. *Baptiſmalis*, baſilica, quæ habet baptiſterium. *Baptiſterium*, non fons, ſed Baſilicæ ædes addita, rotunda inſtar teſtudinis, φωτιστήριον etiam Græcis, in cujus medio fons ſacer, ſeu aquarum receptaculum, δεξαμενὴ, κολυμβήθρα. Lapis vulgo marmoreus, columbis aureis, aut argenteis, aut marmoreis inſignis. Et id proprie baptiſterium, imaginibus baptiſmorum, qui in novo teſtamento memorantur, depictum. Vita S. Godchardi apud Brouwerum *cap.* 5. *Baptiſmalem eccleſiam &c. in Auſtrali parte eccleſiæ noſtræ conſtruxit.* Anſelm. Gemblacenſ. ad Ann. 1125. *Olim quippe eccleſiola lignea in eo fuerat, habens privilegii ſui dignitatem ſcilicet baptiſterium, ſepulturam, & decimam.* Idem ad Ann. 1147. *Inde ad locum baptiſterii percurrens lapidem marmoris concavum,*

Socrat. *lib.* 7. *hiſt. cap.* 7. Ὁ Παῦλος δὲ εὐτρεπίζει τὰ πρὸς τὸ βάπτισμα, ἐσθῆτά τε αὐτῷ λαμπρὰν ὠνησάμενος, καὶ τὴν κολυμβήθραν τοῦ βαπτιστηρίου πληρωθῆναι κελεύσας, *Paulus quæ ad baptiſmum pertinent parat, veſtemque ſplendidam illi coëmit, & baptiſterii alveum impleri jubet.* Vita S. Stephani junioris in Analectis Græcis: *puerum in* τὸ φωτιστήριον *ſanctiſſimæ Deæ matris eccleſiæ tulere, quem cum ad regenerationis lavacrum obtuliſſent &c.* Et hinc φωτισμὸς, *baptiſma*, quod φωτίζει τὸν ἄνθρωπον, *ibid.*

qui aquam baptiſmi continebat minutatim confregit. Garner. *ad lib. Diurn. Rom. Pontif. cap.* 19. Petr. de Marca *de primat. Lugdun. p.*468. *& ſeq.* Proprie dixi; nam & vulgo idem quod ſacer fons, qui & alibi uterus, ut exemplis oſtendit Vincent. Riccardus ad *Procl. orat.* 5. Pachym. *ad Dionyſ. Areopag. lib.* 2. *de eccleſ. hierarch. cap.* 2. Αὐτὸς ἐπὶ τὴν μητέρα τῆς υἱοθεσίας τὴν κολυμβήθραν ἔρχεται. *Ipſe ad matrem adoptionis, hoc eſt, baptiſmi lavacrum venit.* Strauch. 2. *amœn.* 8. *cap.* 6. Habebant olim ad baptizandum etiam ſtatum quoddam tempus, Paſchæ ſcilicet & Pentecoſtes. Nec alio tempore id olim factum, niſi gravi ex cauſa, ut ſi vitæ periculum, *can. duo can. venerabilis can. ne quod abſit de conſecr. diſt.* 4. Ratherii Veronenſis epiſcopi ſynodica ad Presbyteros apud d'Achery *to.* 2. *Spicil. Nullus præſumat baptizare niſi in vigilia Paſchæ & Pentecoſtes, niſi propter periculum mortis.* Abbas Urſpergenſis loquens de Pomeranis ad Ann. 1124. *Infantes ſuos in Sabbato ſancto Paſchæ & Pentecoſtes cum candelis & cappa, quæ dicitur veſtis candida, & patrinis comitantibus ad eccleſiam deferunt.* Lib. Diurn. *Roman. Pontif. tit.* 9. Greg. Turonenſ. *lib.* 5. *hiſt. cap.* 11. Fr. Chifflet. *opuſc. p.* 6. Alteſerr. *ad lib.* 7. *epiſt. Gregor. ep.* 24. Vulgo noctu etiam factum aut in ipſis crepuſculis diei Dominicæ, qua Chriſtus reſurrexit. Chryſoſtom. *epiſt.* ad Innocentium Pontificem de ſuo exilio: *Repente multitudo militum in ipſo magno Sabbato die jam inclinante ad veſperam in eccleſias irruens univerſum clerum, qui erat nobiſcum expulit, armiſque*

miſque

miſque circumdedit. Mulieres, quæ ſe ad baptiſmum exuerant, ex ædibus Oratoriis nudæ eo tempore evaſerunt, metu gravis hujus irruptionis, lavacra ſanguine ſunt impleta, & ſacra fluenta ſanguine evaſerunt purpurea. In Theſſalia baptizabant tantum die Paſchali. Ratramnus Corbejenſis *lib.* 4. *contra Græcor. oppoſit. apud d'Achery to.* 2. *Spicil. Hoc quoque in Theſſalia ſervari cognovi, quoniam apud eos in diebus Paſchæ tantummodo baptizatur, qua propter plurimi ſine baptiſmate moriuntur.* Nobis admodum illud placet, quod egregie Tertullianus *lib. de Baptiſm. cap.* 49. *Cæterum omnis dies Domini eſt, omnis hora, omne tempus habile Baptiſmo. Si de ſolemnitate intereſt, de gratia nihil refert.*

Baptizabant epiſcopi, Sacerdotes, Diaconi. Sed Diaconi non aliter quam ſi epiſcopus eſſet auctor. Tertullian. *de baptiſmo cap.* 17. *Dandi quidem habet jus ſummus ſacerdos, qui eſt epiſcopus, dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen ſine epiſcopi auctoritate, propter eccleſiæ honorem.* Petav. 6. *diſſ. eccleſ.* 10. Alteſerr. *ad Anaſtaſ. de vit. Pontif. in Bonif.* v. De Diaconis ſi miretur quis non neceſſe eſt ut miretur. In caſu neceſſitatis faciunt Canones poteſtatem etiam fœminis laicis. *can. mulier de conſecrat. diſt.* 2. Fr. de Roye *Inſt. jur. Canon. lib.* 2. *tit.* 3.

De eo autem nemo dubitat, quin vivi tantum aqua abluantur, non mortui. Alibi ſcio quod & mortui. Sed diſtricte id ſemper vetitum. Codex *canon. eccleſ. Afric. cap.* 18. Ὁμοίως ἤρεσεν &c. ἵνα μὴ τοὺς ἤδη τελευτῶντας βαπτισθῆναι ποιήσῃ ἡ τῶν

 πρεσβυ-

πρεσβυτέρων ἄγνοια, *Item placuit &c. ne jam mortuos homines baptizari faciat presbyterorum inſcitia.* Add. Phot. *Nomoc. tit.* 4. *cap.* 6. Fuerunt qui & vivos baptizarent pro mortuis. Ea hominum ſuperſtitio. Sed ſimiliter & id vetitum. De Marcionitis Chryſoſtom. *in epiſt.* 1. *ad Corinth. cap.* 15. *homil.* 40. *Poſtquam catechumenus quiſpiam apud eos exceſſerit, ſub lecto mortui abſconſo aliquo, qui vivit, accedunt ad mortuum, & alloquuntur; & rogant, velitne baptiſmum accipere? deinde illo nihil reſpondente is qui eſt abſconſus inferius, pro illo dicit ſe velle baptizari,* καὶ οὕτω βαπτίζουσιν αὐτὸν ἀντὶ τοῦ ἀπελθόντος, *& ſic eum baptizant pro eo, qui exceſſit.* Tertullian. *lib. de reſurrect. carn. Si autem & baptiſantur quidam pro mortuis, videbimus an ratione; certe illa præſumptione hoc eos inſtituiſſe contendit, qua alii etiam carni, ut vicarium baptiſma, profuturum exiſtimarent.* Juſtell. *ad Concil. Neocæſar. can.* 57.

Mutabant baptizati non tantum nomen ſed & veſtem. Veſtis candida erat qua amicti. Et ſic ſeptem aut octo dies prodibant in publicum. Dicti tum in albis, νεοφώτιστοι alibi. Euſeb. *lib.* 4. *de vit. Conſtantin. cap.* 62. *Poſtquam omnia rite completa ſunt, candidis & regiis veſtibus lucis inſtar radiantibus eſt amictus, & candidiſſimo in lectulo recubuit &c.* Auctor vitæ S. Ludovici apud du Cheſne *to.* 5. *hiſt. Et cum multi inibi baptizati ſupervixerint, innumerabilis tamen albatorum multitudo exinde ad regem conſcendit cælorum.* Willelm. Gemmeticenſ. *lib.* 2. *hiſt. cap.* 18. *Rollo autem poſtquam baptizatus eſt, per ſeptem dies quibus in albis*

albis manſit &c. Et mox *cap. ſeq. Octavo die expiationis ejus veſtimentis chriſmalibus exutus &c.* Chriſmalibus, quod chriſma baptiſmo etiam junctum. Chriſma Belgæ dicunt *vormſel.* Unctos & baptiſatos iidem *gekerſtent.* Baptizare enim dicunt *Kerſtenen.* Unde & illud quod obſervavi ex veteri quadam ſcheda; *Verklaringe dat Juffrou Abbica filia Hectoris Hoxwirii Vrouwe van Rynau is by vorminge Cornelia genoemt, ende haer de vormdoeck voor gebonden heeft Juffr. Franciſca Valkendael wéduwe Baexen Ann.* 1552. Chriſma oleum quod epiſcopus precibus & ſigno Crucis ſub Cœnam Domini quotannis conficit, & confectum ad ſacerdotes ſibi ſubditos tranſmittit *can.* 122. *de conſecrat. diſt.* 4. Inungebant eo baptizatos & in fronte & in vertice. Strauch. 2. *amœn.* 7. *cap.* 8. Quod primum à ſynodo Laodiceæ habita inſtitutum. Codex canonum eccleſiæ univerſæ cap. 152. Ὅτι δεῖ τοὺς φωτιζομένους μετὰ τὸ βάπτισμα χρίεσθαι χρίσματι ἐπουρανίῳ, καὶ μετόχους εἶναι τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ Χριστοῦ. *Quod oportet eos qui baptizantur poſt baptiſma inungi cœleſti chriſmate, & regni Chriſti participes eſſe.* Φωτιζομένους non male. Nam baptiſma etiam φώτισμα propter candidam illam veſtem. Caſaub. 16. *exercit.* 73. Καταχλυσμὸν vocat Proclus *orat.* 7. quod ut orbem univerſum diluvium olim eluit, ſic & animam univerſam peccatis eluat baptiſma. Jobius apud Photium: *Quod autem candidam qui baptizantur veſtem gerunt, ſignum eſt illud angelici ſplendoris, qui puritatem mentis illis ſine mixtione materiæ ac paſſionum exhibet.* Add. Petr. de Mar-

ca *de primat. Lugdun. p.* 469. *& ſeqq.* Quod ad nomen id certum, & nomen mutant baptizati, & jam tum primum accipiunt, & ut alii obſervarunt jam, tres ſunt, qui illud mutant, Papæ, monachi, & baptizati. Willibr. Boſſchaerts *de prim. vet. Friſ. Apoſt. diſſ.* 67. Qui teſtes baptiſmo aderant ſuſceptores, patrini, *ἀνάδοχοι*, inter quos & ſuſceptam, quod cognatio quædam ſpiritualis hic, quam nos tamen non agnoſcimus, etiam nuptiæ prohibitæ *l.* 26. *in fin. C. de nupt.* Ritu omni impleto jam olim epulæ etiam datæ & à teſtibus dona, ſed ſumptu interdum tam profuſo, ut modo tandem impoſito coërcendus edictis. Statutum vetus Trajectenſe ex libro MS. vulgo dicto *Roſarum: So wannermen een kint kerſtent, daer en ſellen maar twaalf vrouwen mede weſen. Gaet daer meer voor af na ten huſe, of ter kerken, ſo verbeurt die ghene, die dat kint ſijn is een pont, ende daer ene vrouwe uytgaet van kynde desglijcx.* Statutum vetus Harlemenſe: *Item ſo en ſal geen vrouwe, die van kinde in kerken gaet, mit hoir ten eten hebben meer dan vier naeſte bueren, ende die vroede vrouwe, ende die amme. Wair ſi meer vrouwen ten eten hadde, ſo verboerde ſi ſelven tien ſcellingen, ende een duſent ſtiens, ende ſo wat vrouwen dair meer quamen eten, die verboerde elc vijf ſcellingen, ende diet aenbrenget ſal hebben die helft van den gelde voerſz. Item ſo wie ymants kijnt heft, die en ſal dien kinde niet meer geven toe pille gave dan twee ſcillingen bi eenre boete van enen ponde, ende diet aenbrenget ſal hebben dat derdendeel.* Ex plebiſcitis Trajectenſibus Ann.

Ann. 1488. *Wantet een oude gewoonte geweeſt heeft, ende der Stat boec inhout, zo waermen een kint kerſtende, datmen niet meer te geven en plach dan* VI. *den. Daeromme ſo is de Raet out ende nywe overdragen, dat ſy 't voort gehouden willen hebben, zo wie ghevader wort, dat hi den kinde niet meer geven en zel, dan* VI. *ſulvere penningen. Ende die meer gave die verbeurde twee pont, ende dat ſoude hi brengen voor den Raet op ter Stadthuys op ter kiſte.* Statutum vetus Amorfortium: *Watmen te pilgave geven ſal: Item ymant van onſen Borgeren, die een kint meer gave dan twee boddragers, die verbeurde vijf pont, alſo dicke alſe hy 't dede.*

Cæterum dona hæc privatorum, quæ ad Principes prorſus nihil. Et nec hi tamen hac in re olim modum egreſſi. Comperi Comitem Hollandiæ, ex rationibus Capellani & Quæſtoris Ducis Alberti communicatis ab Ampliſſimo & doctiſſimo ſimul viro Dn. Nicolao Witſen Amſtelodamenſium ob inſignes animi dotes quartum jam Conſule, qui eas nactus ex bibliotheca olim Petri Scriverii, non prægrandia nimis dona, cum nobilis alicujus infantem ſuſciperet, ſed calicem plerumque dediſſe inauratum. Sic ad Ann. CIↃ.CCC. LXXXVII. * *Item betaelt voor een vergulden croes, dat*

* Sic ad Ann. CIↃ CCC. LXXXIX. *Opten* IX. *dach Junii mijn Jonkheer gereden te Braine Caſteel, ende aldaer geheven des Heeren kint van Putten te kerſtene, gaf een vergulden Coppe. Woech drie marc ende een once, den marck omme* VII. *Franken. Item mijn Joncheer gaf Heeren Gillis kint van Arnemuden, dat hy daer heef te kerſtenen een verguldc Coppe, wegende twee marck* VI. *oncen* V. *Engelſche, de marc omme* VII. *Francken &c. Van pipers ende arauden &c.*

dat mijn Heere van Oſtervant dede geven Aernts kint van Duvenvoorde by rade van Heren Dirc van Waſſenaer, die t'voer minen Heere van Ooſtervant hieff III. *Ib.* XI. *d. g.* Et mox: *Item des Saturdachs na St. Martyns dach in den winter optie ſelve tijt, dat mijn Vrou van Ooſtervant uyt Voerne in den Hage quam, doe reet mijn Heer uten Haghe haer te gemoete tot s' Graveſande, daer mijn Heer ende mijn Vrouw van Ooſtervant Sadelboges kint hieven, daer de * Proiſt mijnen Heere gaf den kinde te geven een crocs vergout. Woech twe marc. Coſte die marc* XI. *Vr. vr. Fac.* XXII. *Vr. vr. Item mijn Vrou van Ooſtervant een crocs vergult, dat ſi den kinde gaf. Coſte* XVII. *Vr. Fac.* XXXIX. *Vr. t'ſtic.* XLII. Nec ſemper tamen calix. Pecunia etiam data. Etiam zona argentea, ut ex rationibus Ann. 1385. *Item Dinſdachs na Paeſdach tot Kenoyt mijn Heere geſant een ſilver gordelkijn, mit harten, mit hinden, ende mit honden, ende mijn Heere rechte voert wech gaf Willams kint van Haemſtede dat he op die tijt hief. Woech* XXXIII. *loot min* I. *vierendeel loot. Den marc* VIII. *Vr. Fac.* XLIII. *ſc.*

* Præpoſitus Montenſis Capellanus Ducis & ejus Quæſtor.

Pro parentum ſplendore ſplendor, ſumptus, & apparatus, aut levior aut gravior. Comes cum baptizandus inſigni hic comitatu, præcedentibus muſicis, tubicinibus, cereis, nec ſine variis ornamentis deductus ad templum. Nutrici veſtis etiam data. Etiam obſtetrici. Magni nominis ſuſceptores. Oblati ad aram cerei, & quo oblatio adhuc gratior inſerto iis prius auro. Ex iiſdem ad Ann. 1373.

Item

Item van VIII. *ellen roets, datmen over mijns Heeren dochtere droech, doemenſe kerſtenen ſoude d'elle* XXIII. *plac.*

Item gecocht by Berwoude te Leyden jegens Dieric Claeſſen, om twee halve Lakenen tot der Ammen ende der Vroedvrouwe behoef des Sondachs voor Lucien. Coſte elc ſtic XXII. *pont Hollants en een half &c.*

Item des Dinxdachs na Lucien groote menichte van trompenairs, pipers, vedelaers ende ſpelers, die voor mijn jonge Joncfrouwe gingen, doemenſe kerſtenen ſoude, beloont ende heerlicken beſconcken.

Item Crayken geſent aen Heeren Jan van der Poel, dat hi voort riden ſoude an den Biſſcop van Ludike, ende Vrouwe van Gelre, ende an de Vrouwe vander Lecke, om die te bidden van mijns Heeren wegen, mijns Heeren dochter te heffen, hem gegeven II. *den.* VI. *gr.*

Ex rationibus Ann. 1377. *Item op St. Baven avont doe mijn Vrou van kinde te kerken ginc van offerhande voir haer Joncfrou, ende in der kaerſe geſtoken te ſamen* XV. *Vr. &c.*

Item des Sonnendachs op St. Willeboerts dach te Keinoit in der Kerſen geſtoken, doe men mijnre Vrouwen jongeſte dochter kerſtenen ſoude XII. *Vr.*

Item Rutkijn Claeſſen, Heytſer, Heynric van der Cudghe ende Hanneken, den vier knechten gegeven, die de rocke droegen van alle de Joncheeren, die de tortiſe dragen ſouden voor mijns Heeren dochter, doen menſe ter kerſteninge droech, hem gegeven te teergelde onder hun allen IX. *lb. gr.*

T I-

TITULUS IV.

DE

De Euchariſtia.

Sacram cœnam inſtituit Servator noſter Chriſtus. *Matth.* 26. *verſ.* 26. *& ſeqq.* 1 *Cor.* 11. *verſ.* 23. *& ſeqq.* Quam verterunt Pontificii in Sacramentum altaris. *Euchariſtiam* etiam vocant, *miſſam*, *hoſtiam*, *ſacrificium*, & *ſacrificium incruentum*, * ἀναίμακτον θυσίαν. Λειτουργίαν dicebant veteres, θεῖον μυστήριον, μυστήριον δεσποτικὸν, τὸ δῶρον etiam, τὰ δῶρα, τὰ ἅγια δῶρα. Caſaub. 16. *exerc* 41. *&* 44. Alteſerr. *ad Anaſtaſ. Biblioth. de vit. Pontif. in vit. Vigilii. Deſiderata* etiam occurrit. Vett. Gloſſ. *Deſiderata*, λειτουργία, τελετή. Caſaub. *ibid. cap.* 45. Frangebant veteres olim panem fidelibus dividendum, ut & hodie apud nos fit. Unde & vulgo κλαστὸς, ut & κατακλαστός. Κλάσματα autem partes. Ἅγιαι μερίδες apud Evagrium *lib.* 4. *hiſt. cap.* 36. Caſaub. 16. *exercit.* 35. Utraque eas manu, læva tamen ſuppoſita cavo dextræ, ſuſcipiebant. Et id χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείνειν, apud Euſeb. *lib.* 7. *hiſt. cap.* 9. Alibi non manu ſed vaſculis in id uſi, † damnato inſtituto Concilio VI. Oecumenico *can.* 101. Caſaub. *d. loc. cap.* 50.

Utrumque autem ſuſcipiebant, non panem tantum, ſed & vinum. Sacro autem peracto publicum in eccleſia ſequebatur convivium,

amo-

* Vita S. Euthym. in *Analect. Græc. p.* 60.

† Græcis hodie adhuc in cochleari panis datur vino mixtus, du Mont *itiner. part.* 2. *epiſt.* 7.

amoris mutui teſtandi non luxus cauſa inſtitutum. Unde & ἀγάπη. Tertullian. *Apologet. cap.* 39. *Cœna noſtra de nomine rationem ſuam oſtendit. vocatur ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos eſt, quantiſcunque ſumptibus conſtet. Lucrum eſt pietatis nomine facere ſumptum. Siquidem inopes quoſque refrigerio iſto juvamus. Si honeſta cauſa eſt convivii, reliquum ordinem diſciplinæ de cauſa æſtimate, qui ſit de religionis officio, nihil ſcurrilitatis, nihil immodeſtiæ admittitur &c.* Add. Clement. *epiſt.* 4 Promiſcue ei accumbebant & locupletes & pauperes, donec temporis progreſſu & potentiorum ambitio & multitudinis inſolentia id in totum delevit. Chryſoſt. *homil.* 27. *in epiſt. ad Corinth. cap.* 11. Ἐποιοῦντο τὰς τραπέζας ἐν ἡμέραις νενομισμέναις, ὡς εἰκὸς, καὶ τῆς συνάξεως ἀπαρτισθείσης μετὰ τὴν τῶν μυστηρίων κοινωνίαν, ἐπὶ κοινὴν πάντες ἤεσαν εὐωχίαν, τῶν μὲν πλουτούντων τὰ ἐδέσματα, τῶν δὲ πενομένων καὶ οὐδὲν ἐχόντων, ὑπ' αὐτῶν καλουμένων, καὶ κοινῇ πάντων ἑστιωμένων. *Statis diebus menſas faciebant communes; & peracta ſynaxi poſt myſteriorum communionem, commune inibant convivium, divitibus quidem cibos afferentibus, pauperibus autem, qui nihil habebant, etiam vocatis & omnibus communiter veſcentibus.* Juſtell. *ad can.* 70. *Concil. Gangrenſ. & ad can.* 131. *Concil. Laodic.* Non procul alioquin a Chariſtiis, Roma-

Ἀγάπη etiam benedictio. *Benedictio* eſt *eulogia*, eſt panis benedictus, & quod benedictionis cauſa datur donum, munuſculum. Cyrill. Scythopolit. *in vita S. Sabæ cap.* 39. Καὶ ὅτε ἐγένετο εἰς τὴν μεγίστην λαύραν ἀγάπην ἔπεμπε, καὶ τοῖς αὐτόθι τὰς εὐλογίας. *Cumque in maxima Laura verſaretur Agapen mittebat, & illic commorantibus eulogias.* Ex libr. *miracul. S. Auſtregiſili apud Surium to.* 3. *Abbas monaſterii cum eulogiis mox nuncios mittit ad eum qui & S. Auſtregiſili benedictionem efferant.*

Romanorum conviviis, concordiæ inter amicos ſarciendæ inſtitutis. De quibus Valer. Maximus *lib. 2. cap. 17. Convivium etiam ſolenne*, inquit, *majores inſtituerunt, idque Chariſtia appellaverunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur, ut ſiqua inter neceſſarios querela eſſet orta, apud ſacra menſa, & inter hilaritatem animorum fautoribus concordiæ adhibitis tolleretur.* Nec procul hinc ἑστιάσεις Athenienſium in Prytaneo, epulæ in Panathenæis ac Theſmophoriis &c. Bodin. *method. hiſt. cap. 6. in fin.*

Panem dixi & quidem fractum. Oblatis olim non uſi. Diuque his incognitis ſerius *miſſæ* vox audita. Nuſpiam mentio apud veteres. Ne intra annos trecentos quidem, ex quo in cœlum aſcendit Chriſtus. Caſaub. *d. loc. cap.* 58. Ne ſacerdotum quidem iis ſeculis uſquam occurrit mentio, manifeſto indicio nec ſacrificium altaris, nec ſacerdotes tum extitiſſe. Le Moyne *ad Polycarp. p. 21. & ſeqq.* Unde autem vox *miſſa* ſi quæratur non ſatis conſtat. Haud dubie à *mittendo*, vel quod cœleſtis miſſus, Chriſtus ſcilicet, ibi adeſt, vel quod, dum immolatur, ad Patrem mittitur à Sacerdote, ut intercedat pro nobis, ut ita Henricus Kalteiſen monachus apud Caniſium *to. 4. antiq. lect.* Alii ajunt quod *miſſa* idem quod *miſſio*, ἀπόλυσις, *dimiſſio*, vel quod clauderetur, ut ſacra cœna apud nos, hymno S. Simeonis, * *νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου κύριε*, vel quod

* Greg. Magn. *lib. 2. dial. cap. 23. Cumque in eadem eccleſia miſſarum ſolempnia celebrarentur, atque ex more Diaconus clamaret; ſiquis non communicat, det locum.*

quod olim κατηχέμενοι, & qui nondum initiati, priuſquam in eccleſia ſacrorum fieret λειτεργία, jubebantur exire. Sic miſſa idem quod *miſſio*, ut *remiſſa* etiam quod remiſſio, *c. epiſcopus* 67. *de conſecrat. diſt.* 2. Hincmarus Remenſis *epiſt. ad Hincmarum Laudunenſem cap.* 24. *Quidam jubentur uſque ad miſſam Catechumenorum manere in eccleſia; quidam autem ſola intra eccleſiam fidelium oratione jungi ſacra myſteriorum celebritati, a Dominica autem menſa convivio ſegregari.* Auguſtin. *ſerm.* 237. *Ecce poſt ſermonem fit miſſa Catechumenis: manebunt fideles: venietur ad orationem.* Leo Allat. *de narthec. vet. eccleſ. p.* 43. Beat. Rhenan. *ad Tertull. lib.* 4. *adverſ. Marcion.* Ritterſhuſ. *ad Gunther. lib.* 3. *pr.* Caſaub. *d. loc. exerc.* 58. Strauch. 2. *amœn. jur. Can.* 8. *cap.* 5. Juſtell. *ad Canon.* 123. *Concil. Laodic.* Vox certe quæ uſurpata & in Comitiis, in Palatiis, ubi & quotieſcunque dimiſſus cœtus *miſſa*, ut obſervatum Sirmundo, ut & Steph. le Moyne *in not. ad Barnab. p.* 896. Sed qua utuntur Pontificii immane quantum aliena ab illo vetere inſtituto. Fregit panem Servator noſter. Fregere etiam Apoſtoli, & qui in prima eccleſia olim veteres. *c. frangitur c. ego de conſcer. diſt.* 2. Caſaub. *d. cap.* 50. Pontificii non frangunt. Rittersh. *d. loc.* Manu veteres accipiebant. In os ingerunt Pontificii. Caſaub. Rittersh. *dd. loc.* Ut ſignum gratiæ habebant veteres. Pontificiis utrumque eſt, & ſignum & res ſignata. Dictis verbis à ſacerdote, *Hoc enim eſt corpus meum*, ſtatim Tranſſubſtantiatio fit, verum ſcilicet Chriſti cor-

corpus, & quod nulli non adorandum. Suum creant creatorem, nec dicere id erubeſcunt, & creant quotidie. Nec quotidie tantum creant, *c. ſemel.* 52. *c.* 53. *de conſecr. diſt.* 2. Sed eundem eodem die diverſis in locis millies. Unde & paſſim *Deifici* & *Deificus* ipſorum ordo, Girberti Papæ Sermo apud Mabillon. 2. *analect. p.* 234. *Ecce ad qua mala devolvitur deificus ordo. Ecce ad qua ſunt probra dilapſi, qui audire meruerunt à Judice mundi, Vos eſtis lux mundi.* Petri Antiocheni epiſtola apud Coteler. 2. *monum. eccleſ. Græc. cap.* 23. Διεπεθμβ́θησαν ὅ ϗ τὰ πρὸς τὺς ἱερεῖς καὶ θεοφόρυς ἀδελφὺς ϗ συλλειτυργὺς ἡμῶν &c. Novella Alexii Comneni apud *eund. ibid. p.* 180. Διὰ τ̃ μακαρίων ἐκείνων ἀρχιερέων, ϗ διδασκάλων, ϗ τ̃ λοιπῶν θεοφόρων πατέρων, *per beatos illos Pontifices & Doctores, reliquoſque Deiferos Patres.* Sed quid quæſo indignius? Quid fœdum magis & execrandum, & omni ſeculo inauditum. Deum creant, & quem creant, comedunt dein vivum. Comedunt mures, arrodunt. Et, quod auget indignitatem, evomunt rurſum interdum ipſi, & per receſſum ejiciunt. Non panem tantum ſed & vinum diviſit Chriſtus diſcipulis. *Matth. cap.* 26. *verſ.* 26. *& ſeqq.* Pontificii tantum panem. Panis ſcilicet oblata eſt. Oblata autem Deus. Oblata, ut ajunt, Chriſtus. Etſi aliter Auguſtin. *in Evangelium Joan. to.* 26. *Hoc eſt*, inquit, *carnem Chriſti & ſanguinem ſalubriter comedere, & bibere, in Chriſto manere, & Chriſtum in ſe manentem habere*, Græci mitius paulo agunt. Vinum adimunt non in totum, ſed panem

panem vino intingunt. Chriſtoph. Angel. *de ſtat. & ritib. eccleſ. Græc. cap.* 23. & Fhelav. *in not. ibid. p.* 315. Diſenb. *de mort. Henrici* VII. *ſect.* 3. §. 10. *in fin.* Oblatam ſcilicet, de qua Iſo de *miracul. S. Othmari lib.* 1. *cap.* 3. *Quædam panis rotulæ, quæ vulgo oblatæ dicuntur.* Joan. Monachus in vita Gaufredi Comitis Andegavenſis. *His panibus, quos oblatas appellant.* Alteſerr. 1. *aſcet.* 12. Contra apud Pontificios vinum totum eſt ſacerdotis, qui ſolus bibit univerſum. Bibit autem jejunus. Nam nec niſi jejunus ſacris quiſquam operatur. *c. Sacramenta* 49. *diſt.* 1. *c. liquido* 54. *diſt.* 2. Ratherius Veronenſis *to.* 2. *Spicil. Nullus cantet miſſam niſi jejunus. Nullus cantet ſine amictu, alba, ſtola, fanone, & planeta.* Add. *Cod. can. eccleſ. Afric. cap.* 46. *&* 47. Concilium Matiſconenſe II. *can.* 6. *Jam enim de tali cauſa & in Conciliis Africanis definitum eſt, quam definitionem noſtro quoque dignam duximus ſociare decreto, & adlocare, ut ſacramenta altaris non niſi à jejunis celebrentur.* Olim etiam id veſperi, quod id veſperi feciſſet Chriſtus, ſed à jejunis tamen factum. Unde & miſſæ veſpertinæ *can. convenit de conſecr. diſt.* 5. Sed hæ poſtea præterquam in ſolenni illo die Cœnæ Domini ſublatæ, *d. can. Sacramenta.* Concil. Laodic. *can.* 5. Carthag. III. *can.* 29. African. *can.* 8. Sext. Synod. *in Trullo can.* 29. Alteſerr. *ad cap. conſuluiſti ext. de celebr. miſſ.* Loqui etiam de iis putant Cyprian. *epiſt.* 63. Sozom. *lib.* 7. *hiſt. cap.* 19. Auguſtin. *epiſt.* 118. Sed nec mentio ibi miſſæ, nec tum temporis transſubſtantiatio, quæ in miſſa,

adhuc cognita. Communio etiam ſub utraque, non ſub ſpecie tantum panis, quæ ſerius demum cœpit, uſitata adhuc paſſim. Juſtell. *ad Cod. can. eccleſ. Afric. p.* 50. Quin & decimo adhuc ſeculo communicatum ſub utraque ne Pontificii quidem negant. Cyprian. *d. epiſt. Quoniam quidam vel ignoranter vel ſimpliciter in calice dominico ſanctificando & plebi miniſtrando non hoc faciunt quod Jeſus Chriſtus &c.* Idem de lapſis: *Ubi vero ſolemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit.* Concil. Claromontenſe *can.* 28. *Ne quis communicet de altari, niſi corpus ſeparatim & ſanguinem ſimiliter ſumat, niſi per neceſſitatem & cautelam.* Ivo *epiſt.* 28. *à cujus commixtione ſi à modo non ceſſatis, ſeparat vos eadem auctoritas à participatione corporis & ſanguinis Dominici.* Paulatim tamen calix ad ſorbendum potius quam bibendum admotis fiſtulis conceſſus. Et hæ vel aureæ vel argenteæ. Chron. Moguntin. *Erant fiſtulæ quinque ad communicandum argenteæ deauratæ.* Ditmar. *l. 6. 6. hiſt. Cruces duas & capulas ex argento factas, & magnum calicem ex eodem metallo cum patina ſimul & fiſtula dedit.* Alteſerr. *ad Greg. Turonenſ. lib. 3. in fin.* Rittersh. *d. loc.* Hoſpinian. *hiſt. ſacram. lib. 4. p.* 291. Ditenb. *de mort. Henrici VI. ſect.* 3. §. 12. Deinceps autem cur laicis ſub una tantum communicatum inſulſa eſt ratio quam reddunt. Chriſtus quidem dicunt inſtituit ſacramenta, ſed modum diſpenſandi reliquit eccleſiæ, & ut idcirco quod fecit Chriſtus, eccleſiam non obligat, ita dicunt, nec eam obligat, quamvis fece-

Uſi etiam iis Græci. Gretſer. ad Cantacuz. *lib.* 1. *cap.* 41.

ſecerint, quod fecit Chriſtus, Corinthiorum exemplum, 1 *Cor.* 11. *verſ.* 23. Quæſo autem, ſi attendas. An id quod fecit Chriſtus fecit tantum ſimpliciter? An non verbis etiam expreſſis ſic faciendum injunxit? Ubi modum diſpenſandi reliquit eccleſiæ? Cedo locum aut textum? Vinum cum ſumpſiſſet an non uſus iiſdem verbis, quibus uſus cum panem? An non τοῦτο ποιεῖτε? Et an non imperativa hæc? Quod ſcilicet ad rem ipſam. Nam quod ad tempus nihil dixit. Mane autem ut id fiat, etſi veſperi etiam factum, eccleſiæ uſus eſt antiquiſſimus. Caſaub. 16. *exercit.* 31. De miſſa etiam ſatis conſtat. Horis fit matutinis. Hora olim diei tertia, Concil. Aurelian. 3. *can.* 14. Quæ nona eſt apud nos. Nam ſexta eſt hora prandii. Hieronym. 2. *ad Jovin. Petrus Apoſtolus, non expectans ſtellam more Judaico, ſed hora ſexta in ſolarium pranſurus aſcendit.* Greg. Turonenſ. *de mirac. B. Mart. lib.* 2. *cap.* 1. *In quo tam præſens fuit beneficium, ut cum datum fuerit hora tertia, incolumis procederem ad convivium, ipſo die hora ſexta.* Nec tamen tam præciſe hæc præſertim hodie obſervatur. Moris tantum perpetui, ut fiat mane, & ut ſemel tantum eodem die ab eodem. Natali Chriſti ſingulare id, ut tres tum fiant miſſæ. * Prima nocte intempeſta. Secunda ſub auroram.

* Albert. Argentinenſ. *In die quoque ſancto nativitatis Domini Rex Carolus communicatus fuit, legitque in miſſa Galli cantu, alta voce, habens in manu evaginatum gladium, evangelium.* Abbas Urſpergenſis: *Centius quidam civis Romanus ex fautoribus Henrici in nativitate Domini Gregorium Papam in Galli cantu miſſam celebrantem de altari graviter vulneratum rapuit.*

Tertia hora diei tertia. Quæ hora, qua oblatio ſit pro vivis & pro defunctis. Et utrumque eſt oblatio. Eſt & ipſum ſacrificium, & eſt panis quo illud fit. Caſaub. 16. *exerc.* 51. Idem panis oblatus, oblata, & oblatio. Gregor. Turonenſ. *lib.* 7. *hiſt. cap.* 22. *Cumque jam altarium cum oblationibus pallio ſerico opertum eſſet &c.* Azymus autem panis. Unde & vulgo Latini à Græcis dicti *azymitæ.* Sigeb. Gemblacenſ. ad Ann. 1054. *Græci Latinos vocabant azymitas, & eos nimis perſequentes eorum eccleſias claudebant, de fermentato ſacrificabant &c.* Ant. Auguſtin. 1. *de emend. Gratian.* 8. Sacra cum facturi imponebant altari, non inter ſtatuas & imagines, quæ undique in altari, ſed ſub cruce, quæ in medio. Synod. Turonenſ. 11. *can.* 3. *Ut corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, ſed ſub crucis titulo componatur.* Alteſerr. *ad cap. Statuimus ext. de cuſtod. eucharist.* Pretioſo velabant pallio, quod & *ſindon*, & *corporale.* Velabant etiam altare. Geſta Innocentii Papæ Tertii apud Boſquetum *p.* 5. *Ad ornatum omnium altarium obtulit ſerica pallia pretioſa, pallas ſubtiliter operatas.* Gregor. Turonenſ. *lib.* 7. *hiſt. cap.* 2. *Adprehende pallium altaris, infelix, quo ſacra munera conteguntur, ne hinc abjiciaris.* Sed altaris proprie erat palla, corporis autem Dominici ſeu oblationis corporale. Concilium Meldenſe apud Burchardum *libr.* 4. *cap.* 31. *Similiter ad corporale lavandum & ad pallas altaris propria vaſa habeantur, in quibus nihil*

Duo ſunt in quibus Græcis cum Pontificiis non convenit. Græci Spiritum Sanctum à Patre tantum procedere ajunt. A Patre & Filio Pontificii. Fermento utuntur Græci, cum Chriſti corpus conficiunt. Pontificii non item. Vid. epiſt. Barlaami *to.* 6. *antiq. lect. p.* 56. *apud Caniſ.* 142.

nihil alind ſtat. Rupert. *lib.* 2. *de divin. offic. cap.* 23. *Sacroſanctum Domini corpus lineo corporali ſuperpoſitum obtegitur.* Menard. *ad Concord. Regul. cap.* 66. §. 1. Conſecratum aut dabant plebi (ſed certo tempore id tantum factum, Paſchæ ſcilicet aut Pentecoſtes, Nativitatis, aut Cœnæ Domini *can. etſi non can. in cœna can. ſeculares de conſecr. diſt.* 2. cum cantatur ſolemne carmen,

Sumunt boni, ſumunt mali,
Sorte tamen inæquali
Vitæ vel interitus.
Mors eſt malis, vita bonis.
Vide paris præſumptionis
Quam ſit diſpar exitus.

plerumqne autem Paſchæ: & ſufficere id nonnullis viſum, ſi quotannis accederent, & communicarent vel ſemel. Chryſoſt. *homil.* 1. *ad Timoth.* Καὶ πῶς φησὶν, ὅταν ἅπαξ δι' ἐνιαυτῦ προσερχώμεθα, *& quomodo, inquit, cum ſemel tantum quotannis ad ſacramentum accedimus.* Paulin. *in Euchariſt.*

Poſt autem exacta jam trieteride quinta,
Rite recurrente ſtatuto tempore Paſchæ,
Ad tua Chriſte Deus altaria ſacra reviſo,
Te miſerante tua gaudens ſacramenta recepi

Codex *canon. eccleſ. Afric. cap.* 41. Alteſerr. *ad cap. omnis ext. de pœn. & remiſſ.* Jo. de Raguſio *de commun. ſub utraque apud Caniſ. to.* 4. *antiq. lect. part.* 2. *p.* 182. *&* 217. Ant. Auguſtin. 1. *de emend. Gratian.* 16. Rittersh. *d. loc.* Colvener. *ad Chron. Cameracenſ. lib.* 3. *cap.* 22.) aut in theca, quæ & πύξις, πυξίον, πυξόμηλον, Allat. *de recent. Græc. templ. p.* 147. *in fin.* ut viaticum

pro ægrotis, & non tantum ægrotis, ſed & mortuis aſſervabant. Alteſerr. *ad cap. quamvis ext. de pœn. & remiſſ.* Cum mortuis ſepeliebant, & nummi inſtar ipſorum ori, ut olim ethnici, quod daretur Charonti, naulum, imponebant. De S. Benedicto Gregorius Papa 1. *lib.* 2. *dial. cap.* 24. *Manu ſua protinus communionem dominici corporis dedit, dicens: Ite atque hoc dominicum corpus ſuper pectus ejus cum magna reverentia ponite, eumque ſepulturæ ſic tradite.* Angel. de Nuce *ibid. in not.* Sed non ſemel id dein vetitum. Nec ratio cur toleraretur ulla unquam ſatis fortis. Quæſo enim quam inepta hæc, cujus meminit Balſamon *ad can.* 83. *Synod. Trullan? Quod autem ſanctus panis*, inquit, *Antiſtitibus poſt mortem tradatur, & ſic ſepeliantur, exiſtimo hoc fieri ad avertendos dæmones, & ut per ipſum tanquam viaticum deducantur ad cœlum.* Ferd. de Mendoſa *lib.* 2. *ad Concil. Illiberit, cap.* 58. Piis certe hoc diſplicuit. Afris viſum expreſſe, ἵνα τοῖς σώμασι τῶν τελευτώντων εὐχαριστία μὴ δοθῇ· γέγραπται γὰρ, λάβετε, φάγετε· τὰ δὲ τῶν νεκρῶν σώματα οὐδὲ λαβεῖν δύναται, οὐδὲ φαγεῖν, *non dandam euchariſtiam defunctorum corporibus, Scriptum eſt enim ajunt, accipite & edite: cadavera autem nec accipere poſſunt nec edere.* Vid. *Cod. canon. eccl. Afric. cap.* 18. Et ſimiliter etiam aliis, ut videre eſt apud Photium *Nomocan. tit.* 3. *cap.* 17. Ad ægrotum cum deferrent, nolæ pulſu præcedentis indicabant adventum, ut mox ad indicium id honorem obvii exhiberent. Felix Faber *lib.* 1. *hiſt. Suev. cap.* 13. *Plebanus cujuſdam villæ evocatus ad*

ad aliam ſuæ parrochiæ villam cum ſacramento, æditui præcedente cum nola & lucerna &c. Et mox: *caſu venit ſolus in equo Dominus Comes Rudolfus, qui videns ſacramentum proſiliit de equo & adoravit.* Pyxis porro etiam turris, quod in modum turriculæ. De turri extat Venantii Fortunati carmen 23. *lib.* 3. *ad Bituricenſem epiſcopum* ſcriptum in *turrem* ejus. Et hæc aurea aut argentea, columba ſupra incubante, aurea itidem aut argentea. Flodoard. *lib.* 2. *hiſt. Remenſ. cap.* 6. *Turrim quoque auream, quam ad votum ſuum fabricari fecerat, ſuper altare poſuit S. Remenſis eccleſiæ.* Anaſtaſius in Innocentio Papa: *Turrem argenteam cum patena & columba deaurata penſantem libras triginta.* Gregor. Turonenſ. *lib.* 1. *de glor. martyr. cap.* 86. *Acceptaque turre diaconus, in qua myſterium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad oſtium, ingreſſuſque templum, ut eam altari ſuperponeret.* Leo IV. Papa de cura paſtorali: *Super altare nihil ponatur, niſi capſæ cum reliquiis Sanctorum, aut pyxis cum corpore Domini ad viaticum pro infirmis.* Alteſerr. *ad Anaſtaſ. Biblioth. in Sylveſtro.*

Vaſis porro uſi primum ligneis, dein vitreis, mox & aureis & argenteis, *c. vaſa de conſecr. diſt.* 1. Vaſa hæc *miniſteria.* Et miniſterii generalis vox, quo omnis ſacra ſupellex venit. Liber Diurnus *Roman. Pontif. cap.* 2. *tit.* 9. *Miniſterium atque ornamentum eccleſiæ, vel quicquid eſt in patrimonio ejuſdem, non minuere ſtudeat ſed augere.* Anaſtaſ. *de vit. Pontif. in Hilaro: Miniſteria ad baptiſmum argentea.* Idem in Gregorio: *Ambo-*

nem etiam marmoreum in eadem eccleſia fecit, eamque diverſis ditavit linteis atque miniſteriis. Et hinc calices, patinæ, ſcyphi *miniſteriales*, & ſi uſus in miſſa etiam *communicales.* Idem in Damaſo: *Calices miniſteriales argenteos quinque penſantes ſingulas libras &c.* Idem in Sylveſtro: *Fecit vero communicales ex argento puriſſimo per ſingulas regiones &c.* Alteſerr. *ibid. in not.*

Qui accedebant ad communionem ſervato ordine accedebant contrito corde & devote. * Velum fœminis peculiare, quod vulgo *Dominicale*, quo opertum habebant caput. Sine eo autem non admiſſæ. Collectio canonum Andegavenſis: *Si mulier communicans dominicale ſuum ſuper caput ſuum non habuerit, uſque ad alium diem dominicum non communicet.* Baluz. *ad Gratian. c. mulier.* 33. *qu.* 5. Nonnullis ea religio, aut ut rectius dicam ſuperſtitio, ut quod acceptum à ſacerdote non in ventrem ſtatim mitterent, ſed clam conditum referrent domum, inferrent haris, horreis, alveariis, ad tutelam boum, porcorumque, & quo lætius proveniret grex. Herbert. *lib.* 3. *de mirac. Modo namque fecere me porcarium, depoſitum tenentes in proxima villa corpus meum abſcondite atque viliſſime in ſtabulo porcorum, ne porci peſtilentia aut mortalitate diſpereant.* Idem *cap. ſeq. A neſcio quo impoſtore maligno audierat, quia ſi dominicum corpus aſſidue ſecum circumferret, in medio tempore divitiis abundaret.* Meminit hoſtiæ conſecratæ Joannes de Raguſio *tr. de commun. ſub utraque*, ut apes creſcerent & augerentur

* Concil. Nicæn. Oecumenic. I. apud Juſtell. cap. 18. *Diaconi intra propriam menſuram maneant, ſcientes quod miniſtri ſunt epiſcoporum, & presbyteris inferiores exiſtant, accipiant autem ſuo ordine euchariſtiam poſt presbyteros &c.*

rentur abſconſæ in alveario apud Caniſ. *to.* 3. *antiq. lect. p.* 98. Add. Jo. Diacon. *de vit. S. Gregor. lib.* 1. *cap.* 32. Th. Cantipratan. *lib.* 2. *apum cap.* 40. *pr.* Angel. de Nuce *ad Chron. Caſinenſ. n.* 267.

Miſſa autem jam olim duplex publica & privata. Publica eſt, quæ fit publice & in populi conſpectu, die feſto & ſolenni. Quæ & alibi canonica, ſolennis, legitima. Ordo Romanus *tit. de dedicanda eccleſia: & per totam hebdomadam miſſa publica in ipſa eccleſia celebretur, uſque dum octo dies completi ſunt.* Privata eſt quæ quotidie fit, unde & vulgo *quotidiana.* * *Secreta* etiam, *peculiaris.* Vita S. Concordii presbyteri Spoletani: *Salus mea Chriſtus, cui quotidie ſacrifico.* Micrologus *cap.* 53. *Poſt baptiſmum presbyteri demum poſſunt miſſam, ſi neceſſe fuerit, privatim celebrare.* Gregor. *lib.* 4. *dial. cap.* 56. A ſolo facta hæc ſacerdote, etſi publice in eccleſia, etſi pulſu campanæ, uno tantum aut altero ex miniſtris præſente. Gregor. Capitular. *cap.* 54. *Miſſæ, quæ per dies Dominicos peculiares à ſacerdotibus fiunt, non ita publice fiant, ne per eas populus à publicis miſſarum ſolemnibus, quæ hora tertia canonice fiunt, abſtrahatur.* Cantacuz. *lib.* 3. *hiſt. cap.* 15. Angel. de Nuce *ad lib.* 2. *Chron. Caſin. n.* 1031. Pulſu dixi campanæ, ut in Actis quæ extant monaſterii Murenſis: *& miſſa pro fidelibus defunctis cum pulſatione campanarum publice cantetur, ut dum corpora carnaliter reficiuntur, animæ*

* Cenomannenſium epiſcoporum Geſta apud Mabillonium 3. *analect. cap.* 7. *Nunquam à die ordinationis ſuæ cognoverunt diem præterire, ut non miſſam aut publicam aut ſecretam celebraret.*

* Purgatorium enim miſſa non infernum extinguit. Allat. *de libr. eccleſ. Græc. diſſ.* 2. *p.* 116. *& ſeqq.*

† Ægid. Aur. Vallis *de geſt. Pontif.*] *Leodienſ. cap.* 30. *Sacerdotes quoque timore Dei poſt poſito, abjectaque debita ſui ordinis reverentia, nulla compulſi neceſſitate, ſed ſola ſuccenſi flamma avaritiæ, miſſam bis in die cantare, & corpus Chriſti conficere non timebant.*

*ex gratiarum actione * de pœna refrigerentur.* Neutrum tamen neceſſe eſt, ut vel fiat ſcilicet in eccleſia, vel fiat pulſu campanæ. Etiam alibi poteſt fieri. Cantacuzen. *lib.* 3. *hiſt. cap.* 15. Et poteſt ſtatui ubique etiam ara portatilis. Hermann. Monach. *de miracul. S. Mar. Laudun. lib.* 1. *cap.* 14. *in fin.* Frequens eſt pro defunctis, quæ *agenda* etiam alibi. Petrus Cluniacenſis *lib.* 2. *epiſt.* 17. *Tandem luctuoſa oratione finita, agendam incepi.* Anaſtaſ. Biblioth. in Leone II. *Sed & ne Mauri quondam epiſcopi anniverſitas aut agenda celebretur, ſed & typum autocephaliæ &c.* Alteſerr. *ibid.* Sed utut frequens, aſſidua, & utut fiat quotidie, ab eodem tamen eadem die niſi ſemel non facta. Grande † nefas ſi iteraſſet quis, ut & nefas ſi in ara, in qua epiſcopus celebravit, ſacerdos celebret eodem die *can. ult. de conſecr. diſt.* 11. Hermannus Monachus *de miracul. S. Mar. Laudun. Audito etiam uniuſcujuſque eccleſiæ fratrum obitu ſinguli ſacerdotes ſingulas miſſas pro ſingulis defunctis celebrabant.* Alteſerr. *ad cap. cum in diſtribuendis ext. de temp. ordinat. & qual. ord.* Gabr. d'Emiliane *de præſtig. monach. lib.* 2. *epiſt.* 8. Unde & ingens miſſarum numerus ſi forſan ſit dicendus neceſſe eſt inter plures diſtributio earum fiat. Poteſt quis eligere, qui eas dicant, quot vult. Si non refert quinam ſint, de ſuperiori etiam loco ut miſſilia jactantur, ut quot quis ceperit tot dicat. Sæpe & pugna tum inter plures, & pugna interdum tam acris, ut, dum de miſſis con-

contenditur, non deſint interim, qui diſcedant amiſſo pallio vel pileo, ut propter quingentas Venetiis factum aliquando idem refert d'Emiliane *lib.* 2. *epiſt.* 5. Nec mirandum de pugna. Gratum ſemper Pontificiis, etſi id Simoniacum, quod cum lucro conjunctum. Gratis miſſa non dicitur. Etſi res eſt ſpiritualis, venalis tamen paſſim. Nec niſi pretium perſolvatur reperietur qui eam dicat. Pro ſingulis pretium Imperialis in Italia, in Hiſpania. In Belgia olim vilius; duo groſſi tantum cum medio, ut in charta anni incerti Gertrudis van Groeneſteyn; *drie miſſen elcke mis om een braspennincq, welcke onſe Prieſteren in der tijt doen ſullen.* Carior tamen, quæ cum cantu, *een ſingende miſſe*, ut in chartis. Nam non omnis cum cantu fit. Cantus etiam non idem. Romanus alius, alius Gallicus. Alius item Metenſis. A Metenſi *de Met, Mette, de Mette ſingen.* Monachus Sangallenſis apud Caniſ. *to.* 1. *antiq. lect. cap.* 11. *in tantum cœpit propagari, ut nunc uſque apud eos, qui in his regionibus Latino ſermone utuntur, eccleſiaſtica cantilena dicatur Metenſis. Apud nos autem, qui Theutonica ſive Teutiſca lingua loquimur, aut vernacule Met aut Mette, vel ſecundum Gracam derivationem uſitato vocabulo Metiſca nominetur.* Verum ohe jam ſatis eſt.

TITULUS V.

DE

Matrimonio.

Nuptiarum duplex definitio eſt. Alia in *l.* 1. *ff. de rit. nupt.* Alia in §. 1. *Inſt. de patr. pot.* Et hæc placuit Gratiano *c. ad cauſam* 27. *qu.* 2. ut & Summo Pontifici *cap.* 11. *ext. de præſumpt.* Conjunctio dicitur, ſcilicet animorum, non corporum, & *conjunctio*, nimirum juſta. Si injuſta, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligitur, §. 12. *Inſt. de nupt.* Juſta eſt, quæ juxta leges & canones contracta eſt. Sex requirit jus Romanum: ut ſint cives Romani, ut juſtam habeant ætatem, ut contrahentes conſentiant, ut conſentiant parentes, qui eos habent in poteſtate, ut conſenſus præcedat, & ut abſtineant à vetitis & nefariis nuptiis, *pr. Inſt. de nupt. l.* 2. *ff. de rit. nupt.* Primum jam exolevit. Quod ad ſecundum jus Canonicum pubertatem æſtimat non ex annis tantum, ſed ex habitu etiam corporis *cap.* 1. *ext. de deſponſ. impub.* Nec ante pubertatem, ſi malitia ætatem ſuppleat, contractas nuptias diſſolvit, *cap.* 3. *cap. à nobis ext. de deſponſ. impub.* Ivo *epiſt.* 99. *Tunc primum initur legitimum matrimonium cum conjuges per commixtionem carnis reddere ſibi invicem poſſunt conjugale debitum.* Hoſtienſ. *ad d. cap.* 3. Fr. de Roye *Inſt. jur. Can. lib.* 2. *tit.* 9. §. 3.

* Quod ad quartum jus Canonicum non præciſe id requirit, nec damnat nuptias, ſi deſit. Multo minus requirit quintum *c. ſufficiat 27. qu. 2. cap. cum cauſa ext. de rapt. cap. per. tuas ext. de cond. appoſ. cap. fin. ext. de jud. in 6. cap. debitum ext. de digam. non ord.* Palæot. *de noth. & ſpur. cap.* 8. §. *9. & ſeqq.* Sextum autem admittit. Nefarias nuptias etiam vocat, quoties aut cognatio aut affinitas intercedit. Qui ex eodem deſcendunt ſanguine dicuntur cognati. Affines, qui ex diverſo, ſed per nuptias tamen juncti. Cognati mariti ſunt affines uxoris. Cognati uxoris ſunt affines mariti. Utriuſque autem cognati invicem aut cognati aut affines non ſunt, *l.* 4. §. *ſed quoniam ff. de grad. & aff.* §. *6. & ſeqq. Inſt. de nupt. c. quod ſuper ext. de conſ. & affin.* Accurſ. *ad* §. 8. *Inſt. de nupt.* Cuj. *par. de grad. & aff.* Cognatio autem duplex, ſpiritualis & naturalis. Spiritualis baptiſmo, ſanguinis neceſſitudine naturalis contrahitur. Spiritualem non agnoſcimus. Agnoſcunt Canoniſtæ. Agnoſcit etiam Imperator in *l. 26. C. de nupt.* Naturalem quod attinet: Cognati ſunt in linea vel recta vel obliqua. Linea definitur perſonarum collectio, quæ ab eodem ſtipite deſcendunt. Deſcendentes & aſcendentes collocantur in recta. In obliqua, aut tranſverſa, qui junguntur à latere. In recta nuptiæ ſimpliciter in infinitum prohibentur, §. 1. *Inſt. de nupt.* In obliqua prohibitio quarto gradu concluditur, niſi ſermo ſit de iis, qui locum parentum liberorumque inter ſe obtinent. Quo caſu ultra adhuc prohibitio, & ſimiliter ut in recta, in infinitum exten-

* Concilium Tridentinum anathemate eos damnat, qui neceſſario id requiriunt. Thuan. *lib. 75. hiſt.*

extenditur §. 1. *&* 3. *Inſt. de nupt. l.* 17. §. 2. *ff. de rit. nupt.* Vinn. *ad d. §.* 3. Quarto autem excluſive, ſi jus Romanum reſpicias, §. 4. *Inſt. eod.* Si jus Canonicum incluſive, quia *quatuor*, ut ait Pontifex, *ſunt humores in corpore, qui ex quatuor conſtant elementis, cap. non debet ext. de conſ. & affin.* Ratio non minus ſtulta, quam qua & in ſexto olim nuptiæ erant vetitæ, quia ſcilicet *ſex ætatibus finitur mundi generatio c. nulli c. nullum c. de affinitate* 35. *qu.* 4. Ivo *epiſt.* 45. *Præcipimus, ut tam calumnioſum conjugium nec ipſi conſecretis, nec ab aliquo, quantum in vobis eſt, conſecrari permittatis, niſi primum in præſentia noſtri conſanguinitas hæc ſeptimum gradum exceſſiſſe legitime fuerit comprobata.* Perquam durum id, ſi conſideres, quod gradus aliter adhuc computant. Conſobrini qui in quarto Canoniſtis ſunt in ſecundo. Linea obliqua ipſis duplex, æqualis & inæqualis. Æqualem dicunt, cum uterque, de cujus quæritur cognatione, æqualiter diſtat à communi parente. Inæqualem, cum alter eſt ei propior, alter remotior. In æquali habent hanc regulam: *Quoto gradu alter à communi parente diſtat, tot gradibus diſtant inter ſe.* In inæquali hanc: *Quoto gradu remotior à communi parente diſtat, tot gradibus diſtant inter ſe, c. ad ſedem c. parentelæ* 25. *qu.* 5. *cap. ult. ext. de conſ. & affin.* Sed utut habeat ſe computatio hæc, ærario tantum Papæ, qui accepta pecunia etiam inter fratrem & fratris filiam diſpenſat, locupletando inventa eſt.

Quod ad affinitatem: Gradus proprie loquendo affi-

do affinitatis non ſunt, *l.* 4. §. 5. *ff. de grad. & aff.* Improprie tantum & abuſive *l.* 10. *pr. ff. eod.* Et hinc utimur regula: *Quoto gradu matrimonium reſpectu cognationis eſt prohibitum, eodem gradu etiam prohibitum eſt reſpectu affinitatis, cap.* 8. *ext. de conſ. & aff.* Gradus eſt nihil aliud quam perſonarum diſtantia. Eam autem ut cognoſcamus hic alia rurſum regula. Quoto gradu quis conjunctus marito, eodem gradu uxori, & quoto gradu uxori, eodem etiam marito eſt. *c. de inceſtis c. æqualiter c. ſane c. ſi vir.* 35. *qu.* 3. *c. porro* 35. *qu.* 5. Pipini II. Regis Capitulare apud Goldaſtum *to.* 3. *conſt. imp. cap.* 4. *De inceſtis conjunctionibus hoc præcipitur, ut nullus deinceps propinquam, nec quam propinquus habuerit uxorem, ducat in conjugio: & uxoris parentela ita ſit viro, ſicut propria parentela.* Lancellot. *lib.* 5. *Inſt. jur. Can. tit.* 13. *verſ. admonendi.* Nititur autem regula hæc non alio fundamento, quam quod maritus & uxor una tantum cenſentur caro & habentur pro eodem. Unde & fratris mei uxor, mea etiam cognata, ſed improprie & more vulgi, *c. quod autem* 35. *qu.* 5. *Cum cognata*, inquit Gregorius I. *in* VI. *reſp. ad quæſt. Aug. Cantuar. miſceri prohibitum eſt, id eſt, cum fratris uxore.* Alteſerr. 10. *rer. Aquit. cap.* 2. Nec mirum quod cognata. Sororis maritus etiam *frater* dicitur à M. Tullio, qui Q. Metellum fratrem vocat P. Clodii. Cuj. 6. *obſ.* 17. Quo magis autem de eo conſtet, an quid nuptiis impedimento, cognatio an affinitas, ter tribus octiduis neceſſe eſt publicetur. Proclamationes vocant, ut & banna

nuptia-

nuptialia, *cap. ult. ext. de cland. deſp.* Car. Magni Capitul. *lib.* 1. *cap.* 127. Si præceſſerint, & nihil obſtet, ſequatur tandem neceſſe eſt benedictio nuptialis: *can.* 8. *Tolet. Concil.* Steph. Tornacenſ. *epiſt.* 200. Neceſſe eſt dico. Nam omiſſa hac matrimonium eſt nullum. Quod primus juſſit ſic & ita voluit Leo Imp. *nov.* 89. Juſtiniani enim tempore adhuc aliud obtinuit. Si quæſtio utrum mulier uxor an concubina ex maritali affectu & perſonarum qualitate, & utrum ſe compellaverint nomine domini & dominæ, non ex benedictione Juſtinianus id dijudicari vult *novel.* 74. *cap.* 4. Et quod ad jus Canonicum vetus quidem mos benedictio in eccleſia *c. ult. diſt.* 23. *& c. ſponſus* 30. *qu.* 5. Sed quod jam olim neceſſaria & neceſſaria abſolute id probari non poteſt. Ziegler. *lib.* 3. *de epiſcop. cap.* 20. Nuptias clandeſtinas non permittit, ſed vetat *c. aliter* 30. *qu.* 5. *c. cum inhibitio* 3. *ext. de clandeſt. deſponſ.* initas tamen non diſſolvit, *c.* 1. *&* 2. *ext. eod.* Nec probari poteſt quod nullæ, ſi non præviis proclamationibus proponuntur contractæ *d. c.* 1. *&* 2. Abbas *ad cap. lator ext. qu. fil. ſint legit.* Probat nuptias jus Canonicum, quas jus Romanum non probat, & rurſum vetat expreſſe, quas jus Romanum permittit. Clericis nuptias interdicit, *c. presbyteris diſt.* 27. *c. decernimus diſt.* 28. *c. presbyteri diſt.* 34. *c. propoſuiſti diſt.* 82. Interdicit cum ea, quam quis polluit per adulterium, *t. tit. de eo qu. dux. in matrim. qu. poll. per adult.* Jus Romanum non item; *l.* 19. *C. de epiſc. & cler. l.* 27. *C. ad l. Jul. de adult.* Advysb. 2. *conſ.* 175. Etſi quantum ad cleri-

clericos nec jus Canonicum ſatis concors, *can. de Syracuſanæ c. ſiquis diſt.* 28. *c. quoniam diſt.* 31. Vid. Brutum fulmen Sixti Papæ V. *verſ. Crimen corruptæ religionis.*

TITULUS VI.

DE

Sponſalibus.

Sequuntur proclamationes poſtquam facta ſponſalia. Sponſalia mentio ſunt & repromiſſio futurarum nuptiarum *l.* 1. *ff. de ſponſal.* Si quæras pactum ſint an contractus juxta Canones utrum dicas parum refert, ut puto. Eandem enim pactum, quam contractus habet vim. Ex pacto enim æque ac ex contractu datur actio, *cap.* 1. *&* 2. *ext. de pact.* Gudelin. 3. *de jur. nov.* 5. *n.* 10. *& ſeqq.* Jus Romanum ſi attendas fruſtra referas ad contractum. Nam nec nuptiæ contractus, *arg. l.* 1. *ff. de rit. nupt.* §. 1. *Inſt. de patr. pot.* Nudus ſufficit conſenſus ad conſtituenda ſponſalia *l.* 4. *ff. de ſponſal.* Pactum ergo & nihil aliud. Olim potius contractus. Nam ſtipulatio neceſſaria. Sponſalia à ſpondendo. Unde & ſponſi appellatio *l.* 2. *l.* 3. *ff. de ſponſal.* & vetus actio ex ſponſu. Gellius *lib.* 4. *noct. Attic. cap.* 4. *Qui uxorem ducturus erat, ab eo, unde ducenda erat, ſtipulabatur eam in matrimonium ductum iri &c. Sed ſi poſt eas ſtipulationes uxor non dabatur, aut non ducebatur, qui ſtipulabatur ex ſponſu agebat, judices cognoſcebant.* Jure novo utut pactum, cum ce-

teris tamen pactis eis hactenus non convenit; quod altero etiam invito ab eis poteſt recedi, *l.* 1. *C. de ſponſal.* De conſenſu non laboratur. Conſenſus ſufficit, ut jam dixi. Sed neceſſe eſt de eo conſtet. Quomodo autem conſtabit? Ultrajecti non aliter quam per rei confeſſionem, aut per publicum inſtrumentum, ut expreſſe ibi cautum edicto de nuptiis Ann. 1585. *art.* 9. Hic autem & paſſim alibi etiam per teſtes, per arrham, annulum, indicia, præſumptiones, & argumenta *arg. l. indicia* 19. *C. de rei vind.* Morn. *ad l.* 9. §. *quoniam ff. de reb. cred.* Reſp. Holl. 6. *conſ.* 10. *&* 26. Datum tamen non ſufficit. Neceſſe eſt, ut probetur, quod & datum & acceptum ea mente & intentione. Menoch. 3. *præſumpt.* 2. Maſcard. *de prob. concl.* 1025. Gail. 2. *obſ.* 94. Grot. 1. *man.* 5. *ſ. Van outs in fin.* Reſp. Holl. 1. *conſ.* 105. Oſculum etiam ſufficit, ſi id eum in finem datum. Otto de S. Blaſio *cap.* 52. *hiſt. Per manus Cardinalium lege Francorum Regi Ottoni deſponſatur, à quo amantiſſime amplexata, publici ſigno oſculi, mutuationeqne annulorum ſubarratur.* Etiam dotis conſtitutio. Narratio eorum, quæ Apollonio Tyrio contigerunt, edita à Velſero: *Scribite in codicillis nomina veſtra, & dotis quantitatem, quæ tranſmittam filiæ meæ, ut ipſa eligat, quem voluerit. Scripſerunt illi nomina ſua & dotis quantitatem.* Datio etiam calceamenti, hauſtus poculi &c. Gregor. Turonenſ. *de vit. Patr. cap.* 20. *Denique dato ſponſæ annulo porrigit oſculum, præbet calciamentum, celebrat ſponſalium diem feſtum.* Idem *de vit. Patr. cap.* 16. *Cumque ut*

ut ætati huic convenit; *amori ſe puellari præſtaret affabilem*, & *cum poculis frequentibus etiam calciamenta deferret.* Steph. Tornacenſ. *epiſt.* 178. Alteſerr. *ad Greg. Turonenſ. lib.* 1. *hiſt. cap.* 42. Sponſalia Græci celebrabant ante portam eccleſiæ; & tum dotem conſtituebant. Quod & alii imitati. Euchologium Græcorum: μετὰ τὴν θείαν λειτουργίαν, τοῦ ἱερέως ἑστῶτος ἐν τῷ θείῳ ἱερατείῳ, παρίστανται οἱ μέλλοντες ζεύγνυσθαι πρὸ τῶν ἁγίων θυρῶν &c. Bracton. *lib.* 2. *cap.* 39. *Dicitur dos vulgariter id quod liber homo dat ſponſæ ſuæ ad oſtium eccleſiæ tempore deſponſationis.* Car. du Freſne *ad Niceph. Bryenn. lib.* 3. *n.* 25. Nec neceſſe ut qui vel hæc vel nuptias contrahit ſemper adſit. Abſens recte etiam contrahit *l.* 5. *l.* 6. *l.* 7. *ff. de rit. nupt.* Groenew. *ad d. l.* 5. Et poteſt totum negotium maxime inter viros Principes per procuratorem etiam agi, ut egit verbi gratia Maximilianus Auſtriacus cum Britanniæ Duciſſa, & miſſa ea deinceps cum Maria Burgundica, ut Philippus Hiſpaniarum Rex cum Maria Regina Angliæ, ut Infans Hiſpaniarum Iſabella Clara Eugenia cum Alberto Auſtriaco, Ferrariæ apud Papam, ubi præſens aderat Albertus, novo exemplo ſuſtinente Iſabellæ abſentis perſonam Legato Hiſpanico. Reydan. *lib.* 17. *hiſt. Bavarus*, inquit Pontus Heuterus *lib.* 1. *rer. Auſtriac. cap.* 7. *poſt paucos dies ſemiarmatus nomine Maximiliani cum Maria Principum more concubuit.* Idem loquens de Britanna *lib.* 4. *cap.* 4. *Decubuitque*, inquit, *Aurantius cum ea nomine Romanorum Regis armatus, ut eſt Principum mos.* De Regina Maria *lib.* 15. *cap.* 20.

eſſent de præſenti, ſed quod ad ſponſalia hæc acceſſiſſet concubitus. Ciron. *par. d. tit. de cond. appoſ.* Concubitus cum acceſſit purificatur conditio, & perinde eſt, ac ſi ab initio eſſent pure contracta, *d. cap. cap. de illis ext. eod. can. aliquando* 32. *qu.* 2. Menoch. 3. *præſumpt.* 1. *n.* 6. *& ſeq.* Covarr. *de ſponſal. part.* 1. *cap.* 4. §. 1. Carpzov. 2. *def. conſiſt.* 2. *def.* 25. Cypræ. *de ſponſal. cap.* 8. §. 2. *n.* 6. Eraſm. *in Colloq. Senil. p.* 285. *in marg.* Reſp. Holl. 5. *conſ.* 106. Sic conſtanter receptum jam. Ab adjecta enim conditione cenſetur dein ſponſus receſſiſſe ſi coeat *d. cap. per. tuas.* Cypræ. *d. loc.* Beuſt. *tr. de ſponſal. part.* 1. §. 19.

Altero autem invito quod recedi poteſt à ſponſalibus, ut ſtatim dixi, non mirum. Alteri etiam invito poteſt mitti repudium *l.* 1. *C. de ſponſal. l.* 1. *& t. tit. ff. de divort. & repud.* Sed ſi miſſum ſine cauſa amittit arrham qui eam dedit, & qui accepit, ſi deſiſtat, duplicatam reſtituit, *l.* 3. *l.* 5. *C. de ſponſal.* Canones ſi ſequamur, & jus moribus introductum, ſponſalia non diſſolvit, ſi ſponſalia de futuro, niſi mutuus diſſenſus, *arg. l.* 35. *& l.* 153. *ff. de reg. jur. cap. de illis ext. de deſponſ. impub.* Excipit tantum Pontifex, ſi impubes contraxit. Hunc enim ſi jam puberem quod contraxit pœniteat, cleri rurſum interventu hæc diſſolvi permittit, *d. cap. can. un.* 30. *qu.* 2. Nec quicquam ad rem facit, quod pater filiam deſpondit. Voluntas patris non ſufficit, *l.* 11. *ff. de ſponſal.* Ivo *epiſt.* 134. *Quicquid pater neſciente virgine juraverit, cum ad annos rationales perducta eſt, niſi ipſa virgo conſentiat, irritum erit.*

Ciron. *parat. de deſponſ. impub.* Duas ſiquis deſponderit, repudio alteri non miſſo, notatur infamia *l.* 1. *l.* 13. §. *item ſi alteri* 3. *ff. d. h. qu. not. inf.* Harmenop. *lib.* 4. *tit.* 1. *ἡ μνηστευομένη ἑτέρῳ καὶ ἑτέρῳ γαμηθεῖσα ἀτιμοῦται.* Verum moribus hodiernis, cùm quæ prior deſponſata citra cauſam legitimam repudiari non poſſit, præfertur prior poſteriori, etſi is qui deſpondit cum poſteriori jam coiit, *can. deſponſatam* 27. *qu.* 1. *can. deſponſatas* 27. *qu.* 2. *cap. tuas ult. ext. de ſponſ. duor.* A. Gail 2. *obſ.* 55. *n.* 12. Coſtal. *ad l.* 1. *ff. de ſponſal.* Waſſen. *pract. notar. cap.* 16. §. 6. Nec inter ſponſalia apud nos fit diſtinctio. Cenſentur omnia de futuro, etſi forſan verbis de præſenti contracta. Groenew. *ad l.* 5. *n.* 5. *C. de ſponſal.* Mantic. *de tac. & amb. conv.* 3. *tit.* 17. *n.* 24. Waſſen. *ibid.* Canoniſtæ diſtinguunt. Prioribus de futuro poſteriora de præſenti, niſi ad priora acceſſit coitus, præferuntur, *c. ſicut ex literis c. is qui fidem c. ult. ext. de ſponſal. c. un. ead. in* 6. *c. de illis c. per tuas ext. de cond. appoſ.* Beuſt. *de ſponſal. part.* 1. *qu.* 10. Sed priora de præſenti, per poſteriora de præſenti, etſi acceſſit coitus, diſſolvi non poſſunt, *cap. pen. ext. de ſponſal. cap. licet cap. tuas ext. de ſponſ. duor.* Alteſerr. *ad d. cap. tuas.* Sponſalia enim de præſenti pro vero habent matrimonio. Nec poteſt prius matrimonium per poſterius diſſolvi. Fides primo data primo eſt ſervanda. Schneidew. *part.* 1. *de ſponſal. n.* 18. *& ſeq.* Quod ſi utraque de futuro, priora ſub conditione, poſteriora autem pura, priora poſterioribus, niſi ad priora acceſſit coitus, poſtponun-

ponuntur. Mantic. *de tac. & amb. conv. lib.* 3. *tit.* 17. *n.* 27. *& ſeqq.* Wurmſer. *lib.* 1. *tit.* 35. *obſ.* 1. *n.* 3. Gutier. *de matrim. cap.* 55. *n.* 3. *& cap.* 67. *n.* 2. Reſp. Ultraj. 2. *conſ.* 46. *n.* 25. Per coitum enim, ut jam dixi, purificatur conditio *cap. aliquando* 32. *qu.* 2. *cap. per tuas ext. de cond. appoſ.* Menoch. 3. *præſumpt.* 1. *n.* 6. Carpzov. 2. *def. conſiſt.* 2. *def.* 25. Reſp. Holl. 5. *conſ.* 106. Waſſen. *pract. notar. d. loc.* §. 8. Add. *libr. de probat. cap.* 8. *n.* 22. Nec tamen, quod jam dixi, quod inter ſponſalia apud nos non diſtinguitur, quod jam omnia de futuro, & quod etſi acceſſit coitus per ſponſalia de præſenti ſponſalia de futuro diſſolvi non poſſunt, non ubique id obtinet & indiſtincte. Sunt enim qui ſequuntur adhuc jus Canonicum hac in parte, ut verbi gratia Oldamptini. *Old-ambſter Lantrecht lib.* 4. *art.* 13. *Toeſagen ende beloften van te willen trouwen in toekomende tijden*, Latine, ſponſalia de futuro, *mogen ende konnen gebroken worden, door veranderinge van ſinnen, ende vrywillige quijtſcheldinge, door langduyrich uytblijven van drie jaren, door andere beloften* de præſenti, *ende dergelijke oorſaken.* Unde & apud quoſdam quemadmodum mutuo conſenſu non poſſunt nuptiæ diſſolvi, ſic nec mutuo conſenſu ſponſalia de præſenti, quæ pro nuptiis jam habentur. *Landrecht van Over-yſſel part.* 2. *tit.* 1. §. 2. *&* 3. *Coſtuymen van Deventer part.* 3. *tit.* 1. §. 3. *&* 4. Panorm. *ad cap. ſuper ext. de cond. app.* Beuſt. *part.* 1. *de ſponſal. qu.* 10. Sponſalia dixi de præſenti. Si de futuro ſint, ſecus eſt. Beuſt. *d. loc.* Quamvis faciant

etiam hæc, ut quæ ſponſa in nonnullis cenſeatur jam uxor *l.* 4. *ff. de fund. dot.* Ivo *epiſt.* 246. *Unde beato Joſeph ab angelo dicitur : noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Conjugem Joſeph vocabat, quam carnis commixtione non noverat nec aliquando cogniturus erat.* Quare & ſponſæ regis Poloniæ ſperati conjugis tributus titulus, ut Gerh. Feltmanni notat. *tr. de titul. hon. cap.* 24. Qui poſſunt nuptias contrahere poſſunt etiam ſponſalia. Sed non qui poſſunt ſponſalia etiam nuptias ſtatim poſſunt. Non poſſunt nuptias contrahere minores annis XIV. poſſunt tamen ſponſalia, ſi majores annis VII. *l.* 14. *ff. de ſponſal.* Si minores non poſſunt, cum conſenſus hic requiratur *l.* 4. *ff. de ſponſal.* Quem fruſtra ab eo qui adhuc infans expectes, §. 9. *Inſt. de inutil. ſtipul. ſtipul. l. ult. ff. de verb. ſign.* Nullas nuptias has vocat, ſine fide, ſine prole, ſine conſenſu, ſine omni bono conjugali, Ivo Carnotenſ. *epiſt.* 243.

TITULUS VII.

DE

Eccleſiis.

Eccleſiæ ſunt ædes divino cultui conſecratæ. Per metonymiam ſubjecti cœtus fidelis populi. Iſidor. Peluſ. 11. *epiſt.* 246. Τὸ ἀθροισμα τῶν ἁγίων τὸ ἐξ ὀρθῆς πίστεως καὶ πολιτείας ἀρίστης συγκεκροτημένον ἐκκλησία ἐστὶ, *Sanctorum conventus ex recta*

recta fide atque optima vivendi ratione collectus, eccleſia eſt. Dico conſecratæ. Nam non ſufficit extruxiſſe. Opera ſunt tantum, quæ nondum ſunt conſecratæ. Quintil. *declam.* 323. Conſecratio ab epiſcopo fit. Fit ſolemni quodam ritu. Fit vicinis epiſcopis, aut ſi non ſint epiſcopi Abbatibus, ut interſint, expreſſe ad id evocatis. Alteſerr. 7. *aſcetic.* 14. Fit ut apud ethnicos ſolenni convivio, precibus, miſſæ cantu. Plin. *lib.* 4. *epiſt.* 1. *Templum pecunia mea extruxi, cujus dedicationem &c. Erimus ergo ibi dedicationis die, quem epulo celebrare conſtitui.* Sidon. Apollin. 4. *epiſt.* 15. *Epulum multiplex, & capaciſſima lectiſternia para &c. Ad te venitur, quippe poſtquam omnibus tempus futuræ dedicationis inclaruit.* Gregor. Magnus *lib.* 10. *epiſt.* 71. *Nam ut die dedicationis vel natalitio SS. Martyrum religioſis conviviis ſolennitatem celebrant.* Savar. *ad Sidon. d. loc.* Robert. de Monte *ad Ann.* 1165. De precibus inſignis locus eſt apud Euſeb. *lib.* 10. *hiſt. cap.* 3. *Denique omnis ætas & promiſcua utriuſque ſexus multitudo toto pectore precationibus & gratiarum actionibus incumbens cum ſumma animorum lætitia Deum bonorum auctorem venerabatur. Sed & eccleſiarum antiſtites, quotquot aderant, panegyricas habebant orationes &c.* Add. *novel.* 5. *cap.* 1. Sozom. *lib.* 2. *hiſt. cap.* 26. Petr. Mart. *claſſ.* 4. *loc. comm. cap.* 9. Fit ſimiliter ut apud ethnicos poſtquam dos conſtituta, *nov.* 67. *pr. & cap.* 1. *can. nemo de conſecr. diſt.* 1. *cap.* 8. *ext. de conſecr. eccleſ.* Vopiſcus in Aurelian. *templum Solis fundavit & Pontifices roboravit*, id eſt,

ut Salmaſius *ibid. in not. opimis reditibus annuis ditavit & munivit.* Fit publico proceſſu, ut & crucis fixione, *d. nov.* 67. *cap.* 2. *nov.* 5. *cap.* 1. *nov.* 137. *cap.* 7. Ziegl. *lib.* 3. *de epiſcop. cap.* 6. Fit imaginum illatione, Divi ſcilicet Divorumque, quibus ædes dedicatur. Quintil. *d. loc. Priuſquam dedicationis accipiant ſummam religionem, opera ſunt tantum; dedicatio eſt illa, quæ Deum inducit, qua ſede deſtinata locat.* Rudolfus Glaber *lib.* 3. *hiſt. cap.* 4. *Expleto opere, accerſitiſque plurimarum urbium epiſcopis, opus prædictum Deo conſecrari ſtuduit, ipſoque die ſanctum Martinum intro ſicut decebat repoſuit.* Nec ſportulæ negliguntur, eleemoſynæ, indulgentiæ, *cap. cum ex eo ext. de pœnit. & remiſſ. ub. & Alteſerr.* Reineſ. *ad Hofmann. epiſt.* 31. Ne feſtus quidem dies, dum quotannis recurrit. Encænia olim dictus. Auguſtin. *in Job. cap.* 48. *Encænia feſtivitas erat dedicationis templi, Græce enim καινὸν dicitur novum, quandocunque novum aliquid fuerit dedicatum, Encænia vocantur. Jam & uſus habet hoc verbum, ſiquis nova tunica induatur, encæniare dicitur.* De templo à Conſtantino Hieroſolymis extructo Sozom. *lib.* 2. *cap.* 2. *Ex eo vero tempore ſolemnem quotannis feſtivitatem admodum ſplendida Hieroſolymitana celebrat eccleſia, adeo ut baptiſmi quoque Sacramenta eo die tradantur, & per continuos octo dies collectæ fiant, multique ex omni fere terrarum orbe conveniant, qui hujus feſtivitatis tempore ad ſacra loca perluſtranda undique accurrunt.* Et id repetit Zieglerus ab inſtitutis Judaicis *lib.* 3. *de epiſcop. cap.* 7. *n.* 18. Vid. 1.

Mac-

Macchab. 4. Quod ad dotem res certa eſt. Cui dos non conſtituta ædes non conſecratur, *can. ſi plures* 16. *qu.* 7. *c. cum ſicut ext. de conſecr. eccleſ.* Vid. *libell. de donationib. fact. eccleſiæ Salzburgenſ. apud Caniſ. per tot.* Phot. *Nomocan. tit.* 3. *cap.* 14. *& ib. Th. Balſam.* Reineſ. *de dot. eccleſ. cap.* 4. *per tot.* Si alius extruat, alius dotet, patronus erit, qui eam dotat. Et poteſt dici de eo illud Fabii *declam.* 12. *Merita tua conditores æquarunt.* Sine eo enim eccleſia, aut ſine dote ab eo aſſignata, non fuiſſet eccleſia, *d. cap. cum ſicut.* Fr. de Roye *prolegom. ad tit. de jur. patr. cap.* 13. Dos eſt quicquid eccleſiæ, quicquid ſacerdoti & miniſtris eccleſiæ, pro facienda re divina ab initio conceſſum. Ziegler. *ibid. cap.* 7. *per. tot.* Quod & actis inſertum ad rei memoriam, Actis ſcilicet publicis, & eccleſiæ & magiſtratuum, *c. nemo de conſecr. diſt.* 1. Gregor. Magn. 10. *epiſt.* 10. *Percepta primitus donatione legitima geſtiſque municipalibus alligata.*

Deo olim dedicabant §. 8. *Inſt. de rer. diviſ.* Cum ſuperſtitio invaluiſſet præter Deum etiam Sanctis. Unde & prout aut Confeſſori aut Martyri dedicatæ *Confeſſiones* dictæ aut *Martyria can.* 5. *de conſecr. diſt.* 1. *can. ſiquis* 2. *qu.* 7. Nec uni tantum, ſed & pluribus, dedicatio olim facta; *cap.* 7. *ſeptimæ ſynodi.* Facta etiam non aliter, quam Sanctorum reliquiis, quas decenter ſub altari recondebant, adhibitis *d. can.* Et quia proſus neceſſe id extructa paſſim dicuntur templa ſupra Sancti ipſius corpus. Vita S. Liudgeri apud Mabil-

Mabillon. *ſecul.* IV. *Sanctor. ord. S. Bened. part.* I. *cap.* 23. *eum reſtaurare ſtudeas, & ſuper corpus Sancti eccleſiam readifices.* Unde & dicti poſuiſſe ſupra Sancti ipſius corpus, quod imponebant altari. Chronicon Caſinenſe *lib.* 4. *cap.* 122. *Virgam & annulum nec non & Regulam ſupra corpus ſactiſſimi Benedicti depoſuit.*

Nulla olim eccleſia quin haberet altare, nec altare olim ullum deſtitutum reliquiis. Beda *lib.* 5. *hiſt. eccleſ. cap.* 12. Hoſpinian. *de orig. templor. lib.* 1. *cap.* 6. Ziegler. *de dot. eccleſ. cap.* 5. *n.* 13. Codex *can. eccl. Afric. cap.* 83. Paulin. *carm.* 24.

Spectant de ſuperis altaria tota feneſtris,
Sub quibus intus habent ſanctorum corpora ſedem,
Namque & Apoſtolici cineres ſub cœlite menſa
Depoſiti.

Ea hominum ſuperſtitio. Inſerebant non altari tantum, ſed & portis eccleſiæ. Et conſecrata etiam porta non minus quam ara. Ludovici Pii Capitulare *lib.* 4. *Capitul. cap.* 13. *Si in atrio eccleſiæ, cujus porta reliquiis ſanctorum conſecrata eſt, hujuſmodi homicidium perpetratum fuerit, ſimili modo emendetur vel componatur. Si vero porta eccleſiæ non eſt conſecrata, eo modo componatur, quod in atrio committitur, ſicut componi debet, quod in immunitate violenter committitur.* Eccleſia autem quadruplex, cathedralis, collegiata, conventualis, & parochialis. Cathedralis, in qua ſedes, in qua thronus epiſcopi, ad quem, cum inauguratur, ſolemniter deducendus *c. placuit* 7. *qu.* 1. Ziegler. *d. tr. cap.* 7. *n.* 17. Collegiatâ Canonicorum. Conventualis monachorum, Parochialis

Paro-

Parochi, Sacerdotis, Plebani. Roch. de Curte *de jur. patr. verb. & dotavit n.* 14. Miræ *lib.* 1. *don. Belg. cap.* 140. *& lib.* 2. *cap.* 117. Parochialis etiam *plebs*, & ſi jus habet baptizandi, etiam *plebs* baptiſmalis *can. de decimis* 16. *qu.* 1. Narratio reſtaurationis Abbatiæ S. Martini Tornacenſis apud d'Achery *to.* 12. *Spicil. illis tantum eccleſiis, quæ plebes vocantur; deberi decimas indicat.* Caroli Calvi Capitula *tit.* 48. *cap.* 11. *ut eccleſias baptiſmales, quas plebes appellant.* Plebs quod præcipue in uſum plebis extructa. Parochialis, quod territorium, in quo extructa, *parochia*, paræcia, παροικία, quod in uſum ſcilicet accolarum aut circumcirca habitantium. Juret. *ad Symmach. auctar. epiſt.* 23. *in fin.* Alioqui *parochia*, cum latius vox accipitur, etiam epiſcopi. Eadmer. *lib.* 6. *hiſt. pr. Comprobatum ab aliis eſt magis ad Archiepiſcopum Cantuarienſem id pertinere, ea ratione, quod Rex & Regina ſpeciales ac domeſtici Parochiani ſunt ipſius, nec diœceſim cujuſvis epiſcopi ei poſſe præcipere, quod ſui juris dinoſcitur eſſe, cum tota terra, lege primatus Cantuariæ, parochia ſua ſit, & omnes epiſcopi totius inſulæ parochias, quas habent, non niſi ab ipſo & per ipſum habeant.* Add. Lanfranc. *epiſt.* 23. *in fin.* Valeſ. *ad Euſeb. hiſt. eccleſ. lib.* 1. *cap.* 4. Proprie autem * diœceſis hæc.

Paro-

* Ambigua tamen vox hæc. Proprie eſt adminiſtratio, διοίκησις, à διοικεῖν. Interdum adminiſtratio multarum ſimul Provinciarum, ad Patriarcham, ad Exarchum, ad Præfectum, prætorio vel Vicarium ejus pertinens, *l.* 14. *C. de fund. patrim. l.* 9. *C. Th. de legat. & decret. legat. l.* 34. *C. de epiſc. aud. l. un.* §. 5. & 7. *C. de off. Præf. præt. Afr.* Balſam. *ad Concil. Chalced. can.* 9. & 17. Διοίκησις ἐστιν ἡ πολλὰς ἐπαρχίας ἔχουσα ἐν ἑαυτῷ, *Diœceſis eſt, quæ multas ſub ſe habet provincias.* Interdum idem quod provincia, idem quod epiſcopatus, ſeu territorium epiſcopi. Sidon. Apol-

lin.

Parochia autem Sacerdotis, qui epiſcopo ſubjacet. Sacerdos parochus. Et ab eccleſiæ ſuæ cura etiam paſſim *Curatus.* *Cureyt* dicunt Belgæ. *Plebanus* etiam, ut & *Paſtor.* Solus hic parochianis ſacramenta adminiſtrat. Eos monet, inſtituit; viam docet veritatis. Pro cura autem ex oblationibus juſtam accipit portionem, & ſimiliter ex ſepultura juſtitiam ſuam habet, *cap.* 9. *ext. de ſepult.* nec niſi ipſe id permittat, & ipſi prius ſit ſatisfactum, terræ alibi poteſt tradi parochiani cadaver *d. cap.* 9. Quiſque in ſua parochia, nequid lucri alioquin parocho præripiatur, mandari debet terræ. Unde in charta apud Waſſenberg. *Embric. lib.* 3. *cap.* 5. *Die tot Embrick ter klocken ind ter fonten gehóeren aen beyden ſijden van den Rhijn.* Nonnunquam publicus etiam ei equus; quo parochiam circumeat; adeat decumbentes; eos viſitet; conſoletur; & ſacramenta iis conferat. Vetus de eo inſtrumentum, quod mecum communicavit vir vetuſtæ nobilitatis Theodoric. Joan. Albertus de Ridder van Groeneſteyn, Toparcha tot Ryneſteyn. E re eſt ut addam hic:

Johannes *Dei gratia epiſcopus Trajectenſis, dilecto nobis in Chriſto* Alberto *Decano eccleſiæ Embricenſis noſtræ diœceſis in Domino ſalutem.* † *Noverītis, quod per famam publicam didicimus, & nobis etiam crebro*

lin. *lib.* 7. *epiſt.* 6. *Ita populos exceſſu Pontificum orbatos triſtis interciſæ fidei deſperatio premit, nulla in deſolatis cura diœceſibus, parochiisque.* Juſtell. *ad Cod. can. eccleſ. Afr. can.* 56. Ziegler. *de epiſcop. cap.* 5. *n.* 11. Etiam ſumitur pro parochia, *lib.* 4. *Capitul. cap.* 15. ut parochia pro diœceſi *lib.* 7. *Capitul. cap.* 45. Ciron. *par. de cler. peregr.* † Ex Regiſtro literarum dictæ parochiæ copiabat Lappius 1645. 18. Januar. Ultraj.

bro expoſitum eſt per plures homines utriuſque ſexus pauperes parochianos eccleſiæ S. Nicolai Trajectenſis, & à longe infra limites parochiæ ejuſdem eccleſiæ degentes gravi cum querela, quod à x. xx. xxx. xl. quinquaginta, & ſexaginta annos citra & ultra, & à tempore etiam, cujus memoria hominum non habetur, modico tempore noviſſime tranſacto duntaxat excepto, ſervatus fuit & tenuit, ſervari & teneri conſuevit palam, publice, & notoria, & inconcuſſe, pacifice, & quiete & adhuc debet teneri & ſervari etiam de conſuetudine rationabili & præſcripta unus equus in loco certo infra dictam parochiam nutriendus & pabulandus ad uſum dictæ eccleſiæ S. Nicolai & Rectorum] ejuſdem, & ſpecialiter pro adminiſtratione ſacramentorum omni hora, dum opus fuerit, dictis parochianis facienda. Quodque hujuſmodi equus noviter eſt ſubtractus, & ab eadem eccleſia alienatus, & ipſa eccleſia eodem ſpoliata in grave præjudicium ejuſdem eccleſiæ & periculum dictorum parochianorum animarum, & quod propter ea quamplures ex dictis parochianis ſine ſacramento ſunt vita functi. Et cum talia ex debito noſtri officii non valeamus nec debeamus merito ſuſtinere vobis Decano prædicto ex officio noſtro committimus & mandamus, quatenus ſuper præmiſſis abſque ſtrepitu & figura judicii inquiratur. Harum noſtrarum teſtimonio literarum. Datum Anni Domino CIↃ. CCC. quadrageſimo ſexto feria ſexta poſt feſtum Valentini.

Forſan modum excedam, ſed videtur res exigere, ut verbo id tantum addam, quod etſi ædes dicatur ſacra, precum tantum cauſa & divini cultus extructa, ad profanos tamen uſus, tur-

pes

pes etiam & illicitos, à Pontificiis converſa. In eccleſiis convivia, choreæ, mercatus, nundinæ, cauſarum ſtrepitus litiumque. Paſſim ibi non tantum de re nihili conſultatum, verum etiam de republica, de bello, de pace. Facta ibi plebiſcita, inſtituti conventus. In atriis, in cœmeteriis etiam ſtupra, aliaque, locis ſacris indigna. Sæpius fateor quidem vetita hæc, ſed fruſtra & nequicquam. S. Cæſar. *homil.* 8. *Quanti etiam nunc in plateis vel atriis Baſilicarum aut litibus aut negotiis vacant.* Canonicorum S. Salvatoris Trajectenſis decretum, *Anno Domini* CIↃ. CCC. XCIX. *menſis Januarii die* VII. *Decanus & Capitulum eccleſiæ S. Salvatoris Trajectenſis propter hoc ſpecialiter & Capitulariter congregati inter ſe concorditer ſtatuerunt & ordinaverunt in ævum, Quod de cætero Rector ſcolarum, ac ſcolares, & maxime chorales in eadem eccleſia choreas ducere vel facere non debeant, nec præſumant, ne per ludibria hujuſmodi &c.* Codex *canon. eccleſ. Afric. Ut nulli epiſcopi vel clerici in eccleſia conviventur niſi &c. populi etiam ab hujuſmodi conviviis, quantum fieri poteſt, prohibeantur.* Ex Actis Ultrajectinis *Ann.* 1403. *opten heyligen dertienden avont: Voert gebiet de Raet den lichten wiven, dat ſi 's avons ende 's nachts niet en gaan op eenigen Kerchoven binnen der Stadt, ende onreynicheit daer driven, ende dede ymant daer en boven, die zoutmen rechte voert in 't vleyſchuys leggen.* Add. *lib.* 2. *de Nobilit. cap.* 47. Phot. *Nomocan. tit.* 8. *cap.* 2. Tabernæ etiam in eccleſiis, in quibus vendebant vinum, non laici tantum, ſed & clerici, etſi non nego, quod & illud prohibitum. Regino Abbas Prumienſis

de eccleſ. diſcipl. lib. 1. *cap.* 58. *Perlatum eſt ad ſanctam Synodum, quod quidam presbyteri in eccleſiis ſibi commiſſis tabernas, quod nefas eſt, conſtituant, ibique per caupones vinum vendant aut vendere permittant, & ubi tantummodo orationes & verbum divinum Deique laus debuerit reſonare, ibi comeſſationes & ebrietates fiant, ibi riſus & plauſus & verba turpia, ibi rixæ & contentiones reſultent &c.* Sed tabernas quid dico? Ludi etiam theatrales in eccleſiis olim paſſim. Teſtis eſt ſatis locuples Innocentius Papa III. *cap.* 12. *ext. de vit. & hon. cleric.* ubi Car. Molinæus, *Ut turpiter*, inquit, *fieri vidi Aureliis in templo majori, deinde per vicos anno* 1517. *&* 1518. *Sed poſtea correctum & omiſſum fuit, ut vidi.* Add. Alteſerr. *ad d. cap.* & Gabr. d'Emiliane *de cleric. præſtig.* 2. *epiſt.* 1.

Deinde etiam notandum, quod quamvis ædes dicatur ſacra, & quod ſacrum nullius ſit, frequens tamen ſacrarum ædium jam olim commercium. Non in titulum tantum datæ, ut clericus ſcilicet pro opera & exercitio divinæ rei omnes caperet ejuſdem fructus, *t. tit. ext. de conceſſ. præb.* verum etiam in proprietatem, ut ſic ſcilicet in accipientem tranſiret plenum dominium, ut diſtrahendi, vendendi, transferendi ad hæredes, in feudum dandi, in dotem, dandi etiam ad *firmam*, haberet liberam facultatem. Quo caſu ſacerdotis erat tantum altare, eccleſia autem alterius, qui omnia ipſius bona ut ſibi propria vindicabat. Multum de eo queritur Abbo Floriacenſis apud Aimoinum, qui vitam

ipſius ſcripſit *cap.* 8. *Certe*, inquit, *nec catholice vivimus, nec catholice loquimur, quando illam eccleſiam dico eſſe meam, ille alteram dicit eſſe ſuam.* Et mox: *Eſt etiam alius error graviſſimus, quo fertur altare eſſe epiſcopi, & eccleſiam alterius cujuslibet domini &c.* Fr. de Roye *ad cap.* 5. §. 1. *ext. de jur. patr. Firma* erat locatio *cap.* 2. *ext. de loc. cond.* Sed locatio, quæ plerumque ad longum tempus contracta. Alteſer. 4. *diſſ. jur. Can.* 10. Ad *firmam* tenere, id eſt, titulo locationis. *Firmarius* conductor. Joannem Regem ipſi Angli vocabant Papæ *firmarium* apud Matthæum Paris; quod in perpetuum obſtrictus Papæ ad cenſum quotannis. Cenſus ipſe etiam *firma*, ut & caſtrum ſeu prædium, quod ſub cenſu conceſſum. Habuiſſe S. Albani manachos LIII. *firmas* ex *maneriis* ſuis idem Matthæus Paris ait in *vita Abbatum S. Albani.* Ingulphus in hiſtoria Croylandenſis monaſterii. *Placuit tenementum aliquod ad firmam alicui dare ad terminum vitæ: Sed tandem cuidam Comiti nomine Normanno manerium aliquod datum eſt ad terminum centum annorum, ut illud teneat ab eo monaſterio, & per firmam ſingulis annis certa quadam grana ei ſolvat. Ejus Normanni frater ſucceſſit in eam firmam, eamque alteri monaſterio donavit.* De eccleſiis autem nequis dubitet idem ad Ann. CIↃ. CC. XXXVII. *Callide procuravit, ut illa eccleſia ſibi ad firmam perpetuo traderetur.* Henr. Huntind. *Epiſcopatus & Abbatias aut vendebat aut in manu ſua retinebat ad firmam.* Fr. de Roye *ad cap.* 7. *ext. de jur. patr.*

Tertio etiam notandum, quod ædes non tantum ſacra, verum etiam cœmeterium, ut & extra cœmeterium ambitus xxx. paſſuum. Sic expreſſe in *cap. ad hoc ext. de jur. p.tr. in 5. Compil. cum indecens modo omnibus videatur, ut eccleſiæ memoratæ competenti dote penitus ſint expertes, ipſarum cuilibet ſaltem triginta paſſus terræ juxta canonicas ſanctiones in liberam eleemoſynam extra cimeterium à parte qualibet earundem ad domos clericorum faciendas ibidem liberaliter largiaris.* Triginta ſcilicet in circuitu. Qui & *ſacri* in Concilio Toletano XII. *can.* 10. & Concilio Coyanenſi *can.* 12. Emunitas hæc eccleſiæ, Immunitas, *Montade*, in chartis Ultrajectinis. Spatium etiam *legitimum* & *Canonicum* paſſim, ut apud Innocentium 13. *epiſt.* 164. *ut Patrocenſi Archiepiſcopo ſpatium Canonicum circa eccleſiam relinquatur.* Continebat id non tantum connexa & adhærentia, *ædificia, quæ vulgi more parapetaſia nuncupantur, l.* 39. *C. Th. de operib. publ.* παραπήσια, ut in Baſilicis, verum etiam veſtibula, porticus, balnea; areas, ædes Canonicorum, aliorumque manſiones. Totum id ſecuritatem & aſylum præſtabat reis. *l.* 4. *& ſeqq. C. Th. de h. qu. ad eccleſ. conf.* Τούτων διαστημάτων πλάτος τῶν προσφυγόντων, ut ajunt Græci. *Uſque ad extremas fores eccleſiæ, quas oratum geſtiens populus primas ingreditur, confugientibus aram ſalutis eſſe præcipimus, ut inter templi, quod parietum deſcripſimus cinctu, & poſt loca publica & januas primas eccleſiæ, quidquid fuerit interjacens, ſive in cellulis, ſive in domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus*

confugas interioris templi vice tueatur. Hanc autem ſpatii latitudinem ideo indulgemus, ne in ipſo Dei templo & ſacroſanctis altaribus confugientium quenquam mane, vel veſpere, cubare vel pernoctare liceat, &c. ajunt Impp. *d. l.* 4. Synodus Aurelianenſis I. *can.* 1. *Canones eccleſiaſtici & lex Romana conſtituit, ut ab eccleſiæ atriis & domo epiſcopi reos abſtrahi non liceat.* Et id alibi etiam *Salvitas.* Charta publicationis Treugæ factæ per Guillelmum Archiepiſcopum Auſcenſem & Legatum Papæ Ann. 1103. in Chartario Laſcurrenſi: *Eccleſia ſalvitatem habeant triginta paſſuum circum circa; monaſteria vero ſexaginta:* Περίβολος ἱερὸς, *ſacra ſepta*, etiam dixere. Sic *can.* 76. *ſynod.* 6. *in Trullo. Dextros* Synodus Coyanenſis dixit: *Prohibitum fuit*, inquit, *violenter reum abſtrahere intra dextros eccleſiæ, qui ſunt triginta paſſus.* Et ſic *dextros* in Gloſſario etiam Papias interpretatur: *Dextri*, inquit, *dicuntur paſſus menſurandi.* Marculfus *formul.* 104. *Habet in longo dextros tantos.* Conſuetudines Toloſanæ truncata voce dicunt *Dex tit. de homag. art.* 7. *Dextrarii* alibi menſores. *Dextrum*, radius, menſura, linea, quam in agris metiendis adhibent. Anton. Deſpeiſſes *tr. de tall. & aliis impoſ. ſect.* 2. *n.* 9. Ciron. *ad cap. ad hoc ext. de jur. patron.*

TI-

TITULUS VIII.

DE
Decimis.

Quod ad dotem eccleſiæ, eo prædia inprimis pertinent. Sed præter prædia etiam quidvis, ex quo lucrum aliquod deſcendit. Etiam decimæ eo pertinent. Quæ ſunt decima pars fructuum, eccleſiæ, aut miniſtris ejus quotannis præſtanda, *cap.* 13. *ext. de decim.* Sunt nona etiam, ſunt ſexta, octava etiam, aut undecima. Et recepti tamen moris, etſi frequens etiam *nonarum* mentio, ut vulgo decimæ nuncupentur, & quod numerus denarius in honore olim paſſim, ut & apud Ovid.

Annus erat decimum cum Luna receperat orbem,
Qui numerus magno tunc in honore fuit.

& quod uſus decimarum frequentior quam aliarum, ut quæ veteri teſtamento præſcriptæ etiam à Deo *cap. in aliquibus verſ. illa ext. de decim.* Wilhelmi Comitis charta Ann. 1332. quam videre eſt apud Oudenhove *beſchryv. van Zuyt-holl. p.* 241. *Ende de thienden van den Lande ſullen wy behouden, dats te weten den elfſten ſchoof, ende dat elfſte Lam.* Alia Ann. 1483. Joannis de Waſſenaer Burggravii Leydenſis *ibid. p.* 278. *Binnen deſe ſeven jaren ſo en ſalmen maer halve thienden geven, te weten den elfſten ſchoof, dat thienſte Lam, dat thienſte jonck vercken, die*

thienſte ganſe , ende dat elffſte achtendeel raepſaet. Caroli Calvi Capitula *tit.* 6. *cap.* 16. *&* *tit.* 24. Regino *de eccleſiaſt. diſcipl. cap.* 45. *& ſeqq.* Ziegler. *de Diacon. cap.* 13. *n.* 15. Fr. de Roye *Inſt. jur. Can. lib.* 2. *tit.* 12.

Majores aliæ, aliæ minutæ. Miræ. *lib.* 1. *don. Belg. cap.* 62. Majores ex tritico, avena, hordeo, ſiligine, & omni genere frumenti, ex fœtu pecudum, ex vino, ubi copia vinearum *cap.* 3. *extr. de decim.* Minutæ ex ſemine, ex leguminibus, ex arborum fructibus hortorumque *d. cap.* 3. *ub. Hoſtienſ.* Minutæ etiam reales. *Reales* autem, quod aliæ, quæ dicuntur *perſonales*, ex quæſtu, ex commercio, ex artificio olim præſtitæ *cap.* 18. *de decim. coll.* 2. Auguſtin. *ad Pſalm. & in ſerm.* 64. *ad fratr. in eremo: Ex quacunque arte Dominus alicui donaverit ingenium lucrandi, unde ſe & ſuos alere & veſtire poſſit, & cum hoc ſuperlucrari aliquid, hilariter ſolvet decimam ejus lucri.* Caroli Magni Capitula *lib.* 2. §. 21. *Ut de omni conlaboratu & de vino & fœno fideliter & pleniter ab omnibus nona & decima perſolvantur.* Sed hæ ſenſim ſublatæ. Etiam in veteres & novas dividuntur. Veteres quæ debentur ex agris ſemper excultis. Novæ novalium. Novalis agri, qui de novo ad culturam redacti, *cap.* 4. *cap. ult. ext. de decim. cap.* 21. *ext. de verb. ſign.* Belgæ dividunt in *Koorn-thienden*, *Smal-thienden*, & *Krytende thienden. Smal-thienden*, quæ ex lignis, ex leguminibus, ex cœpis, rapis, oleribus, nucibus, pomis, piris, ex lacte item, ex pellibus, lana, caſeis, &c. Anſelm. *Tribon. Belg. cap.* 1. §. 14.

§. 14. *n.* 17. *Krytende thienden*, quæ ex fœtu animalium, quadrupedum, avium, ut & piſcium debentur. Leg. Suecic. *lib.* 1. *cap.* 8. Grot. 2. *man.* 45. Oudenh. *d. tr. p.* 404. Nec ignotæ paganis piſcium, cum Corcyræos legamus & Jovi Olympio & Apollini Delphico decimas pependiſſe piſcationis thynnorum. Pauſan. *in Phocicis.* Alteſerr. *ad cap. paſtoralis ext. de decim.*

Quæcunque autem ſint, non deductis impenſis ut præſtentur neceſſe eſt. Nec detractio hic expenſarum, nec compenſatio habet locum *c. cum homines*, *c. tua nobis*, *c. cum non ſit ext. de decim.* Et ratio eſt, quod nec fiſco cum tributum petit aut vectigal, poteſt objici compenſatio *l.* 3. *C. de compenſ.* Cur eccleſiæ ergo, aut ei, cui ceſſit hæc ſuum jus, cum petit decimas, objicietur? An non ipſæ etiam tributa egentium ſcilicet animarum, ut Innocentius ait Papa III. *lib.* 1. *epiſt.* 112. Anſelm. *Trib. Belg. cap.* 89. §. 5.

Debentur variis ex cauſis. Vel inter vivos conſtituuntur vel in ultima voluntate. Traditione acquiruntur, legato, fideicommiſſo, ut & temporis præſcriptione. Moller. 4. *ſemeſt.* 38. *pr. & in fin.* Zypæ. *Jur. Pontif. lib.* 3. *tit. de decim. n.* 1. Qua & rurſum amitti poſſunt, ſi intra annos 40. aut intra ſpatium trientis ſeculi nec exactæ nec ſolutæ. Zypæ. *jur. Pontif. lib.* 3. *tit. de decim. n.* 1. Diff. Bugnyon *de legib. abr. lib.* 3. *ſat.* 125.

Etiam temporis debentur Deo, Auguſtin. *ſerm.* 219. *Imo & quod majus eſt, non rerum omnium & proventuum, ſed & ipſorum dierum decimas Deo dare debemus.* Unde & Quadrageſimam quidam nuncupant anni decimam, ut in Concilio Troſlejano *cap.* 6. & apud Nicolaum Papam ad conſulta Bulgarorum: *Tempore quadrageſimæ, quo Deo carnis noſtræ decimas damus, omni voluptati eſt renunciandum.*

Gudelin. *de jur. noviſſ. lib. 6. cap.* 13. *verſ. tertiam.*

Alienare acquiſitas, cum dicantur divini juris, ulli vix olim licuit. Hincmarus apud Flodoard. *hiſt. Remenſ. lib.* 3. *cap.* 25. *Abſit*, inquit, *fratres, ut alii eccleſiaſtici & religioſi viri hoc audiant, quod monachi de monaſterio ſancti Dionyſii decimam vendere quærunt, ut de ipſo pretio infernum comparent: multo magis autem abſit, ut hoc laici audiant, quod nemo etiam peccatis publicis implicatus in tota parochia facere audet.* Add. Baluz. *ad Capitul. p.* 1376. Permiſſum tamen locare, ſi conditio ſcilicet eccleſiæ melior fiat non deterior *cap. veſtra ext. de loc. & cond. & ibid. Alteſerr.* Dare etiam in uſumfructum, ut in charta inedita Ann. 1252. Luxus autem, ambitio, pompa, & faſtus ſecularis cum clerum paſſim invaſiſſet, ære dirutus etiam paſſim, cum immineret neceſſitas, in feudum dedit decimas, alienavit, diſtraxit. Altaria dedit, prædia, & eccleſias etiam ipſas. Et hinc quod decimæ etiam in manu laici. Suos etiam cum clero hoſtes excitaſſet ambitio, cum opes nimiæ & invidendæ, quærendi etiam potentiores, qui ei eſſent præſidio. Ambienda ipſorum gratia etiam datis pecuniis. Si non eſſent ad manum, & aliquid tamen dandum, quo promptior eſſet eorum opera, ad cenſum, ad prædia, ad res eccleſiaſticas manum mitti oportuit. Arnold. Abbas Lubecenſis *lib.* 3. *Chron. cap.* 18. *Dicit Dominus Papa injuſtum eſſe aliquam laicam perſonam decimas poſſidere &c. Scimus autem decimas & oblationes à Deo ſacerdotibus & Levitis primitus deputa-*

putatas. Sed cum tempore Chriſtianitatis ab adverſariis infeſtarentur eccleſiæ, eaſdem decimas prapotentes & nobiles viri ab eccleſiis in beneficio ſtabili acceperunt, ut defenſores eccleſiarum fierent, qua per ſe ſua obtinere non valerent. Etiam interdum laici, dum eccleſiam exſtruunt aut cœnobium, eas pacti expreſſe, ut exemplum apud Innocentium 1. *epiſt.* 21. Gobelin. Perſona, *Coſmodrom. ætat.* 6. *cap.* 38. *Carolus ſeptem loca intra Saxoniam pro ſedibus epiſcopalibus elegit. Et licet decima de jure divino ſpectare noſcantur ad ſacerdotes. Karolus tamen decimas in his partibus menſæ regiæ reſervavit. Et inde eſt, quod laici in iſtis partibus decimas obtinent.* Add. Brouwer. *antiq. Fuldenſ. lib.* 3. *cap. ult. in fin.* Imo in uſum belli, ut de ſuo clerus præſtaret decimas, edictis Regiis imperatum, ut Regis Angliæ, verbi gratia, & Philippi Auguſti Regis Galliarum, cum Ægyptio Sultano Saladino bellum eſſent illaturi. Quæ & decimæ *Saladinides*, de pretio etiam mobilium, quæ extra uſum quotidianum, quotannis præſtandæ, Rigord. Extra uſum quotidianum dico. Nam ex iis, quæ eo ſpectant, & quæ ad victum neceſſarium, exactas non memini. Anſelm. *Trib. Belg. cap.* 1. §. 7. De diſtractione autem quod dixi ad jus pertinet percipiendi. Nam ſatis conſtat, quod jam olim certo pretio redemptæ, & quod paſſim id relictum creditoris arbitrio, utrum ipſas mallet an pretium. Caroli Magni Capitula *lib.* 2. §. 21. *Siquis autem epiſcoporum fuerit, qui pro hoc argentum accipere velit, in ſua maneat poteſtate, juxta quod ei & illi, qui hoc perſolvere debet, convenerit.*

 Quod

Quod porro ad debitorem, de agro fructus in horreum convehere ipſi non licet, niſi prius creditori denuntiet tempeſtive, ut vel ipſe accedat, vel ſi nolit, mittat alium, qui tollat decimas & ſecernat, quem vult. Si ad diem non adſit, nec alium pro ſe mittat, citra ullum periculum, relicta decima creditori, quod ſuum eſt, colonus tollet. Coſtuymen *van Utrecht gecolligeert door Duc d'Alba* §. 40. *& ſeqq. Keuren van Zeelant cap.* 3. §. 7. *van den Lande van Voorn art.* 99. *van Deventer part.* 3. *tit.* 17. §. 21. *van Hondſcote tit.* 13. §. 1. Fenzon. *ad Statut. urb. Rom. cap.* 123. *n.* 9. Luc. *placit. lib.* 2. *tit.* 5. §. *ult.* Bugnyon. *de leg. abr.* 3. *ſat.* 126. Oudenhov. *d. tr. p.* 404. *& ſeq.* Detractio hic non habet locum *c. cum homines c. cum non ſit ext. de decim.* Anſelm. *Trib. Belg. cap.* 89. §. 5. Sed inprimis hic attendendum, quæ loci ſit conſuetudo, & ſi de ea non ſatis conſtet, ſequendum nihilominus, quod in vicinia obſervatur. Zypæ. *jur. Pontif. lib.* 3. *tit. de decim. n.* 5. Moris alibi, ut Ultrajecti, ne coloni cum ſolvunt, dimittantur impranſi. Contra alibi uſitatum. Ex Actis manuſcriptis Trajectenſis eccleſiæ Ann. 1589. 14. Jul. *Geordonneert den groot Cameraer die van Cothen voor hair thient maeltyt te betalen elcke jaer twee tonnen biers, elcke ton van vijf gulden, die van den gerechte van Doorn ende daer omtrent* XXVI. *gulden in plaetſe van hare tient maeltyt.*

TITULUS IX.

DE

Primitiis & oblationibus.

Præter decimas Iſraëlitis primitiæ etiam imperatæ. *Exod. cap.* 28. *verſ.* 24. *Levit. cap.* 23. Servator etſi non imperavit, ſenſim tamen earum uſus, ad exemplum etiam ethnicorum, in eccleſiam introductus, *c. eccleſias* 13. *qu.* 1. *c. Revertimini* 16. *qu.* 1. Nam ethnici ſic cenſebant dandas ſcilicet τοῖς θεοῖς ἀφ' ὧν ἔδωκαν ἡμῖν ὠφέλιμον εἰς τ̄ βίον ἀπαρχάς. Sam. Petit. *ad leg. Attic. pr.* Oblatio earum antiquiſſima in *Conſtit. Apoſtolic. lib.* 7. *cap.* 30. Prætextu augendi divini cultus circa ſextum ſeculum imperatæ in Hiſpalenſi Concilio. Ivo Carnotenſ. *decret. part.* 3. *cap.* 174. Circa nonum ab Herardo Archiepiſcopo Turonenſi in Capitulis à ſe editis. In uſum deinceps aſſiduum & juris verſa neceſſitatem. Ad parochiales eccleſias deferri paſſim conſtat, ſed unde, ex quibus rebus, & ad quem modum non conſtat. Alii ad quadrageſimam, alii ad ſexageſimam, partem fructuum reſtringunt. Alii aliter. Præſtabant certis diebus, & inprimis Dominicis P. Damianus 4. *epiſt.* 16. *Poſt hanc illa feſtivitas ſequitur, quæ dicitur novalium, cum primitiæ ſcilicet de novis frugibus offeruntur.* Romanis feſtum id Ambarvalia. Virgil. 1. *Georg.*

Terque novas circum felix eat hoſtia fruges.

Feſt. *in Ambarvales.* Ciron. *par. de decim.* Oblationes

tiones ſunt dona, quæ clero aut epiſcopis, aut eccleſiis conceſſa. Conceſſa variis ex cauſis. Pro vivis data & pro mortuis. Ad animæ redemptionem, ad gratiam & indulgentiam ab epiſcopo impetrandam. Pro ſponſalibus, pro nuptiis, pro frugibus, pro fœtu pecudum, & aliis cauſis innumeris. Antiquiſſimus earum uſus. Nam & meminit Ammianus *lib. 27. cap. 3. Neque ego abnuo oſtentationem rerum conſiderans urbanarum hujus rei cupidos ob impetrandum quod appetunt omni contentione laterum jurgari debere: cum id adepti futuri ſint ita ſecuri, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis inſidentes circumſpecte veſtiti.* Quod dabant miſſum vel in arcam, ſeu in γαζοφυλάκιον, *Luc. 21. pr.* ſeu *ſecretarium*, ut Poſſidius in vita Auguſtin. *cap.* 24. vel depoſitum in altari, aut delatum ad epiſcopum, ut eſt apud Juſtinum Martyrem, *Apolog.* 2. ut ſcilicet diſquiri poſſet, num digna eſſent munera vel ob perſonam offerentium, vel ob cauſam, ob quam data. Rejecta enim quæ ab impiis, *can. non eſt putanda* 1. *qu.* 1. *c. miror* 17. *qu.* 4. Damian. *epiſt. 36. lib. 6. Enimvero dona ab iniquis ſuſcipere, quid aliud eſt, quam propriam animam ex dantis ſqualore fœdare?* Ciron. *d. loc.* Plerumque autem cum quid dabant, imponebant altari. Unde & illud Hieronym. *epiſt. ad Nepotianum: altari ſerviens altaris oblatione ſuſtentetur.* Et recte ait, *altari ſerviens.* Sacerdoti enim datum, quod ſimpliciter tantum datum, etſi nec huic ſoli. Pro parte etiam epiſcopo, perſonæ, patrono laico; ſi eccleſia in manu laici. Sæpe enim eccleſia ut in partes diſtracta. Interdum

terdum tota erat laici, ſed locus in quo altare, concha ſcilicet, ſeu abſis *(altarium* etiam dicunt) ut & ipſum altare, ſacerdotis aut epiſcopi. Quod primum obſervaſſe Petrum de Marca Archiepiſcopum Pariſienſem notat Ziegler. *de dot. eccleſ. cap.* 1. *n.* 7. Utrumque etiam in manu laici & altare & eccleſia. Veteris Chronici fragmentum apud du Cheſne *to.* 4. *hiſt. p.* 118. *Dedit itaque ſupradictus Comes Burchardus eccleſiæ Foſſatenſi has poſſeſſiones de rebus ſuæ proprietatis, villam videlicet, quæ Nobiliacus dicitur &c. cum advocatione & vicaria, cum eccleſia & altari, & cum omnibus quæ ad ipſam aſpiciunt.* Sæpe altare & conſtructum, & dotatum ea lege, ut ſolveret ex oblationibus quotannis cenſum ſacerdos. Solveret ſcilicet vel patrono vel alii cuicunque *can. Eleutherius* 30. *cauſ.* 18. *qu.* 2. *can. ſiquis baſilicam* 10. *de conſecr. diſt.* 6. Sic in veteri diplomate duo donat altaria Cameracenſis epiſcopus, ſed ut addit *ea lege, ut ibi cantaturus ſacerdos duos Antverpienſis monetæ ſolidos in feſto S. Lucæ Evangeliſtæ per ſingulos annos epiſcopo Cameracenſi perſolvat.* Vid. Buchel. *ad Hed. hiſt. Ultraj. p.* 159. Ziegler. *d. tr. cap.* 5. *n.* 15. Sæpe oblatio diviſa, ut in charta apud d'Achery ad Guibert. *in not. p.* 927. *Rodulfum ab Ivone Nigellenſi domino &c. in altare de Curci tam in minutis decimis, quam in hoſpitibus atrii, ſeu in oblationibus Sacerdotis dimidietatem per omnia in feodum tenuiſſe &c.* Charta apud Lindeborn. *notit. epiſc. Daventr. cap.* 4. §. 1. *Pro canonica portione nobis & ſucceſſoribus noſtris &c. marca argenti puri &c. una cum medietate omnium oblationum*

tam in altaribus ſive truncis, aut alias quomodolibet oblatarum &c. perſolvatur. Sæpe etiam donatum quod majoris momenti. Rerum etiam univerſitas. Iniquum autem ut abſorberet id univerſum ſacerdos. Alimenta ipſi erant ſatis. Impendendum quod ſupererat, aut hoſpitum receptioni, aut egenis, aut ad fabricam & refectionem eccleſiæ. Ziegler. *d. tr. cap.* 11. *n.* 8. Miræ. 1. *don. Belg. cap.* 23. Unde & ſuo tempore ratio inita oblationum, quæ interim in eccleſiis in arcula aſſervatæ. Quæ & alibi Cimilinum, aut ciniline, ut vocatur ſic in *c. cum inter ext. de verb. ſign. in* 5. *Compil.* Vox, quæ alibi vix occurrit. Sed haud dubie eſt à κειμήλιον. Unde & porro *Cimelium, Cimeliarcha, Cimeliarchium, l. ult. C. de bon. auct. jud. poſſ.* Locus eſt Cimeliarchium, in quo vaſa ſacra, veſtimenta, & eccleſiæ theſaurus. Habet vocem Cimeline Joan. à Janua in Lexico, quod olim edidit, & appellat *Catholicon*; *Cimiline*, inquit, *dicitur vas aquaticum ad abluendas manus, ut dicunt Batinum.* Batinum à Græco βάτιον. Βάτιον nihil aliud quam pelvis, vaſculum, pelluvium. Batiolam vocat Nonius. Itali Bacile. Βατζέλιον Cruſius in Turco-Græcia. Pontificale Romanum: *Bacile cum Bucali pro manibus abluendis.* Add. Meurſ. & du Cange in Βατζέλη. Ciron. *ad d. c. cum inter.* Cimeliarcha, Sacriſta, Theſaurarius, Σκευοφύλαξ, ut ſic vocat Codinus *lib.* 1. *de offic. eccleſ. Conſtant. Capitiarius*, ut Fulbertus epiſcopus Carnotenſis *epiſt.* 103. Capitiarius à *capis.* Capis, vas ſacrum apud Livium *lib.* 10. *cap.* 7. Plinium *lib.*

37.

37. *cap.* 1. Græcis καπίθη apud Pollucem *lib.* 4. *cap.* 24.

TITULUS X.

DE

Beneficiis eccleſiaſticis.

Beneficium eccleſiaſticum eſt jus quod habet clericus pro officio quod præſtat quibuſdam rebus eccleſiaſticis utendi fruendi. *Utendi* dico *fruendi.* Perſonale eſt enim jus. In heredes non tranſit. *Quibuſdam rebus eccleſiaſticis*, beneficio ſcilicet adſcriptis. Res ipſæ etiam *beneficium.* Etiam officium, ut Canonicatus, præbenda. Et tum vel majus vel minus eſt. Majus, cui dignitas, ut Sacerdotium, Diaconatus, Perſonatus &c. (unde & *honor* Sacerdotii apud Cyprianum,) cui plura beneficia, cui vis & poteſtas & jurisdictio eſt annexa, *cap.* 1. *ext. de maled. can. perlectis* §. *hi ſunt ordines diſt.* 25. Minus ſimplex adminiſtratio eſt *cap.* 1. *de cland. conj. in* 2. *collat.* ſimplex Prioratus, Canonicatus &c. *Simplex* dico. Nam ſi ponas, quod Canonicatui adjuncta eſt, verbi gratia, Præpoſitura, aut Decanatus, majus rurſum non minus eſt. Fr. de Roye *Inſt. jun. Can. tit.* 15. Ex his quædam ſunt, quæ requirunt reſidentiam, quædam non. Quæ requirunt reſidentiam, præſertim ſi ut ſolet juramento promiſſa hæc, quæ & *ligia* reſidentia in *c. ex parte ext. de cleric. non reſid. in* 5. *Compil.* id eſt, valde adſtricta & devota, ut vaſallus dici-

tur ligius, obſtrictus domino contra omnes, ne excepto quidem Rege, aut alio domino antiquiori *clement. Paſtoralis ext. de ſent. & re jud.* Qui & alibi homo *ligius*, & uno verbo *Homoligus, Homoligius*, *Homologus*, ut Cujac. *ad lib.* 2. *feud. tit.* 5. *& lib.* 4. *feud. tit.* 98. ex *l. ult. C. Th. de patroc. vicor.* ubi tamen pro *Homologi* Cironius legit *Homoligi* ad *d. c. ex parte*, etſi ratio emendandi, ut videtur, non ſatis prægnans. Vix Latina enim vox, & *coloni* ibi *homologi* qui in Baſilicis ὁμοκλῶσι, & in *Novell. Juſtinian.* 128. Quæ requirunt, inquam reſidentiam, plura in unum ſimul, cum unus pluribus non ſufficiat, conferri non poſſunt, *cap. de multa c. præterea ext. de præb. & dign.* Ziegl. *ad c. audita ext. de reſtit. ſpoliat.* Quibus cura animarum annexa eſt, requirunt. Canonicatus requirunt. *d. c. de multa, c. quæſiviſti ext. de prebend. in* 5. *Compil.* Officio per ſe ipſi debent fungi Canonici, niſi tenuis ſit præbenda, & beneficium, quod non tanti, & quod ad clericum exhibendum & ſuſtentandum non ſufficit, *cap.* 4. *ext. de æt. & qual. ord. in* 2. *collat. can. Sanctorum diſt.* 70. *cap. propoſuit ext. de conceſſ. preb. ub. & Alteſerr.* Cui quin & alibi etiam aliud adjungatur, non eſt, quod quicquam obſtet, nec ulla eo caſu reſidendi neceſſitas. Sed ſeculi tandem vitio, poſtquam faſtus ſecularis magnis ſenſim cum incrementis in eccleſiam invectus, ne deeſſent inſtrumenta graſſanti luxuriæ, plura in unum congeſta etiam paſſim & indiſtincte. Choppin. *lib.* 1. *monaſt. tit.* 1. *n.* 2. Alteſerr. 2. *aſcetic.* 6. Primum id cum fieret, inventa

etiam ſtatim ratio, qua æquiſſimum videretur. Olim ita placuerat. Ut uni una tantum uxor, ſic uni unus tantum titulus. *Titulus*, id eſt, eccleſia. Nec quiſquam, qui Sacerdos, Sacerdos ſine titulo *can. neminem can. Sanctorum diſt.* 70. Regino *lib.* 2. *Chron. Porro Coloniæ Agrippinæ Rex Hilduinum Abbatem præponere tentavit in Pontificali cathedra, fecitque a Francone epiſcopo Tungrenſis diœceſis in Aquis-Palatio Presbyterum ordinari ad titulum Sancti Petri prædictæ metropolis.* Alteſerr. *ad Anaſtaſ.* Uni unus epiſcopatus, uni una Abbatia, uni cui *attitulatus* (nam ſic in libris Conciliorum Strauch 2. *amœn.* 7. *c.* 12.) una tantum eccleſia, una item præbenda, *can. monachum* 20. *qu.* 4. *c. unum*, *c. qui plures* 21. *qu.* 1. *cap.* 3. *ext. de cler. non reſid. cap. ult. ext. de relig. domib.* Alteſerr. 2. *aſcetic.* 14. & *ad c. cum eccleſiaſtica ext. de conceſſ. præb.* Et nec quæſitus ſemel titulus deſeri rurſum potuit non magis quam poteſt uxor. Canones Iſaac epiſcopi Lingonenſis apud Baluz. *tit.* 10. *cap.* 1. & 2. & *tit.* 11. *cap.* 28. Ziegl. *lib.* 4. *de epiſcop. cap.* 21. *n.* 4. & *ſeq.* Nam & inter Sacerdotem & eccleſiam conjugium, ut vulgo perſuaſi tum, *can. ſicut* 7. *qu.* 1. *can. ſicut unaquæque* 21. *qu.* 3. *cap. cum inter ext. de elect.* & *el. pot. cap. inter corporalia*, *cap. licet*, *cap. quanto ext. de tranſl. epiſcop.* Caroli Magni Capitula *lib.* 5. *cap.* 28. *Clericum permanere oportet in eccleſia, cui in initio prætitulatus eſt, & ſortitus eſt, & ad quam confugit quaſi potiorem &c.* Add. *lib.* 6. *cap.* 176. & *cap.* 381. *in fin.* Capitula Herardi Archiepiſcopi Turonenſis *cap.* 49. *Ut Presbyter non amplius*

Phot. Nomocan. *tit.* 11. *cap.* 3. Καὶ δύο μοναστηρίων οὐ γίνεται αὐτὸς ἡγούμενος. *duorum monaſteriorum unus idemque præſul non fit.*

quam unam eccleſiam habeat, ſicut & vir unam uxorem. Ex teſtamento Matthæi Patriarchæ Conſtantinopolitani apud Lambec. *lib.* 8. *comm. p.* 525. *Τῆς τοίνυν ἐκκλησίας χηρευούσης καὶ νυμφίον ἐπιζητούσης πνευματικὸν, eccleſia tum temporis vidua & ſponſum ſpiritualem quærente.* Unde & illud Paulini *epiſt.* 6. *Nam ea conditione in Barcinonenſi eccleſia conſecrari adductus ſum, ut ipſi eccleſiæ non obligarer, in ſacerdotium tantum domini, non etiam in locum eccleſiæ dedicatus.* Et Sulpitii illud Severi *dial.* 1. *cap.* 4. *Eccleſiam loci illius presbyter Hieronymus regit: nam parochia eſt epiſcopi, qui Hieroſolymam tenet.* Sed poſtquam crevit ararum numerus, & ſacerdos affixus ſingulis, non eccleſia tantum titulus, ſed & quotquot in ea aræ. Et ſic plures ſacerdotes & tot quot ſunt aræ in eadem eccleſia. *Localis* hic, cui titulus. Sic Concilium vocat Valentinum *can.* 6. Ceteri dicti Acephali *c. nulla diſt.* 95. Adam. Bremenſ. *lib.* 5. *hiſt. eccleſ. cap.* 15. Strauch. 2. *amœn.* 7. *cap.* 6. Nec ubique id tamen verum, quod uni unus tantum titulus. Tituli ſeu eccleſiæ poſtquam titulis ſubjecti, minores majoribus, ſubjecti uni etiam plures. Et viſum id non abſurdum, ſed ſecundum naturam, ut rem ſcilicet principalem ſequeretur acceſſio, *l.* 19. §. 13. *ff. de aur. & arg. leg.* Capella etiam eccleſia, ſed quæ matrici ſubjecta. Nec tantum cathedralis, ſed & parœcialis interdum matrix, quod & ipſi in aliam velut jus maternitatis, ut ex Synodo quadam Biſuntina obſervat Cironius *ad cap.* 2. *de fid. inſtrum. in* 5. *collect.* Fr. de Roye *proleg. ad tit. de jur. patr. cap.* 37. Innocentius Papa

Papa III. *lib. 2. epiſt. 137. Quod eccleſia ſua nullo tempore fuit titulus eccleſiæ Caſalenſis, nec unquam tanquam plebi ſubjecta.* Charta Ottonis I. apud Meibomium *append. ad Witichind. Confirmamus ac corroboramus eccleſiæ S. Dei genitricis & virginis Mariæ &c. omnes plebes, abbatias, Xenodochia &c.* Et mox: *quatenus &c. habeant, teneant, firmiterque poſſideant in perpetuum prædictas plebes &c.* Quid plebs ſit dixi ſupra. *Plebana* etiam domus in Quirinalibus Metelli:

Plebana perſtat Baſilicæ domus,
Ab Africo quæ proxima terminat
Poſſeſſionem martyris inclyti.

Plebejanam Anonymus vocat in *hiſt. fundat. cœnobii Melicenſis apud Lambec. lib. 2. comm. de Biblioth. Cæſar p. 631.* A plebe *plebanatus*, *plebanus* &c. Innocent. *d. loc. Quod eadem eccleſia eccleſiæ ſua in omnibus debeat eſſe ſubjecta utpote ſuæ plebi.* Add. *lib. 3. epiſt. 85.* Mox prætextu neceſſitatis, ſed revera quod ambitio & plus habendi cupiditas ſiſti amplius non poſſet, plures uni etiam dati, quamvis invicem non ſubjecti, epiſcopatus, eccleſiæ, Abbatiæ, præbendæ. Ekkeard. Junior *de caſib. & orig. mon. S. Gall. cap. 1. Ajunt autem hominem fortunatum tandem duodecim abbatias rexiſſe.* Matth. Paris: *In die qua obiit, in proprio habebat Archiepiſcopatum Cantuarienſem, & epiſcopatum Vinceſtrenſem, & Saleberienſem, & undecim Abbatias ad firmam datas.* Libellus *de geſt. Abbat. Gemblac. apud d'Achery to. 6. Spicil. p. 530. Quia duobus monaſteriis præerat, & ob id continua regendi inſtantia alternatim habitationem ſuam mu-*

* Ad firmam, id eſt, ſub cenſu, ſub reditu *c. veſtra x. de loc. cond. ub. Alteſerr.*

tare conſueverat. De epiſcopo Arelatenſi Manaſſe etiam conſtat, quod præter eum habuit adhuc tres epiſcopatus, Veronenſem nimirum, Mantuanum, & Tridentinum. Luitprand. Ticinenſ. *lib.* 4. *hiſt. cap.* 3. Juret. *ad Ivon. epiſt.* 154. Idem hinc & epiſcopus & Abbas nonnunquam. Et datum regimen monaſterii tum Decanis, Præpoſitis. Continuatio *de geſt. Abbat. Lobienſ. ibid. pr. Ex quo enim Franco de Abbate Lobienſi in epiſcopum Tungrenſem vel Leodienſem promotus à Rege Arnulfo Abbatiam epiſcopatui ſuo adquiſivit, ſub epiſcopis uſque ad Euracrum ſuccedentibus, res noſtræ per Præpoſitos & Decanos, quoſcunque epiſcopi ordinaſſent, regebantur.* Diſputatum quidem contra, & adulterii arceſſiti, qui uno titulo non contenti. Mœchos vocat Ivo epiſcopus Carnotenſis. Idem de Ranulfo epiſcopo Dunelmenſi *epiſt.* 154. *Quæ ratio*, inquit, *quæ lex permittit, ut de eccleſia alterius regni ad aliam eccleſiam tranſeat, & velut quadam mœchatione præſentiæ ſuæ &c.* Idem de eodem *epiſt.* 153. *eliminetur*, inquit, *de Luxovienſi eccleſia, ut digamia non admittatur.* Add. Th. Cantipratan. *de apib. lib.* 1. *cap.* 15. *n.* 5. & *n.* 8. Paralipom. Abbat. Urſpergenſ. *ad Ann.* 1238. Sed fruſtra & nequicquam. Legi fraus ſemper facta. Et nec Papis invitis. Nam & anſam dederunt ipſi *c. de multa ext. de præb.* Dati tituli non ut tituli, ſed dati in commendam. *can.* 3. *c.* 21. *qu.* 3. *cap. dudum ext. de elect.* Et hinc uſus *commendarum*. Hinc Abbates commendatarii. Quorum tantum procuratio, cuſtodia, adminiſtratio. Et primum quidem admini-

miniſtratio temporalis duntaxat, ut vacanti eccleſiæ quæreretur interim alius qui præeſſet idoneus *cap. nemo ext. de elect. in 6.* Poſt paulatim perpetua. Alteſerr. 2. *aſcetic. 6.* Hodie autem, modo habeat, quemadmodum quis conſecutus ſit, plures titulos, nihil refert. Vitio vertitur, ſi non habeat. Gabr. d'Emiliane *lib. 2. epiſt. 8. p.* 184. Alibi beneficia etiam commendationes dicta, ut lege Longob. *lib. 2. tit.* 44. *cap.* 1. *Ceteri vero homines liberi, qui vel Commendationem, vel beneficium eccleſiaſticum habent, ſicut reliqui juſtitiam faciant.* Olim ab hoſtibus, à paganis, ab hæreticis, devaſtata diœceſis epiſcopis commendabatur alterius diœceſis, ut commendavit Frotario Burdegalenſi Archiepiſcopo Joannes Papa VIII. Bituricenſem eccleſiam, quamdiu ſcilicet Bituricenſis devaſtatio duraret, *epiſt.* VIII. Balſam. *ad cap.* 34. *Apoſtol.* Ciron. *ad cap. dilecto ext. de eo qu. mitt. in poſſ. in* 5. *Compil.* Hoc initium *Commendarum.*

TITULUS XI.

DE

Collatione Beneficiorum.

Beneficium eccleſiaſticum ut nanciſci quis poſſit, canonica inſtitutio neceſſe eſt præcedat, *cap.* 1. *de reg. jur. in 6.* Canonica & legitima inſtitutio, & collatio, hic tantundem ſignificant. Canonica ut dicatur, neceſſe eſt primo, ut is conferat, qui conferendi habet jus. Habet Pon-

tiſex Maximus, & ubique id uſurpavit. Greg. Magn. 9. *epiſt.* 65. Habet in diœceſi, qui eam obtinet Antiſtes. Habent cui lege aut privilegio id conceſſum *cap.* 13. *ext. de offic. & pot. jud. del.* Papa cum id confert mittit literas ad clerum. Duobus ſi eas dedit, & hi contendant inter ſe, Qui prior eſt tempore potior eſt jure. Prior autem qui reſcriptum obtinuit prior aut impetravit, non qui clero id prior obtulit *cap. cam te ext. de reſcript.* Ciron. *ad decretal. Honor. cap. Capituli ext. de reſcript.* Secundo, ut gratis conferat quicquid confert abſque ullius doni aut pretii interventu. Simonia eſt alioquin, quod deteſtabile habetur crimen, *t. tit. ext. de Simon. cap. ne Dei & cap cupiditati ext. eod. in* 5. *Compil.* Tertio, ut vacet beneficium, ne alioquin inducatur votum captandæ mortis *cap.* 1. *ext. de præſcript. cap.* 2. 3. 13. & 16. *ext. de conceſſ. preb. c.* 2. & 3. *eod. in* 6. Ziegl. *ad c. cum veniſſet* 3. §. 4. *ext. de reſtit. ſpoliat.* Conferendum quod vacabat olim intra trimeſtre. Gregor. 6. *epiſt.* 35. Hodie intra ſex menſes *d. cap.* 2. Intra eos qui non confert amittit ſuum jus, & ad proximum ſuperiorem id eo ipſo transfertur *d. cap. nov.* 123. *cap.* 1. Quarto, ut clerico conferatur, *cap. cum in eccleſia, cap. ad audientiam ext. de Simon.* & idoneo quidem clerico *can.* 5. *diſt.* 23. Ciron. *ad decretal. Honor. cap. ad audientiam ext. de conſuet.* Laico ſi conferatur, neceſſe eſt, clericus primum fiat, & quidem ſtatim intra annum *cap. licet* 4. *ext. de elect. in* 6. Ut idoneus neceſſe etiam, ut legitima ei ætas. Legitima anni xxv.

cap.

cap. cum in cunctis 7. §. *inferiora ext. de elect. & el. pot. c. vel non ext. de ætat. & qual. & ord. præf. in* 5. *Compil.* ut ſit nulli obnoxius, & nec ſervus, nec adſcriptitius *cap.* 3. *&* t. *tit. ext. de ſerv. non ord.* ut ſit juſto thoro natus, *cap.* 2. *ext. de fil. presbyt. in* 2. *Compil.* Spurii, illegitimi, ad ſacros Ordines non admittuntur *t. tit. ext. eod.* Spurii autem omnes, qui non nati ex juſtis nuptiis. Etiam qui ex concubina *c. audite diſt.* 34. Si ſint filii ſacerdotum, aut in ſacerdotio ſunt ſuſcepti, aut non. Si ſuſcepti in ſacerdotio à beneficiis repelluntur. Si ante id, admittuntur quidem, ſed non in patris beneficiis *cap. ad hæc & t. tit. ext. de fil. presb.* ne jure alioquin hereditario introducatur ſucceſſio *cap. ad extirpandas ext. eod.* Etiam neceſſe eſt, ut ſit integrum ei corpus, ut non ſit claudus, aut mancus, aut infirmus, aut cœcus, *t. tit. ext. de corp. vitiat. ord.* Liutprand. *in vit. Pontific. in Innocentio: De indigentia clericorum querimoniam facienti, cum aliquos murcos, aliquos digamos, habere diceret, reſpondit, illum, qui volens partem digiti ſui abſciderit, juxta Canones non poſſe admitti ad clerum.* Ut pius, ut literatus, & ſcientia ei, ſi non eminens, ſaltem ſit competens, *can. illiteratos diſt.* 36. *cap.* 1. *ext. de conceſſ. præb. cap.* 10. *ext. de renunt.* Repulit, quem conſtabat nec Grammaticis innutritum, nec Donatum legiſſe, * ab epiſcopatu Callienſi Honorius

* Juliani Chronicon n. 554. ad Ann. CIↃ. LXXXV. *Audivi, quod Rex Adefonſus conſulebat Dominum Apoſtolicum, diſponendo pro epiſcopo Toletano Sanctio, cognato ſuo, qui ſciebat parum in litteris, & volebat eum Cathedralem, vel potius Archiepiſcopum facere in Alſicem, ſed S. Romana eccleſia illum non admiſit, nec voluit Dominus Apoſtolicus, quia neſciebat litteras, niſi ut ſignaret Rex Adefonſus virum litteratum & ſanctum.*

rius Papa III. *cap. quamvis ext. de ætat. & qual. & ord. præf.* Inter cetera etiam crimina, ob quæ ejectus Pontificatu Joannes Papa VIII. objectum ei à Synodo, quod epiſcopos pretio, quod hominem annorum decem Tuderti epiſcopum, alium nec tempore nec loco oportuno, in ſtabulo ſcilicet equorum, Diaconum ordinaſſet. Liutprand. *lib. 6. hiſt. cap.* VII. Eccleſiæ nihil pernicioſius, quam cum ſacris indigni & pene pueri admoventur. Unde & Ivo indignatur *epiſt.* 67.

Eligimus puerum puerorum feſta colentes,
Non noſtrum morem, ſed regis juſſa ſequentes.

Remenſi eccleſiæ cum Antiſtes eſſet datus filius Hugonis Comitis exiſtens adhuc parvulus, qui regeret interim eccleſiam conſtitutus Odalricus Aquenſis epiſcopus. Flodoard. *lib.* 4. *hiſt. Remenſ. cap.* 22. Sed innumeræ hinc dein lites. Merito ergo Ambroſ. *in* 1. *ad Timoth. Cavendum eſt, ne facile quis accipiat eccleſiaſticam dignitatem, niſi prius de vita ejus & moribus fuerit diſputatum &c.* Cavendum ne ſit ſimilis Suenoni Præſuli Roſchildenſi; qui codicem miſſalem nactus paſſim inſperſum literis pro; *Deus regem famulum ſuum protegat*, legebat, *mulum ſuum protegat*, prima ſcilicet ſyllaba in voce *famulum* extrita. Sic Saxo Grammaticus & ex eo Pontanus *hiſt. Gelr. lib.* 5. Ne imitetur Meinwerçum Patherbornenſem epiſcopum, quem cum Imper. Henricus II. pro requie animarum patris ſui ac matris juſſiſſet miſſam celebrare, & ille nactus miſſale, ſic refert qui ejus vitam ſcripſit, non legit

legit, ut debuit, *famulis & famulabus*, ſed ut ſcriptum reperit vitioſe, *mulis & mulabus*. Inſultans tum Imper. *Patri meo & matri*, inquit, *non mulis & mulabus meis miſſam volui celebrari.* Ne imitetur Jeſuitam, qui cum ſcypho argenteo duas filias moniales, quas habebat Herbipoli, donaret, ſcypho ſic inſcripſit: *Duabus filiabus ſuabus D. D.* ut tradit Scioppius in *Infam. Famian. p.* 71. Ne mirabilis inſcitiæ exemplum prodat ejuſmodi, quale in Bibliotheca Pontificia *lib.* 2. *p.* 455. Ludovicus Jacobus à S. Carolo prodidit, hiſtoriæ eccleſiaſticæ tam rudem ſe oſtendens, ut articulos Smalcaldicos in conventu Smalcaldienſi à Luthero compoſitos putarit hominem Lutheranum: *Articulus*, inquit, *Smalcaldicus in ſubjuncto elencho hæreticorum, qui adverſus Romanum Pontificem ſcripſerunt, edidit de Primatu & poteſtate Papæ librum.* Diſenb. *de mort. Henr.* VII. *ſect.* 2. §. 30. Sed hiſtoriam quid dico? Cœleſtium præceptorum plerique olim tam rudes, ut vix fando audiſſent Biblia. Tantum abeſt, ut legiſſent. Et ſiquis forſan legiſſet, mirabatur doctrinæ & inſtitutis Pontificiis tot in iis contraria. Brant. 1. *hiſt. Reform.* 2. *p.* 105. Sed ut legeret vix occaſio, ſacrorum librorum uſu tam ſevere interdicto, ut idem docet *ibid. lib.* 3. *hiſt. p.* 152. *Neceſſe eſt, ſciant poſteri*, ait Henr. Stephanus in Apologia ad Herodotum Gallice ab eo edita Ann. 1568. *nondum annos triginta eſſe, ex quo uſus Bibliorum apud vulgum tam rarus, ut qui lecturus perinde, ac ſi crimen commiſſurus, aut falſæ monetæ reus, quærens ſolitudinem totum ſe abde-*

 ret.

ret. Brant *in not. ad to.* 1. *hiſt. p.* 7. Et nec ſemper ſic ſatis tutus. Matrona quædam Valencenis, cum non tam clam id feciſſet, ſtrangulata & combuſta Ann. adhuc 1593. Idem 1. *hiſt.* 15. *p.* 780. Cenſeri clerici olim ſoliti literarum peritia, ſed ubi ſenſim in pejus mutati eorum mores, ubi opes tantum in pretio, & ſtudium eas corradendi etiam ipſos habuit irretitos, abjecta etiam doctrina & auro vilior eis virtus. Satis etiam de eo conſtat, quod inſignis multorum ſtupor, perverſa ipſarum κρίσις, & bonorum Auctorum ſcripta pervertendi libido, moverunt eo Cujacium, ut verbis expreſſis interdiceret teſtamento, ne librorum ſuorum quiſquam, quos habebat manuſcriptos, poſt mortem ſuam unquam, Jeſuitis aut monachis, ſeu pretio accepto ſeu gratis, traderetur in manus. Metuit ſcilicet vir inſignis ne indignum in modum ſupponeretur ſibi partus, ne idem ſibi contingeret, quod aliis ab iis paſſim. Proprium Benedictinis, & *proprium quarto modo*, ait Gabriel Naudæus, *ut in omnibus negotiis ſuis utantur falſis, adulteratis, ac interpolatis documentis.* Quod viginti etiam exemplis ſeu argumentis oſtendit fuſius, *Raiſons peremptoires p.* 23. *Teſtes appello paſſim*, ait Jacobus Kimedontius *lib.* 2. *de Auctor. ſcript. cap.* 6. *tot monaſteriorum per Papatum bibliothecas, in quarum quibuſdam ipſemet vidi monachos audacter admodum falſarias manus intuliſſe ſcriptoribus eccleſiaſticis, ſententias & paginas totas obliterando, imo integris ternionibus & libris exciſis auctores indigne caſtrando*, Add. Launoy. *diſcuſſ. cap.* 10. Conring.

ring. *cenſ. diplom. Ludov. p.* 338. *& ſeq. & in append. ad cenſur. p.* 372. Diſenb. *d. loc.* §. 8. Neceſſe ut clericus norit literas, ſed non ut utatur iis ad proximi ſubverſionem, ut mentiendo, ut prævaricator, graſſetur ad famam. Ut caveat ſibi quiſque ab ejuſmodi literatis, qui non Deo ſed mundo militant, Honorius vult Papa Tertius *c. ex parte ext. de cleric. conj.* Vocantur certe literati, qui & minime literati. Etiam leguleji, qui inflati quodam doctrinæ fumo aliud nihil norunt, quam, unde lucrum ſibi captent, lites ſerere inter partes. Unde & cauſidicos & quoſvis Advocatos Hiſpani vocant *Letrados.* Alii vocant Scholaſticos, ut vocatur Agathias inſignis ſcriptor hiſtoriarum. Sigebert. in Chronico: *Franco Scholaſticus Leodienſium & ſcientia literarum & morum probitate claret.* Syneſ. *epiſt.* 105. Clericos autem, quos & virtus & eruditio commendat amplioribus beneficiis dignos cenſet non immerito Innocentius III. *c. de multa ext. de prebend.* Et vitio tamen datur ſi ſint Medici aut Advocati *c. non decet ext. de vit. & hon. cler. in* 5. *Compil.* Vid. *ſupr. d. tit.* Ciron. *ad d. c. ex parte.* Habent aliud quod agant. Neceſſe, ut inſtruant, doceant, ut ſacros libros evolvant, & in iis ſint dies totos, ut exemplo non tantum ſed doctrina etiam aliis poſſint viam præire. Neceſſe eſt candor concurrat. Inſuper etiam ut concurrant erga Deum religio, vita frugi, honeſtas, & ſi ſermo eſt de Canonicis ſonora etiam vox. Præcipuum enim Canonicorum officium cantare eſt. Rauci, debiles non admittuntur, ut nec ſpurii

aut

aut illegitimi, niſi certis ex cauſis. Tanti autem olim cantus, ut vino hebdomadatim etiam dando excitatus. Wilhelmi Comitis charta Ann. 1328. *Wi Willem Grave &c. maken condt &c. dat wi voor ons ende voor onſe nacomelingen Graven van Hollant om Gode den Goedshuys van Loesdunen gheven enen ſtoop wijns te ſancwine, ende die ſal hem geven alle weke onſe Meyſter uyt onſen Hove in die Haghe, Ende waert dat gevielt, dat in onſen Hof in die Haghe geen wijn en ware, of datter wijn ware, daar men niet uyt tappen en mochte ſonder vreſe van ſchade, ſo ontbieden wi onſen Meyſter voerſz, of wie daer na in die Haghe Meyſter weſen ſal, dat hi den Goedshuſe van Loesdunen voerſz elke weke geve* XII. *denier Hollants voer den ſtoop wijns, ter tijt toe dat hi hem den wijn gevet. Ende om dat wi willen, dat dit wel ende vaſte gehouden worde, ſo hebben wi deſen brief beſegelt mit onſen ſegele. Gegheven tote Rotterdamme op Sinte Lucien dach int jaer ons Heeren* CIↃ. CCC. XXVIII.

Collatio porro beneficii certis ſymbolis etiam facta, ut verbi gratia epiſcopatus per baculum & annulum, Abbatiæ per baculum, Canonicatus per librum, per birretum Ultrajecti, per oſculum, per nummum vulgo dictum *een plagghe*. Theſaurariæ per claves turris & Sacriſtiæ, & per

Charta Ann. 1380. 10. Jul.

Dn. Fredericus de Maerne Canonicus memoratus Canonicatum & præbendam eccleſiæ S. Johannis &c. noviſſime vacantes &c. Johanni de Reneſſe &c. præſenti & recipienti pure & ſimpliciter propter Deum contulit, atque dedit, & per birreti ſui traditionem ſibi providit de eiſdem &c.

per reſtes campanarum. Ivo *epiſt.* 182. *Nuper cum in Capitulo &c. porrecto libro inveſtituram ſubdecaniæ Fulconi clerico ſtrenuo, & in agendis cauſis eccleſiaſticis valde neceſſario facere vellem.* Gelaſii Papæ formula, quam habet Juretus ex vetuſto exemplari ſub *tit. de reveſtimento præbendæ: Frater in nomine domini ego te inveſtio per hunc librum & per iſtum panem de hac præbenda juſſu noſtri Prælatoris, & juſſu Canonicorum iſtius eccleſiæ &c.* Ex Actis Ultrajectinis majoris eccleſiæ ad Ann. 1592. VII. Mart. *Admiſſus eſt ad poſſeſſionem Theſaurariæ Fredericus van Reneſſe van Wulnen & in ſignum poſſeſſionis prædictæ idem Reneſſe, recepto ab eodem primitus juramento ſolito, ductus eſt per Decanum tam ſuo quam Capituli ſui nominibus ad Sacriſtiam, tradendo illi claves Sacriſtiæ, præſentibus van der Hoeven, Wolff, & Wiel teſtibus, & ulterius procedendo ad turrim poſt meridiem traditæ ſunt etiam illi claves turris ejuſdem & reſtes campanarum per Ottonem de Bloys de Treslong tanquam ibidem ſeniorem Capitularem prædictæ eccleſiæ propter imbecillitatem Decani prædicti, præſentibus ibidem Merſman Canonico eccleſiæ S. Salvatoris, Wolff, & Wiel præſcriptis teſtibus ad præmiſſa requiſitis.* Juret. ad Ivon. *epiſt.* 285. Qua formula id fiat hodie adhuc, quibus item cæremoniis, in eccleſiis Hiſpanicis, Auguſtin. Barboſa habet *tr. de offic. & poteſt. paroch. part.* 1. *cap.* 2. & ex eo Ziegler. *lib.* 3. *de epiſcop. cap.* 16. *n.* 7. *& ſeq.* Sed & miſſio in poſſeſſionem olim facta per panem, per tactum januæ piſtrini. Panes etiam præbendarii, qui & alibi vocantur ſportulæ;

quod quotidie & certis horis viritim dabantur ſingulis. Singulis ſcilicet, qui in matricula & pittacio deſcripti. Et hinc vetus formula Gelaſii relata à Jureto ad *epiſt. Ivon.* 185. *Frater in nomine Domini ego te reveſtio per hunc librum, & per iſtum panem de hac prebenda, juſſu Prelatoris & Canonicorum iſtius eccleſiæ.* Sed ſenſim diſtributio hæc aut verſa in pecuniam, (in denarios, ut paſſim dicitur, inter eos, qui interſunt certis horis, dividendos, qui & alibi *Manualia*, ut *cap.* 1. x. *de cleric. non reſid. in* 6. alibi *Victualia* in *cap. de cetero ext. eod.* alibi *Superpoſita* ut *c. ſi diligenti ext. de decim. in* 5. *Compil.*) aut clericis facta & Canonicis minoris ſubſellii, qui velut majorum famuli contenti pane quotidiano & ſtipendio non magno, exemplo Romanorum, apud quos vulgus, plebeji homines & humiles, ad victum panes accipiebant. *Civiles* vocat Juſtinianus in *l. cum quidam* 31. §. *praterea C. de jur. delib.* & ſic vocat etiam Conſtantinus in *l.* 1. *C. de annon. civil. lib.* 11. Alibi *gradiles* etiam dicti, ut & *populares*, *l.* 1. *C. Th. eod.* Prudentius adverſus Symmachum :

Et quem panis alit gradibus diſpenſus ab altis.

Galli vocant *Mouflets*, Hiſpani *Requaſſas*, ut Honorius ait Papa Tertius *cap. ſi diligenti ext. de decim. & obl. in* 5. *Compil. ub.* Ciron. Et id interim tamen certum, quod ritus, quos jam dixi, proprie olim pertinuerunt ad veros tantum Canonicos, & non ad eos, quibus certis ex cauſis, ob merita, ob paupertatem, vel quod ſe & ſua omnia devoviſſent eccleſiæ, præbenda data in

eccle-

eccleſia, ſeu victus & alimenta. Qui propterea & præbendati. Et præbendati potius quam Canonici. Nam & pauperes præbendati. Dicti tamen Canonici etiam, & vulgo titulo eo uſi. Engelhardus Abbas in vita S. Mechtildis apud Caniſium: *Filia cujuſdam carnalis erat dæmonium habens, cui locum pater impetraverat in monaſterio præbendariæ non ſororis, ſed à ſororibus ſequeſtratum, & hoc prece non pretio factum.* Theodoric. Engelhuſius apud Mader. *antiq. Brunſvic. cap.* 26. *Fundavit in Almania ultra* XX. *eccleſias, quas & abundanter dotavit, pro dominabus ſecularibus quæ Canonicæ nominantur, utentes habitu Canonicorum Regularium S. Auguſtini, nullam tamen profitentes religionem, nubunt in Domino, quando volunt. Inventæ ſunt autem pro ſuſtentatione nobilium, pro fide Chriſti ab infidelibus occiſorum, ne talium filiæ cogerentur mendicare, ſed in illis monaſteriis ſuſtentatæ, cum ad ſtatum nubilem perveniſſent, virum eligerent, quem vellent.* Laici clerici etiam dicti in *cap. ad audientiam ext. de præbend. Laici*, quod tales proprie & revera. *Clerici*, quod ut clerici caput habebant tonſum & deferebant coronam. Unde & titulo Canonicorum etiam conjuges interdum uſi, ut verbi gratia in Necrologio eccleſiæ Tholoſanæ: *In menſe Februarii obiit Petrus de Caſtronovo, miles & Canonicus. Aprili, obiit Magiſter Joannes de Rivals, Notarius & Canonicus. Majo, Dominus Ferrandus Royes Miles, Canonicus iſtius loci. In menſe Februario obiit Stephana Canonica iſtius loci, & Nantholora Canonica, Alphamos uxor Baſtardi*

Deſqual-

Deſqualquens Canonica. *Majo, Bertranda uxor Domini Curvi de Turribus Militis Canonica.* Etſi interim non ignoro, quod Canonici ſeculares ad differentiam Regularium *laici clerici* etiam dicti, *Laicus* idem quod *ſecularis.* Inſcriptiones quæ Toloſæ in majori eccleſia, & in S. Saturnini: HIC JACET V....... PRESBYTER LAICUS. Item: HIC JACET CANONICUS LAICUS. Et ſic *Canonicis laicis* rurſum *clerici* opponuntur. Caroli Magni Capitula *lib.* 5. *cap.* 185. *Ut Canonici clerici canonice vivant.* Caroli Calvi Capitula *tit.* 31. *cap.* 30. *Suas hereditates &c. non ſolum ſuis paribus, ſed & clericis Canonicis, ac villanis presbyteris, & aliis quibuſcunque hominibus vendunt.* Add. Ciron. *ad d. c. ad audientiam.*

Unum id adhuc addam, quod non quodvis beneficium, poſtquam ſemel eſt collatum, poteſt rurſum conferri. Sacer ordo eſt beneficium, ſed iterari non poteſt. Etiam eſt ſacramentum, ſed ejuſmodi ſacramentum, quod vetitum iterari. Tria ſunt Pontificiis, quæ iterari non poſſunt. Quatuor quæ poſſunt. Quæ non poſſunt, ſunt hæc; Baptiſmus, Ordo, & Confirmatio. *can. oſtenditur, can. ab antiqua, can. in neceſſitate, can. Romanus de conſecr. diſt.* 4. *cap.* 1. *& t. tit. ext. de ſacram. non iter.* Cyprianus *lib. de ablutione pedum: Nemo ſacros ordines ſemel datos iterum renovat, nemo ſacro oleo lita iterum linit aut conſecrat; nemo impoſitioni manuum vel miniſterio derogat ſacerdotum, quia contumelia eſſet Spiritus, ſi evacuari poſſet, quod ille ſanctificat.* Ciron. *parat. d. tit. de Sacram. non iter.*

TITULUS XII.

DE

Jure Patronatus.

Duplex eſt collatio, libera & neceſſaria. Libera eſt, cum beneficium collator confert cui vult. Neceſſaria, cum confert ad nutum præſentantis. Qui præſentat patronus. Et hinc jus patronatus. Quod primus Juſtinianus introduxit, ut putant *nov.* 57. *nov.* 123. *cap.* 18. A Papis ſerius admiſſum *can. piæ mentis*, *can. Frigentius* 16. *qu.* 9. *can. noverint* 10. *qu.* 1. *can. decernimus* 16. *qu.* 7. *c. nobis* 25. *ext. de jur. patron.* Gregor. Magn. 12. *epiſt.* 19. Alteſerr. *ad cap. per noſtras ext. de jur. patr.* Strauch. 1. *amœn.* 6. *cap.* 2. Jus quod competit fundatori in eccleſia quam exſtruxit & dotavit in ſuo: Balſam. *conſtit. eccleſ. lib.* 3. *tit.* 2. Ziegler. *de dot. eccleſ. cap.* 5. *n.* 20. Conſiſtens cum in aliis, in alendo patrono inope ex bonis eccleſiæ *can. quicunque* 16. *qu.* 7. *cap. nobis fuit ext. h. tit.* in gubernanda ea & regenda ex ipſius conſilio, in aditu proceſſionis, ut patronus ſcilicet in ea poſt omnes clericos incedat *d. can. piæ mentis*, Fr. de Roye *de jur. honorif. in eccleſ. lib.* 2. *cap. ult.* Strauch. *d. loc.* tum præcipue in præſentando, *in de gifte der Kercke*, ut in charta Wilhelmi Tertii Comitis Hollandiæ Ann. 1315. apud van Hout *in ſijn Dienſtboeck p.* 22. Strauch. *d. loc.* Gerh. Feltmani

ni *ad l. 1. §. 2. ff. de offic. præf. urb.* Unde & vetus illud carmen:

Patrono debetur honos, onus, utilitaſque,
Præſens ut præſit, defendat, alatur egenus.

ut & illud Guilielmi Britonis *lib.* 1. *Philippid.*

Tempore cujuſdam guerræ Rex prodigus æris,
Cum res exigeret numerare ſtipendia multis,
Clerum Rhemenſem petiit, ſcriptoque rogavit,
Ut ſibi ſubſidium ferret, quo gratior illi
Ad tantos vellet ſumptus impendere gratis,
Ut ſolet eccleſia patronos ſæpe juvare,

Præcipue dixi in præſentando. Unde & dicitur ſimpliciter, quod ſit clerici præſentatio ad vacantem eccleſiam. A potiori non male. Sed certum interim quod id jus & in aliis conſiſtat. Etiam in cenſu annuo, ſi ſic placuit ab initio, ob curam rerum temporalium & tuitionem eccleſiæ, *cap. in quibuſdam* 12. *ext. de pœn.* Fr. de Roye *proleg. ad tit. de jur. patr. pr.* Nec patronus hactenus & Advocatus multum inter ſe differunt *can. Eleutherius* 18. *qu.* 11. *can. ſiquis baſilicam de conſecr. diſt.* 1. Strauch. *d. loc.* Charta apud Miræum *Ann.* 1253. 1. *don. Belg. cap.* 104. Pro eo preces etiam factæ. Nomen ejus in ſacris diptychis. Inter ſacra recitatum, & Deo unice commendatum. Concil. Emeritenſ. *can.* 19. *Et eorum nomina, à quibus eas eccleſias conſtat eſſe conſtructas, vel qui aliquid his ſanctis eccleſiis videntur, aut viſi ſunt contuliſſe, ſi viventes in corpore ſunt, ante altare recitentur tempore miſſæ. Quod ſi ab hac deceſſerint luce, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur ſuo ordine.* Eccleſiæ etiam inſcriptum,

ſcriptum. Nec nomen tantum, ſed & ſtemma, & quæ ei inſignia, ut v. gr. in Hiſpania eccleſiæ S. Felicis, in Hollandia Egmondanæ, ut habes in notis ad Chronicon Egmundanum *cap.* 73. Quod ad S. Felicis Eugenius Toletanus:

Hoc opus Ætherius chara cum conjuge fecit,
Cui nomen olim Tuideſuinta fuit.

Paul. Langius in Chronico Citizenſi: *Eccleſia Nuenburgenſis plures equidem habuit fundatores, & hos quidem Comites, ut eſt in præſens cernere in eccleſia eadem in imaginibus cœlatis Comitum, qui fundatores fuiſſe in inſcriptione clypeorum demonſtrantur.* Solenni proceſſione obviam itum adventanti *d. cap. nobis ub. & Alteſerr.* Data, ut dixi, alimenta facultatibus lapſo, *d. cap. can. quicunque* 16. *qu.* 7. Quo & illud Willelmi Britonis 2. *Philippid.*

Ut ſolet eccleſia patronos ſæpe juvare.

Sed hoc nihil adhuc plane ad eorum veſaniam, qui & Divis adſcripſerunt. Waltoni Comiti contigiſſe id in cœnobio Altorfenſi tradit Vadianus *de monaſt. Germ. lib.* 2. & Joanni Galeatio Duci Mediolanenſi apud Papienſes. Philipp. Cominæus *lib.* 7. *cap.* 7.

Et hoc jus patronatus, quod ſenſim cepit tot incrementa, conſiſtens tantum ab initio in aditu proceſſionis, ut Gelaſius Papa ait *d. c. Frigentius & c. piæ mentis* 16. *qu.* 7. *Nihil tamen ſibi fundator*, inquit, *ex hac baſilica noverit vindicandum, niſi proceſſionis aditum, qui Chriſtianis omnibus in commune debetur.* Sed quis hic *aditus proceſſionis* Doctores anxie ſatis quærunt. Quid ſinguli ſentiant, non dicam. Nec neceſſe eſt ut id addam.

Simpliciter puto hunc ſenſum eſſe, ut qui eccleſiam conſtruxit, intereſſe non tantum poſſit divinis officiis, ut communiter interſunt reliqui, ſed ut ſedeat primus, ut offerat, ut ad ſacram ſynaxem feſtis diebus procedat primus. Poſt clericos ſcilicet, ut dixi. Honor hic proceſſionis *c. nobis ext. de jur. patron.*

Eccleſiam cum dico parochialem intelligo, capellam item, ut & aram. In reliquis fundatori non idem eſt conceſſum, ut ex iis patet, quæ ſupra *tit. de elect. & elect. pot.* Add. *cap. nobis fuit ext. h. tit. & ib.* Fr. de Roye *cap. 1. & cap. 51. ext. de el. & elect. pot.* Covarr. *in relect. ad c. poſſeſſor. de reg. jur. in 6. part. 2.* §. 10. *n.* 3. Nec ratio tamen obſtat, quo minus ſi videatur ſic & in his poſſit concedi, & habemus etiam exemplum, quo conceſſum in conventuali apud Innocentium III. *lib. 1. epiſt. 21.* Miram eam dicit, & delere gloſſas una linea Boſquetus in notis. Add. Ziegler. *lib. 2. de epiſcop. cap. 3. n. 2.* Nec nimis tamen mira. Nam & aliud exemplum in *c. auditi ext. de jur. patr. in 5. Compil.* Certum etiam quod ad aram, quod ad capellam, quæ in reliquis, quod concedi in his poſſit.

Cæterum ad conſequendum id non ſufficit ſi detur fundus ad conſtruendam eccleſiam. Conſtructio & dotatio neceſſe eſt accedat, juxta illud vulgatum:

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.

Honorari dicitur eccleſia, cum dos ei conſtituitur, *c. conſiderandum 16. qu. 7.* Receptum autem ut ſi tres ſint, quorum primus dedit fundum, alter

alter templum conſtruxit, tertius id dotavit, ſingulis in ſolidum jus competat patronatus, & diſcordiæ vitandæ cauſa collatio ordine ab iis fiat, & ut dicunt per *turnum. cap. mandatum & ib.* Gloſſ. *de præbend. in 6 clement. plures ext. de jur. patr.* Archidiac. *ad d. cap. piæ mentis* 16. *qu.* 7. Panorm. *ad rubr. ext. de jur. patr.* Beuſt. *tr. de dotib. qu.* 1. Alteſerr. *ad d. clem. plures.* Neceſſe alioquin ut quæ dixi in eodem concurrant. Et ſufficit, ſi concurrant. Non neceſſe ut ab epiſcopo impetretur illud jus. Impetratur tantum ab eo venia ad conſtruendam eccleſiam *c. quicunque c. nobis ext. h. t.* Nec ab ipſo tantum, ſed à Principe etiam, ſeu à domino territorii, ut habemus exemplum, quo petenti Dux Albertus in proprio ipſius prædio conceſſit poteſtatem exſtruendi & fundandi monaſterium de Eemſteyn in charta adhuc inedita Ann. 1377. *Nos vero,* inquit, *hujuſmodi ſupplicationi annuentes &c. attentis præmiſſis, auctoritate noſtra, ut conventum ſeu monaſterium in loco dicto Eemskerck nobis ſubdito fundare, dotare, & bona de Eemſteyn eum ſuis pertinentiis &c. ad hoc dare, ſeu deputare, ſeu quæcunque alia bona valeatis &c. plenam concedimus facultatem &c.* Extructa eccleſia & dotata, nam non dotata non conſecratur, ſtatim competit jus patronatus, & ſtatim competit ipſo jure, & ad heredes tranſmittitur, *can. rationis* 16. *qu.* 7. *d. cap. nobis cap.* 3. *ext. de eccleſ. ædif.* Boſquet. *ad Innocent.* 111. *lib.* 3. *epiſt.* 123. Reliquias priſtini dominii id vocat Molinæus. Nec quiſquam de eo dubitat, quin id prædio ſit annexum, una etiam cum prædio poſ-

ſit vendi, donari, in feudum dari, in dotem, *c. ex literis c. cum ſeculum ext. de jur. patr. l. 62. ff. de acq. rer. dom. l. 24. ff. de contr. empt.* Fr. de Roye *prolegom. ad tit. de jur. patr. cap.* 18. Et quamvis id per ſe ſolum, nequid forſan hic Simoniacum *c. Salvator* 1. *qu.* 3. *cap.* 5. *ext. de rer. perm.* vendi non poſſit, *c. de jur. ext. de jur. patr,* donari tamen poteſt, *c. ex inſinnatione c. querimoniam & ibid. de Roye ext. eod.* Imo moribus hodiernis, cum ex ſpirituali jam nihil trahat, etiam vendi apud nos. Legg. Scotiæ *lib.* 2. *tit.* 16. §. 67. *& ſeqq.* Orderic. Vital. *lib.* 3. *hiſt. Baldricus ſororem ſuam Fulconi in conjugium dedit, & eccleſiam S. Nicolai, quam pater ſuus conſtruxerat, cum adjacenti fundo in mariagio conceſſit.* Nec refert, cui detur, laico an clerico, mari an fœminæ, matronæ an meretrici. Idem *lib.* 2. *de jur. honorif. cap.* 14. Reſp. Holl. 5. *conſ.* 190. Si uxori datum maritus, qui bonorum adminiſtrator eſt, ea etiam invita id exercet, ſi vult. Uxor autem non aliter quam mariti conſenſu. Rodenb. *de jur. conj. tit.* 2. *cap.* 1. *n.* 2. Nec cum datur neceſſe eſt, ut ſemper verbis expreſſis detur. Cenſetur datum, cum datur caſtrum, cui hæret annexum. Unde & tranſit in vaſallum, cum id datur in feudum. Everh. 1. *conſ.* 124. Et ſic omnium bonorum uſufructu conceſſo in fructuarium etiam tranſit, cum & id ſit in bonis, ut in charta adhuc inedita Ann. 1310. Duplex enim jus id reale & perſonale. Reale, quod prædio, quod glebæ, aut poſſeſſioni, à fundatore eſt adſcriptum. Quod patrono, aut ejus liberis,

aut

aut cui id patronus expreſſis verbis adſcripſit, vocatur perſonale. Non quod non poſſit in heredes tranſmitti, ſed contra ut à reali,[1] quod annexum inhæret prædio, poſſit rectius diſtingui. Ut dicitur creditor perſonalis ad differentiam pignoratitii, non quod jus ſuum non tranſmittat, *can. decernimus 16. qu. 7.* Fr. de Roye *prolegom. ad tit. de jur. patr. cap.* 8. Etiam in ſeculare & eccleſiaſticum dividunt. Eccleſiaſticum quod clerico. Quod laico competit ſeculare eſt. Eccleſiaſticum in heredes non tranſit. Fiunt clerici non naſcuntur. Tranſit ſeculare. Fr. de Roye *ibid. cap. 6. & ad cap. 1. ext. de jur. patr.* Et recte id patronus, ſi plures ei liberi, aſſignat cui vult, *l. 1. pr. ff. de aſſign. lib.* Si aſſignet primogenito, & ante id acquiſitum primogenitus moriatur; excluſis filiabus, ſecundogenitus admittitur *can. filiis 16. qu. 7.* Nam primogenitus eſt, qui fratrem majorem natu non habet, *l. 92. l. 155. ff. de verb. ſign. l. 9. pr. ff. de reb. dub.* Filiis autem non relictis ſuccedet filia primogenita, *l. 1. & ib. Bart. l. 201. ff. de verb. ſign. l. 45. pr. ff. de leg. 2.* Appellatio enim filiorum etiam filias complectitur *dd. ll.* Et hæc ſi relinquat & filium & filiam, filius filiæ præferetur, etſi forſan natu minor, ut quantum fieri poſſit ſatisfiat ſic voluntati defuncti. Fr. de Roye *ibid. cap. 9.* Certum alioquin quod & fœminis jus competat patronatus, & quod ſuccedunt etiam in id quod habuerunt parentes, ut ſucceſſuræ alioquin in ea bona, ex quibus id conſtitutum, *cap. ult. ext. de conceſſ. præb.* Idem *ibid. cap. 12.* Quod ſi nulli ex liberis

expreſſe id adſcriptum, aut ipſi eligent qui exerceat, aut ſi ita placuerit ſinguli id pro tempore exercebunt ad turnum, *l.* 34. *pr. ff. de uſufr. l.* 4. *in fin. l.* 5. *in fin. ff. eod.* Idem *d. tr. cap.* 19. Venit certe in familiæ erciſcundæ judicium, etſi id individuum, eodem modo, quo & cætera, quæ dividi proprie non poſſunt, §. 4. *&* 5. *Inſt. de off. jud.* Et exemplum inſigne eſt apud Fortunat. *lib.* 1. *carm.* 11.

Exiguam dederat hic Præſul Amelius arcem
Chriſticolam populum nec capiente loco.
Quo vita claudente diem pro lege graduque
Venit ad heredes hoc opus atque locus.

Etſi autem cum fructuario & uſusfructus extinguitur §. 3. *Inſt. de uſufr. l.* 3. §. *ult. ff. Qu. mod. uſufr. am.* jus tamen quod jam nactus præſentatus à fructuario & admiſſus non perit *arg. l.* 11. *ff. de reg. jur.* cum non tam principaliter à fructuario illud nactus, quam ab eo qui præſentatum probavit, admiſit. Reſp. Holl. 4. *conſ.* 153. Idem obtinet quod ad eum, qui bonorum conductor, ſi conductor ad longum tempus, aut ſi ad firmam ſub cenſu annuo. Berlich. 2. *deciſ.* 166. *n.* 11. *& ſeqq.*

Quod ad jus præſentandi, in quo præcipue & potiſſimum id ut dixi conſiſtit facienda epiſcopo præſentatio, clero, Archidiacono, aut cui tabulis fundationis id expreſſe eſt adſcriptum, *can. decernimus can. monaſterium* 16. *qu.* 7. *cap. ſuper eo ext. de off. & pot. jud. del.* Nec tantum ſuperiori ſed & longe inferiori fit. Ab Archiepiſcopo Abbati, ut exemplum inſigne habet Guilielmus Thor-

Thorreus Anglus ad Ann. 1224. *Erat namque ibi eccleſia parochialis in honore S. Sepulchri de patronatu Archiepiſcopi, nempe Cantuar. qui ad eam parochiam præſentabat Abbati S. Auguſtini Cantuar. &c.* Sic in Anglia, in Gallia, ut & alibi paſſim, etſi aliter forſan cautum Tridentino Concilio *ſeſſ.* 14. *de Reformat. cap.* 12. *in fin.* Fr. de Roye *d. tr. cap.* 21. Præſentari poteſt quivis, modo aptus & habilis. Se ipſum tamen nemo præſentat recte aut inſtituit, *cap. per noſtras ext. de jur. patr.* cum inter dantem & accipientem debeat quædam diſtinctio eſſe, & ab officiis eccleſiaſticis, ad quæ inviti debent trahi, repelli debeat, qui ſe ingerit *can. ſicut* 1. *qu.* 6. *can. in ſcripturis* 8. *qu.* 1. *cap. ult. ext. de inſtit. l. ult. ff. de offic. Prat. l.* 4. *ff. de tut. & cur. dat.* Quare & pater ſi filium præſentet, quæſtio eſt, an recte. Et dicendum, quidni, cum quod ad jus Canonicum ceſſet patria poteſtas hic, nec habeantur pro eodem, ſed pro diverſis perſonis, filius & pater, *cap. conſuluit, cap. quia clerici ext. de jur. patr.* Alteſerr. *ad d. cap. per noſtras.* Præſentatio porro ut fiat recte, facienda eſt & in ſcriptis, & intra tempus præſcriptum vel tabulis fundationis, vel decretis Pontificum. Vulgo à tempore fundationis ſex menſium eſt, ut putant *arg. cap.* 2. *ext. de conceſſ. prab. cap.* 22. *ext. de jur. patr.* Gloſſ. *ad cap.* 1. *ext. de exceſſ. Prælat. in clem.* Fr. de Roye *proleg. ad d. tit. de jur. patr. cap.* 22. & 28. Poſtquam facta, ut oportet inſtitutio debet ſequi, niſi conſtet, quod præſentatus aut non acceptet beneficium, aut quod inhabilis ſit &

ineptus. *cap.* 7. & 27. *ext. de jur. patr. nov.* 123. *cap.* 18. Carolus Calvus in Capitulis apud Piſtas *cap.* 9. *Quos patroni obtulerint epiſcopis, ſi ſint idonei, non poſſunt rejici*, Tres neceſſe eſt conſiderentur hic, qui præſentat, præſentatus, & cui ſit præſentatio. Reſpectu præſentantis duplex eſt jus patronatus laicum & eccleſiaſticum. Clericus cum præſentat eccleſiaſticum dicitur. Et id laico cenſetur prius, Concilio Arauſicano, quod habitum circa annum 441. conceſſum jam fundatori *can.* 10. cum laicum nondum fuerit circa finem illius ſeculi, quo Gelaſius Papatu functus, *arg. d. c. Frigentius & d. c. Piæ mentis*, ubi Gloſſa, *Olim tamen*, inquit, *nihil habebant juris Patroni præ aliis*, ut *c. noverint* 10. *qu.* 1. *c. Laicis* 16. *qu.* 7. Laicum tranſit in heredes, Eccleſiaſticum non tranſit. Clerici non naſcuntur. Nec heres clerici ſemper clericus aut beneficii ejus ſucceſſor eſt. Præſentatio autem non ſufficit. Neceſſe eſt, ut acceptet eam is qui præſentatur, *l.* 10. *l.* 19. §. 2. *ff. de donat. cap.* 33. *cap.* 46. *ext. de elect. & el. pot.* Neceſſe etiam ut cui fit præſentatum inſtituat. Laicus ſit an clericus cui fit nihil refert. Si collatio ab eo fiat jus in re is conſequitur. Alioquin tantum jus ad rem *cap. cum Bertholdus* 18. *ext. de re jud.* Sed ut fiat, neceſſe eſt, ut & vacet beneficium, & præſentatus ſit habilis *cap.* 1. 2. 3. *ult. ext. de conceſſ. præb.* Fr. de Roye *d. tr. cap.* 22. & *ſeq.* Alium præſentare, ſi inhabilis, ea vice, qui præſentavit, non poteſt, *nov.* 123. *cap.* 18. Res ſpectat tum ad epiſcopum ſeu Ordinarium, ut vocant, *d. nov.* Julianus Anteceſſor

ad

ad nov. 115. *cap.* 456. Hoſtienſ. *ad tit. de jur. patr. n.* 10. Rota *deciſ.* 398. *n.* 2. *&* 5. *p.* 1. *Sin autem illi tales ſint, ut divinis canonibus non comprobentur, ad epiſcopum pertinebit alios clericos eligere idoneos.* Vulgo tamen diſtinguunt: Laicus ſi præſentavit, etſi non idoneum, poteſt iterum præſentare, *cap.* 4. *ext. de off. jud. Ord. cap.* 2. *ext. de jur. patr. in Clem.* Si clericus contra non poteſt, *cap. cum autem ext. de jur. patr.* Innocentius Tertius *lib.* 3. *epiſt.* 226. *præfata Abbatiſſa præſentando indignum illa vice jus amiſit præſentandi.* Quo certius autem conſtet, utrum habilis præſentatus, ne invitis obtrudatur quis, trina etiam proclamatio ſolet paſſim præmitti, ut factum Ann. CIↃ. CCC. LXXX. cum ad eccleſiam de Scalunen præſentatus à patrono Præfecto domus Teutonicæ Joannes Zantwijck presbyter, & præſentatus Ultrajecti Præpoſito & Archidiacono eccleſiæ S. Mariæ. *Nos*, inquit Præpoſitus in literis mandati, quibus alii rem committit, *juxta verbum Apoſtoli nemini cito manum imponere volentes, mandamus vobis omnibus & ſingulis, qui ſuper hoc fueritis requiſiti, ut dictam eccleſiam de Scalunen accedentes & facientes tribus diebus feſtivis, à ſe diſtantibus, debitas & à jure ſtatutas proclamationes, ut ſi tunc nullus comparuerit contradicens, tunc eundem fratrem Wilhelmum ad dictam eccleſiam admittatis, auctoritate noſtra ipſum inſtituentes & inveſtientes perſonaliter ad eandem, quem ex tunc etiam nos ad præfatam eccleſiam admittimus & inveſtimus per præſentes, curam animarum & cuſtodiam reliquiarum ſub Dei nomine committen-*

mittentes &c. Non abs re forſan faciam, ſi exemplum addam literarum quibus facta olim præſentatio. Exemplum hujuſmodi.

Enen edelen Prince ende enen Mogenden onſen lieven ende gerechten Here, Here Willem *Grave van Henegouwen, van Hollant, van Zeelant, ende Here van Vrieſlant, Wi* Coſtyn *van Reneſſe Ridder, ende* Jan *ende* Coſtyn *van Reneſſe Knapen, onſen trouwen dienſt met al onſe vermogen, Lieve Heer, want die Kercke van Oudelant in Borſele, die onſer preſentatie toebehoort, open geworden is bi Heren Jans Serjants doet, ende daer U die gifte toebehoort, ſo preſenteren wi U Heren* Gwijns Queters *ſone uyt Scouden, die U deſen brieff brenget, Prieſter. Ende bidden U dat ghi omme Godt, ende om onſen wille hem die Kercke geven wilt, Want wi's gemeenlike over een dragen. In oirconde deſen brieve beſegelt met Coſtyns ſegel van Reneſſe Ridders voerſz. Gegheven tote Zirixe des Dinxendaghes voor Sinte Simon ende Juden dach in't jaer ons Heeren* CIƆ. CCC. *vier ende twintich.*

Exempli cauſa hoc tantum addidi. Nam erant plures eccleſiæ, quarum Comes Hollandiæ habebat collationem, poſtquam facta præſentatio, conferens eodem modo. Videre eſt indicem apud Brant *1. hiſt. der Reformat.* 2. *p.* 89. Revera autem ſic eccleſia beneficium utriuſque præſentantis & conferentis. Uterque dictus conferre. Præſentatio enim poſtquam facta, quædam ad hoc conferenti, aut ſi mavis, inſtituenti, incumbebat neceſſitas, ut in charta adhuc inedita Ann. CIƆ. CC. XCIII. *Quo facto prædicta Agnes*

præ-

præſentavit ad prædictum altare in eccleſia beatæ Mariæ præſcripta Werenboldum ſecularem & ad Vicariam prædictam Hugonem, hoc adjecto, quod ſi ipſa vivente contigerit aliquod ipſorum beneficiorum vacare per mortem prædictorum, ipſa Agnes perſonam ydoneam præſentabit, quam Decanus & Capitulum eccleſiæ beatæ Mariæ præfatæ ſine contradictione aliqua acceptabit. Poſt mortem vero &c. Si nollet, mox coactus, & ad proximum Superiorem tranſlata collatio. Exemplum habet inſigne Innocentius Papa III. *lib.* 3. *epiſt.* 41. *Nos,* inquit, *eis dedimus in mandatis, ut vocatis quos propter hoc cognoſcerent evocandos, audirent cauſam, & eam appellatione remota ſine Canonico terminarent. Cum ergo partes propter hoc in eorum præſentia eſſent conſtitutæ, &c. ſententialiter decreverunt jus patronatus eccleſiæ memoratæ ad præfatos Priorem & monachos pertinere; ipſum epiſcopum condemnantes, ut memoratum Diacon. præſentatum ab illis reciperet ad eandem. Sed quoniam jam dictus epiſcopus ſæpius requiſitus eorum ſententiæ parere contempſit, dicti Judices eundem Diacon. qua fungebantur auctoritate, ad præfatam eccleſiam receperunt, ipſum epiſcopum à collatione ac inſtitutione eccleſiaſticorum beneficiorum, conſiderata ejus manifeſta contumacia ſuſpendentes &c.*

Et ſic amittit jus patronatus, ſed ea duntaxat vice. Nunquam ſi eo uſus amittit etiam in perpetuum. Cenſetur enim onus, & ſpecies quædam ſervitutis; quæ non utendo per modum, quo ſervitutes amittuntur, etiam perit & evaneſcit. Zypæ. *lib.* 3. *conſult.* 2. Jordan. de *jur. patron. lib.* 10.

tit.

tit. 7. *n.* 44. Nam & ſervitus ut extinguitur interitu prædii, *l. ſi locus* 14. *ff. Quem. ſerv. amitt. l.* 1. §. 1. *ff. comm. præd.* §. 3. *Inſt. de ſerv. præd.* ſic & jus patronatus deſtructa eccleſia *can. decernimus c. nobis ext. de jur. patr.* Fagnan. *ad c. quoniam ext. de jur. patr. n.* 254. Barboſ. *lib.* 3. *cap.* 12. *de jur. patr. n.* 254. Paul. de Citadinis *tr. de jur. patr. part.* 14. *tit. Quomodo jus patronatus finiatur n.* 9. Simoniacus an amittat, alia eſt rurſum quæſtio. Collatio olim fiebat gratis. Simonia erat ſiquid datum. Sed variis dein modis, cum Papa omnia in ſe traheret, pro Papalibus codicillis, pro pallii datione, pro receptione in ordinem, & quod paſtelli nomine dicebant dari, paulatim extortum quid. A paſtu *paſtellus.* Paſtellus idem quod epulæ, certo pretio æſtimatæ, quod pro epulis dein datum. Charta Anni 1447. ex Chartulario S. Petri: *Volumus quod totum id quod novus Capitularis ex conſuetudine ſolvere tenetur pro prandio, quod extimatum eſt ad ſeptem ſcudata antiqua Francia &c.* Vinum id admiſſionis ſeu vinalia Ultrajecti. Charta Ann. 1323. ex eodem Chartulario: *quod quilibet novus Canonicus, cui de Canonicatu & prebenda proviſum eſt &c. antequam fructus prebendæ ſuæ percipere poſſit in parte vel in toto, unum plauſtrum boni vini Renenſis, quod honeſte alicui Capitulo miniſtrari poſſit, Capitulo noſtro ex quodam debito fraternæ dilectionis & ſocietatis &c. ſolvere teneatur &c.* Sed ut de eo non dicam; pecunia fuit ingens, quæ ut preces haberent pondus apud Papam Romam miſſa, præter primi anni fructus, *Annatas* vulgo vocant, qui

qui miſſi ex epiſcopatu, & non tantum ex epiſcopatu, verum etiam ex Abbatia, aliiſque beneficiis. Quod cum cladem patrimonio non exiguam inferret, viciſſim inaugurati, ut damno Provincialium ſarcirent ſumptuum magnitudinem, enthroniſticum exigebant, cathedraticum, *συνήθειαν*, conſuetudinem, precariam. Severe id quidem vetuit Gregorius Papa I. *lib.* 4. *epiſt.* 44. & apud Gratianum *can. novit diſt.* 100. *& can. ſicut epiſcopum* 1. *qu.* 2. Strauch. 1. *amœn.* 6. *cap.* 7. Sed fruſtra & nequicquam. Cathedraticum quod attinet, dupliciter id accipitur, & pro eo. quod epiſcopo præſtatur quotannis, cujus ſumma olim fuit ex Pelagii conſtitutione duorum ſolidorum *can. placuit* 10. *qu.* 1. *can. ult. ead. cauſ. qu.* 3. & quod pro ſua ordinatione ipſe epiſcopus etiam præſtat *nov.* 123. Strauch. 2. *amœn.* 9. *cap.* 4.

Hodie apud nos non præſentant, ſed eligunt, & electum inſtituunt, qui habent jus patronatus. Paſſim ſic uſurpatur jam, ſed contra juris Canonici, quo alius eſt qui præſentat, alius, qui confert & inſtituit, fundamenta *cap. ult. ext. de jur. patr.* Scio & olim id factitatum, & quod querela hæc ſatis vetus. Sed ſcio etiam viciſſim, quod id nunquam permiſſum, ſed malo obviam ſtatim itum, *nov.* 57. *in fin. nov.* 123. *cap.* 18. *d. cap. præterea cap. quod autem ext. ead. c. non plures* 16. *qu.* 7. Fr. de Roye *ad cap.* 18. *verſ. His itaque excuſſis ext. de jur. patron.* Scio etiam quod, ut dixi, collatio etiam libera. Sed vix jam inter liberam & neceſſariam diſtinctio. Ordine ſi ageretur res, facienda erat Ordinibus, in quos de-

volu-

volutum jam jus epiſcopi, præſentatio, ut in Gallia fit Regi, ſi ad quem pertinet collatio vita epiſcopus conceſſit. Fr. de Roye *dd. proleg. cap.* 33. Certe & excommunicatur, & amittit jus patronatus, qui propria authoritate & inconſulto Ordinario vacantem confert eccleſiam *d. cap. præterea, Avenionenſ. Concil. can.* 30. Idem *ibid. cap.* 38. Alibi a Synedrio nominatus & electus præſentatur patrono, in cujus dein poteſtate eſt, utrum velit admittere nominatum nec ne. Sed & ſpurium illud jus, & quod temporis præſcriptione, ut puto, tantum ſubnixum.

TITULUS XIII.

DE

Modis quibus beneficium amittitur.

Unumquodque ut acquiritur ita etiam amittitur *l. ult. ff. de legib.* Modi, quibus beneficia amittuntur, ſunt hi: mors, renuntiatio, matrimonium, delictum, & profeſſio monaſtica. Ceſſio olim illicita propter nuptias, quas cenſebant cum eccleſia contractas, quæ rurſum ſcilicet per divortium diſſolvi non poſſent *can. non oportet can. ſi qui vero* 7. *qu.* 1. Joan. Sariſberienſ. *epiſt.* 56. *Quid autem turpius eſt, quam totius divinæ legis authoritate contempta &c. contra jus & fas jus hereditarium in rebus eccleſiaſticis imo in ipſo altari vendicare &c. Sed eſt forſan, unde merueritis ſuper ſucceſſionibus hujuſmodi vexari, eo quod in fraudem Canonum ad ceſſiones & ſubſtitutiones illicitas nimium*

nimium proni eſtis. Ex juſta tamen cauſa progreſſu temporis admiſſa *cap.* 10. *ext. de renunt.* Sed ſub modo & certa lege, ut verbi gratia Ultrajecti, ſiquis cedat Canonicatum, ut procedat ceſſio, neceſſe eſt, ut qui ceſſit ſupervivat adhuc poſt factam jam ceſſionem dies xx. Nec ſtatim ceſſionarius in jus cedentis ſuccedit. Succedit demum poſt biennium, poſtquam facta eſt jam ceſſio, & fructus interim dividuntur inter fabricam & epiſcopum, exceptis præſentiis & aliis adventitiis, quæ ſolus interim lucratur. Ita alioquin olim moris. Si Canonicus obiiſſet, in locum ejus alium nominabat Decanus, dein ſenior quiſque Capitularis, vulgo dictus *Turnarius*, qui nondum nominaverat. Nec heredem admittebant, nam perſonale eſt beneficium, nec viventis ſupplebant locum, expectativis prohibitis, *cap. nulla ext. de conceſſ. præbend. cap. relatum cap. dilectus ext. de præbend.* niſi forſan quid factum in Cæſaris gratiam aut viri Principis. Etſi & extra eum caſum pro rerum adhuc circumſtantiis interdum rigor remiſſus. Nec in quavis eccleſia idem hactenus obſervatum. In S. Joannis & data expectativa, & poſtea etiam collata, ut in charta Ann. 1479. *Ick Dirck van Zuylen van der Haer make condt allen luyden, Alſoo die Eerbare Heeren Deken ende Capittel der Kercke van Sant Johan t'Utrecht tot mijner bede ende begeerte om Goets wille Gysbert mijnen witlicken Soon verſien hebben mit heur Canonicaetſcap op een wachte van eenre provende, die in toecomende tyden in heur Kerke by verſterfferiſſe vaceren ſal, in manieren des inſtruments my ende mijn Soon daer*

P op

op gegeven &c. Sic ſimiliter exemplum in majori eccleſia in charta Ann. 1456. *Ende want t'voorſz Capittel in die eerſte proven, die haer verſchynen ſal, verloeft is aen Meeſter Willem van Montfoerde onſen lieven Neve, ſo ſullen ſy hem die anderde geven, ende daer toe als die verſchijnt accepteren ende toelaten, ſonder ſtatuta oft wijngelde van hem te nemen, ofte ſijnen tijt naer gewoonte der Kercke te verbeyden, met terſtont* ad Capitularia *ende als* plenum *recipieren ende admitteren. Ende als die voerſz proeven verſchenen ſal weſen, ende Meyſter Willem ofte ſijnen Procuratoren dat van des Capittels wegen te weten gedaen is, ſo ſal hy die aennemen, oft binnen een maent daer na enen anderen notabilen ende bequaem daer toe weſende in die ſtede voor hem mogen preſenteren, den ſy dan admitteren ſullen in der manieren voerſz.* Nec conditio Turnarii idcirco deterior. Reſervatæ ipſi vices, ut in veteri ſtatuto Capituli S. Joannis Ann. 1509. *Salvo quod ſi Capitulo noſtro unanimi conſenſu omnium Capitularium Canonicorum nemine contradicente viſum & expediens fuerit creare aliquem Canonicum & ſub expectatione prabenda vacatura ad inſtantiam alicujus Principis & potentioris Domini pro evidenti utilitate & neceſſitate eccleſia noſtra, tunc nos Capitulum unum Canonicum creare poterimus, Salva tamen quod ſenior tunc in ordine Canonicus, qui nondum aliquem ad prabendam aliquam nominaverit, ſeu præſentaverit, & ad iſtam prabendam, cum vacaret, nominare ſeu præſentare debuiſſet, locum ſuum in prima prabenda, tunc poſt illam in Turno ordinario vacatura, ad collationem Capituli ſpectante habebit, perinde ac ſi talis creatio Canonici facta non fuiſſet &c.*

 Tur-

Turnarius, quem nominabat, præſentabat Capitulo. Capitulum admittebat, etiam abſentem. Mutato rerum ſtatu decretum Ordinum acceſſit. Quibus etiam propterea offerendus libellus ſupplex, ut factum Anno 1597. Verba libelli hæc ſunt: *Soo heeft den voornoemden Heere * Deken mitte voorſz Canonye ende Scholaſterye bi conſent van ſijnen neve, die deſelve tot dien fine al over lange geſtelt heeft in handen van den voornoemden ſijnen Oem*, tanquam negotiorum ſuorum geſtorem, *voorſien* Geleyn *van der* Burch *ſoon van hem Suppliant, weſende out* xv. *jaren, ende tegenwoordich ſtuderende binnen Amersfoort, omme die Landen t'ſijner tijt bequamen dienſte te mogen doen &c.* In margine adſcriptum ita: *Die Gedeputeerden van de Staten 's Lants van Utrecht houden den perſoon van Geleyn van der Burch des Suppliants ſone in deſen genoempt tot de poſſeſſie der Canonye ende Scholaſterye hier inne gementioneert voor aengenaem ende aggreable, mits dat hy gehouden ſal weſen ſijn* ſtudium *te proſequeren, tot dat hy achtien jaren out geworden ſal ſijn, om alſdan voor de Staten te compareren ende verclaren, met wat middelen hy de Staten ſal willen dienen, t'ſy dan als rechtsgeleerde in der juſtitie ofte Politie, ofte met wapenen te paerde, ende hem voorts in alles te reguleren nae d'Ordonnantie van de Statuten de Canoniſyen ende Scholaſteryen aengaende gemaeckt ende noch te maecken. Gedaen t'Utrecht den* VII. *Septemb.* 1597. *Ter ordonnantie als boven. G. de Ledenberch.*

* Lamb. van der Burch.

Cæterum ceſſio ut ſubſiſtat nondum ſufficit quod dixi. Neceſſe etiam ut ultro, ut citra aliquam impreſſionem, ut citra dolum aut vim fa-

ꝺa, *can. Gonſaldus* 17. *qu.* 2. *cap.* 4. *& ſeq. ext. de renunt. cap. cum inter ext. de elect. & el. pot. clem. quamvis ext. de appell.* Alteſerr. *ad cap. cum Martinus ext. de conſtit.* Vel expreſſa eſt vel tacita, vel conditionalis vel pura. Conditionalis, ut ſi is, quem, qui renunciat, nominavit, admittatur ad beneficium. Quæ reſignatio eſt in favorem, ſed moribus hodie introducta, contra canonum voluntatem, *cap. quæſitum ext de rer. perm.* Fr. de Roye *Inſt. jur. Can. lib.* 2. *tit.* 18. Alteſerr. *ad d. cap. cum inter.* Plerumque autem, præſertim cum ceſſio eſt expreſſa, neceſſe eſt etiam ut accedat Superioris permiſſus, ut in ea, quæ olim facta ex cauſa permutationis, illuſtre eſt exemplum in charta Ann. CIƆ. IƆ. XXVI. Quam quo clarius intelligatur res neceſſe eſt ut addam hic:

Henricus Dei gratia Electus Confirmatus Trajectenſis Palatinus Rheni Comes & Dux Bavariæ venerabilibus & circumſpectis viris Dominis Decano & Capitulo eccleſiæ noſtræ Trajectenſis, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos collatio, admiſſio, & inſtitutio Vicariarum ſeu beneficiorum infraſcriptorum pertinet communiter vel diviſim, ac univerſis presbyteris, clericis, & Notariis publicis nobis ſubditis & eorum cuilibet in ſolidum Salutem in Domino ſempiternam. Supplicarunt nobis Dn. Johannes de Goch *præbendatus ſeu Vicarius præbendæ Imperialis dictæ eccleſiæ noſtræ Trajectenſis ex una, &* Johannes Beyer *clericus noſtræ diœceſis, Rector Vicariæ Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum, & beatæ Barbaræ, ſitæ in parochiali eccleſia ſancti* Jacobi villæ Hagenſis *partium Hollandiæ ejuſdem diœceſis noſtræ, hinc inde principales partibus ex altera, quod cum*

ex

ex certis rationabilibus cauſis nobis oſtenſis multum expediret & ipſis & dictis eorum beneficiis eadem ad invicem canonice permutare, ipſos ſic mutuo reſignatione recepta ad dicta beneficia ex cauſa permutationis hujuſmodi transferre curaremus. Facta itaque nobis fide ſufficienti de cauſis antedictis, & ſuper eo quod in permutatione hujuſmodi nihil intercesſerit doli, fraudis, aut Simoniacæ pravitatis, Nos Henricus *electus confirmatus Trajectenſis dictorum ſupplicantium votis favorabiliter annuentes, & hujuſmodi permutationem conceptam auctorizantes, reſignationes dictorum beneficiorum ex dicta cauſa in manibus Vicarii noſtri factas recepimus & admiſimus, atque eoſdem ſupplicantes à cura & ſollicitudine, quibus dictis eorum reſpective beneficiis tenebantur aſtricti, abſolvimus, nec non Vicariam ſive prabendam Imperialem nuncupatam, prout dictus Dn.* Johannes de Goch *illam ante præfatam reſignationem obtinebat & poſſidebat in eccleſia noſtra Trajectenſi, dicto Domino* Johanni Beyer, *& viciſſim dictam Vicariam ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum & Barbaræ, ſitam in parochiali eccleſia ſancti* Jacobi *ſupradictæ* villæ Hagenſis, *prout eam dictus* Johannes Beyer *ante præfatam reſignationem obtinebat, dicto Dn.* Johanni de Goch *clerico Colonienſis diœceſis hinc inde auctoritate noſtra contulimus, prout conferimus, ac ipſis reſpective providimus & providemus de eiſdem, conſenſu Decani & Capituli eccleſiæ Trajectenſis quoad præbendam Imperialem, & conſenſu Dn.* Franciſci Bartholomei *presbyteri, patroni dictæ Vicariæ Hagenſis hinc inde ad hoc rite accedente. Vos itaque Dominos Decanum & Capitulum eccleſiæ Trajectenſis requirimus & hortamur, ac reſpective clericis, presbyteris, & Notariis quibuſcun-*

 que

que ſupradictis diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus vos dicti Domini Decanus & Capitulum dictum dominum Johannem Goyer *in dictæ Vicariæ ſeu præbendæ Imperialis in eccleſia noſtra Trajectenſi, & vos clerici, Notarii, ſeu aliquis veſtrum ad hoc requiſitus dictum dominum* Johannem de Goch *in dictæ* Vicariæ Hagenſis *veram, realem, corporalem, & actualem poſſeſſionem recipiatis, admittatis, & reſpective ponatis, introducatis, atque ſic inductum defendatis, cum ſolemnitatibus debitis & conſuetis, receptis ab eiſdem ſolitis & conſuetis juramentis, Præcipientes ipſis de fructibus, redditibus, & proventibus beneficiorum hujuſmodi ab univerſis debitoribus eorundem reſponderi temporibus ad hoc poſitis & ſtatutis, in contradictores vero quoslibet & rebelles trium dierum canonica monitione præmiſſa, ſi ſingulares perſonæ fuerint, excommunicationis ſententiam auctoritate noſtra prædicta fulminantes. Datum ſub ſigillo noſtro quo in cauſis utimur anno Domini* CIƆ. IƆ. XXVI. *die vero Jovis* XXV. *menſis Octobris, Præſentibus venerabilibus viris* Henrico Ben *&* Gerardo Beyer *Canonicis Capitularibus à Decano & Capitulo dictæ eccleſiæ noſtræ Trajectenſis ad intereſſendum hujuſmodi pronuntiationi ſpecialiter miſſis & deputatis, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter atque rogatis.*

Tacita porro ſit vel nuptiis, vel per monaſticam profeſſionem, vel per quandam contumaciam, ut ſi Presbyter non vult fieri, qui eccleſiam eſt adeptus, aut intra annum non curet, aut det operam, ut fiat, *cap. diverſis eap. Joannes ext. de cleric. conj. cap.* 4. *ext. de reg. jur. in* 6. *cap.* 4. *ext. de cland. conj. in* 2. *coll.* Ivo Carnotenſ. *epiſt.* 218.

Verum-

Verumtamen conſilium, quod mihi ipſi darem, ſi aliquem de commiſſis mihi fratribus uxoria compede adſtrictum deprehenderem, tutum eſſe intelligo, videlicet ut ſacramentum conjugii maneat, clericus vero, qui poſtpoſita clericali continentia, de ſuperiori ordine ad inferiorem deſcendit, ſtipendia militiæ clericalis amittat. Joh. Sarisberienſ. *d. epiſt.* Abbo apud Mabillon. *analect. to.* 2. *cap.* 23. De delictis dicetur infra.

Numerari porro inter modos amittendi beneficii etiam poteſt conjugium, *cap.* 1. *cap. diverſis cap. Joannes & cap. ult. ext. de cleric. conj. can. decernimus diſt.* 28. *can. non oportet diſt.* 23. Arcentur clerici ab uxore *dd. capp.* Amittit, qui eam ducit, ſportulas, privilegia, & ſtipendia eccleſiaſtica *d. cap.* 1. *d. cap. diverſis*, adeo ut nec poſſit tonſuram deinceps deferre, fratris appellatione deinceps etiam indignus *d. c. Joannes d. c. ult.* Fratris inquam; nam & clerici paſſim *fratres*, & ob ſportulas, quas accipiebant, etiam *fratres ſportulantes.* Cyprian. *epiſt.* 34. *ut & ſportulis iiſdem cum presbyteris honorentur, & diviſiones menſurnas æquatis quantitatibus partiantur.* & mox: *in honore ſportulantium fratrum tanquam decimas ex fructibus accipientes.* Idem ſportula, quod præbenda, quod canonica portio. Ivo *epiſt.* 219. *deliberavi, ut darem illis dimidiam præpoſituram, ut fieret inde quotidianus panis; quamvis eorum annua præbenda eis ſufficiens eſſe deberet.* Canonia etiam alibi, ut apud Arnulphum *epiſt. ad Alexandrum Papam*, ut & canon. penſitatio. Magnum Chronicon Belgicum. *Poſuit eum in eccleſia, ſine Canonia, hoc eſt, ſine præbenda.* Præbenda, quod pro modo & men-

ſura præberetur. Uſitata jam olim vox, ſed pro annona militari ut apud Plautum *in Perſa*, A. Gellium *lib.* 15. *cap.* 4. Caſſiodor. 5. *var.* 42. *Ducibus etiam ac Præpoſitis ſufficientem transmiſimus pecuniæ quantitatem, ut eorum prabendæ, quæ non potuerunt convehi, ibi debuiſſent ſine alicujus diſpendio comparari.* Pro ſtipendio clericali uſi primum, ut videtur, Caroli Magni temporibus. Additio 111. *ad Capitularia cap.* 112. *Volumus, ut Canonici clerici, qui in civitatibus vel monaſteriis degunt, qui beneficia habent, unde victum & veſtitum habere poſſunt, in hoc juxta Apoſtolum contenti ſint.* Et infra: *Si quis hæc ſtatuta contempſerit, utriſque careat, & beneficio & prabenda.* Quia autem eorum nomina, qui ſportulas accipiebant, comprehenſa erant matricula, ſeu pittacio, ut vocabant, factum hinc, ut debita cujuſvis portio *pitantia* etiam dicta, ſeu ut vulgo *pitance*. Quod ἔτυμον ſi diſpliceat, dicam, quod jam dixi ad Vetera aliquot Teſtamenta p. 480. quod *pitantia* à *pitiſſando*.

TITULUS XIV.

DE

Cenſu eccleſiarum, & donationibus iis factis.

Conſiſtunt opes eccleſiarum in cenſu potiſſimum. Præſtatur cenſus ex pacto, ex donatione, ex contractu, ex teſtamento, aut codicillis, & variis aliis ex cauſis. Clericus an laicus, privatus an civitas, eum præſtet nihil refert. Eccleſia etiam ipſa eum præſtat eccleſiæ. Eccleſiis quid-

quidvis olim dabant, non fundos tantum & prædia, aurum, argentum, gemmas, ſed eccleſias * etiam ipſas. Etiam eccleſiarum quaſi quoddam commercium. Vendebant, elocabant, in feudum dabant, in dotem. Extat dotis conſtitutio Friderunæ reginæ uxori Karoli III. facta apud Attiniacum apud Baluz. *to.* 2. *Capitul. p.* 204. qua duos dari ei juſſit *fiſcos* cum omni eorum *integritate*, *eccleſiis*, inquit, *præſcriptis*, *mancipiis utriuſque ſexus &c.* Et non laici tantum dabant, dabant clerici etiam laicis. Et hi rurſum quibus vellent vel eccleſiis, vel laicis. Capitul. *excerpt. ex lege Longob. apud Baluz. to.* 2. *Capitul.* §. 34. *De eccleſiis, quæ inter coheredes diviſæ ſunt &c.* Capit. Carol. Calv. *tit.* 38. §. 5. *Ut miſſi noſtri per ſingulas parochias una cum epiſcopo parrochiæ ipſius requirant de capellis & abbatiolis & caſis Dei in beneficium datis, qualis cenſus inde exeat.* De Figiacenſi Abbate Anonymus apud Baluz. 2. *miſcell. p.* 299. *Hic de honore Figiacenſis monaſterii tantum diſtribuiſſe invenitur, ut uni ſoli, ſcilicet ſeniori Calmontenſi ſexaginta eccleſias cum quingentis manſis dederit &c.* Dabant autem propter cenſum, quem in ſignum ſubjectionis eccleſiæ etiam ipſæ ab eccleſiis capiebant. Charta apud Miræum

* In eccleſiis etiam ipſis facultates eccleſiæ.

Falco Beneventanus ad Ann. 1121. *Agnes Abbatiſſa monaſterii S. Petri &c. ſuper Bethleem Abbatiſſam monaſterii S. Mariæ, quod eſt conſtructum ad Portam Summam conqueſta eſt, videlicet, quod contra voluntatem ſuam Abbatiſſa effecta eſſet de prædicto monaſterio S. Mariæ, affirmans quidem monaſterium illud ſuæ ditioni poſitum, & monaſterio beati Petri ſubditum eſſe.* Et paulo poſt: *ſalvo tamen cenſu, quem pars ipſius monaſterii perſolvet annualiter ad prædictum monaſterium S. Petri, quatuor oblatas ſcilicet, & duos cereos in nativitate Domini, in Reſurrectione totidem, in Aſſumptione B. Mariæ totidem &c.*

lib. 1. *don. Belg. cap.* 33. qua Andrenſe monaſterium Karrofenſi ſubjectum, *eccleſiæ*, inquit, *Karrofenſi ſubdidit, atque ut idem locus in recognitionem ſubjectionis pariter & eleemoſynam ſui prædictæ eccleſiæ Karrofenſi omni anno cenſum, videlicet duas marcas argenti perſolveret, conſtituit. Duas marcas argenti* dicit. *Viginti ſolidos ſterlingorum* Innocentius III. ait *lib.* 2. *epiſt.* 19. Add. d'Achery *ad Guibert in not. p.* 62. Fulcuin. *de geſt. Abbat. Lobienſ. apud eund. to.* 6. *Spicil. cap.* 4. Chronic. Andr. Monaſt. *apud eund. to.* 9. *Spicil. p.* 597. *& in fin.* Goffrid. 3. *epiſt.* 41. Ziegler. *de dot. eccleſ. cap.* 1. *n.* 8. Sæpe hinc de eccleſiis tot lites, tot rixæ, & animis tam infeſtis inter partes contentio. Vid. Joan. Sariſberienſ. *epiſt.* 11. *& ſeqq.* Et non de nihilo ſi attendas tam amplos, tam magnificos eccleſiarum proventus. Idem *epiſt.* 280. *Ego inter ceteros una eccleſia privatus ſum, quæ* XL. *marcas annuas ſolvebat anteceſſori meo.* Liutprandi legatio ad Imp. Nicephorum Phocam *in fin. Leucatenſis mihi juravit epiſcopus quotannis eccleſiam ſuam debere Nicephoro aureos centum perſolvere, ſimiliter & ceteras plus minuſve ſecundum vires ſuas.* Quæſtuoſum etiam altare erat. Nec quæſtus ſemper ſacerdotis. Ex parte etiam alterius, & vel patroni vel epiſcopi, vel ipſius eccleſiæ, vel alterius cujuſcunque. Unde & paſſim eccleſiis datum ad altare etiam ipſum altare, *can. Eleutherius* 18. *qu.* 2. *can. ſiquis baſilicam* 10. *de conſecr. diſt.* 6. Ivo Carnotenſ. *epiſt.* 286. *Dedimus & eccleſiam S. Stephani, & omnia ad eam pertinentia, altare ſcilicet de Merentiaco cum parte Sy-*
nodi

nodi ad altare pertinentis , *nec non & ecclesiam de Mandonis* , *liberam à ſynodo & circada.* Add. Aub. Miræ. *lib.* 2. *don. Belg. cap.* 61. *& ſeqq.* Claud. du Molinet *ad Steph. Tornacenſ. epiſt.* 118. Ziegler. *d. tr. cap.* 11. *n.* 8. *& ſeqq.* Quod eccleſiæ autem ceſſit, ſecundum vetera inſtituta in quatuor partes diviſum. Prima erat epiſcopi, alteram habebant clerici, tertia erat pauperum, quarta ad fabricam reſervata, ad eccleſiam reſtaurandam, & ſartam tectam conſervandam, *can. vobis*, *can. mos eſt*, *can. conceſſo*, *can. quatuor*, *can. de reditibus*, *can. cognovimus* 12. *qu.* 2. *can. ad hoc can. præſulem* 16. *qu.* 4. Caroli Magn. Capitul. *lib.* 7. *apud Baluz. cap.* 375. Addit. IV. *ad Capitul. cap.* 58. Regin. *lib.* 1. *de eccleſiaſt. diſcipl. cap.* 33. Beda *lib.* 1. *hiſt. eccleſ. cap.* 27. Rather. Veronenſ. apud d'Achery *to.* 2. *Spicil. p.* 264. Strauch. 2. *amœn.* 9. *cap.* 4. Ziegler. *d. tr. cap.* 11, *n.* 8. *& ſeqq. & lib.* 3. *de epiſcop. cap.* 27. *n.* 11. *& ſeqq.*

TITULUS XV.

DE

Rebus eccleſiæ alienandis vel non.

Mirari licet hominum, mirari cleri judicia. Res ſacræ, ut ſatis notum, alienari non poſſunt, §. 8. *Inſt. de Rer. diviſ. l.* 14. *l.* 17. *l. ſancimus* 21. *C. de ſacroſ. eccleſ. nov.* 7. *nov.* 120. *can. prædia can. quiſquis can. diaconi* 12. *qu.* 2. Et eccleſiæ tamen poſſunt. Paſſim quamvis

vis res ſacræ, cum quis vellet, diſtractæ, & facilius quam prædia, quæ in bonis eccleſiæ. Hæc enim non aliter, quam ſi ſumma & utilitas & neceſſitas ad id cogeret, ſi redimendi captivi, *d. §. 8. d. l. ſancimus can. ſacrorum* 12. *qu.* 2. ſi ſolvendum æs alienum, ſi pauperes exhibendi *d. l. ſancimus, auth. præterea C. de ſacroſ. eccleſ. nov.* 120. *cap.* 10. *can. aurum* 12. *qu.* 2. *cap.* 11. *ext. de reb. eccleſ. non al.* ſi ſterile prædium vendatur pluris, ut ematur fructuoſius *can. ſine exceptione* 12. *qu.* 1. *cap.* 7. *cap.* 8. §. *ult. extra h. t.* ſi deterius prædium eccleſia cum meliori permutet, *auth. ſed & permutare C. de ſacroſ. eccleſ.* ſi ædes diſtrahat collabentes, quæ niſi ſumptu ingenti reparari vix poſſunt, aut ſi longius remota prædia, quæ propter longinquitatem neglecta interdum jacent, *d. can. ſine exceptione, can. non liceat* 12. *qu.* 2. Vadian. *to.* 3. *rer. Alamann. p.* 13. Cauſis his exceptis, & ſi quæ ſunt eis ſimiles, qui alienat, eo ipſo incurrit fulmen Pontificium, & poteſt cogi, ut mox reſtituat vel rem vel ejus pretium *cap. ſiquis c. ad noſtram ext. h. tit.* Nec refert, quæ ſit res, mobilis, an immobilis. Nec tranſactio valet, nec manumiſſio, ſi eccleſiæ damnoſa, *cap. conſenſus & ſeq. ext. eod.* Habuit etiam antiquitus ſuos ſervos eccleſia, ut habet hodie adſcriptitios, qui ut liberi quidem vivunt, ſed ut ſervi moriuntur. Adrevaldus Floriacenſis in vita S. Benedicti *lib.* 1. *cap.* 25. Anonymus de ejuſdem miraculis *lib.* 4. *cap.* 11. Ciron. *par. d. tit. de reb. eccleſ. non al.* Nec poſſunt tamen manumitti, niſi hi, qui bene meriti, & niſi gravi

cx

ex cauſa, *can. ſi quos* 12. *qu.* 2. Cauſa autem an ejuſmodi, ab Antiſtite cum clero tractatu prævio prius habito, ab Ordinibus apud nos, aut à loci magiſtratu, adhibitis quorum intereſt, ante adhuc cognoſcendum *c. Abbatibus c. placuit* 12. *qu.* 2. *l. jubemus & auth. hoc jus C. de ſacroſ. eccleſ. Statuyten van Frieſlant lib.* 1. *tit.* 13. Diſtractas etiam eccleſias ex his cauſis non nego, ſed, quo majus earum pretium, non tam facile earum reditus, cenſus, prædia, facultates. *c. monemus* 12. *qu.* 2. Imbert. *ench. verb. eccleſia.* Fr. de Roye *proleg. ad tit. de jur. patr. cap.* 17. Citra eas autem vetita, & terribilibus etiam pœnis teſtamento expreſſis, ut Biblioth. Sebuſian. *cent.* 1. *cap.* 1. *& hoc obſecro ô Sancti Apoſtoli & glorioſi Principes terræ Petre & Paule, & te Pontifex Pontificum Apoſtolicæ ſedis, ut per auctoritatem canonicam &c. alienes à conſortio ſanctæ Dei eccleſiæ & ſempiternæ vitæ, prædones, & invaſores, atque diſtractores harum rerum, quas S. Mariæ & prædictis Sanctis hilari mente promptaque voluntate dono &c. Siquis forte quod abſit &c. iram Dei omnipotentis incurrat, auferatque Deus partem illius de terra viventium, & deleat nomen illius de libro viventium, fiatque pars illius cum his, qui dixerunt Domino Deo, recede à nobis, & cum Dathan & Abyran, quos terra aperto ore deglutivit, & vivos infernus abſorbuit, perpetuam incurrat damnationem: Socius quoque Judæ Domini proditoris effectus æternis cruciatibus retruſus teneatur, & ne ei in præſenti ſeculo humanis oculis impune tranſire videatur, in corpore quidem proprio futuræ damnationis tormenta*

expe-

experiatur, ſortitus duplicem direptionem cum Heliodoro & Antiocho, quorum alter ſuperno nutu percuſſus &c. Ex cauſis autem, quas dixi, facilius pignori quædam data, in feudum data, in emphyteuſin. Quædam etiam Advocatis pro defenſione vel in feudum vel in proprium conceſſa. Etiam aliis in proprium, ſi neceſſitas ſic exigeret, ſed ſic tamen ut viciſſim eccleſia quicquid dabat feudi titulo retineret. Vulgo tum dicta rem ab alio advocare, *cap. ult. de reb. eccleſ. non alien. in 6. cap. un. §. porro de jurej. in clement.* Charta apud Quercetanum in probationibus familiæ de Chaſtillon *p. 35. neque de iis alium dominum advoco niſi ipſum.* Apud Matthæum Paris in Henrico II. *tenementum advocare de illo feudo*, id eſt, profiteri ſe tenere de eo prædium. Fr. de Roye *proleg. de jur. patron. cap.* 10. Sed ne id quidem licuit, ſi verbis expreſſis eccleſiæ id interdictum. Ne præſtariæ quidem titulo dari quicquam ab ea potuit, ſi datum quid ea lege, ne rurſum alii præſtaretur, ut in Tradit. Fuldenſ. *lib.* 1. *ut nulli clericorum aut laicorum aliquando res ipſæ, quas tradidi, in beneficium præſtentur, ſed ad locum, quo præfatus Martyr corpore quieſcit, perpetua deſerviant.* Flodoard. *lib.* 3. *hiſt. Remenſ. cap.* 10. *ea conditione, ut nullo unquam tempore quilibet epiſcopus vel qualibet perſona eaſdem res cuiquam in beneficium dare, vel in alios uſus abſtrahere præſumat, neque aliquem cenſum vel redhibitionem inde accipiat, ſed totum &c.* Ziegler. *lib.* 3. *de epiſc. cap.* 28. *n.* 15. Et tamen cautio hæc adverſus Principem, in caſu inprimis neceſſitatis,

tis, parum efficax ſemper viſa. De Ludovico Balbo Aimoin. *lib. 5. hiſt. cap. 6. cum accepto nuntio in Andriaca villa de morte patris ſui Caroli, quos potuit, conciliaſſe ſibi, dando eis Abbatias, & Comitatus ac villas, ſecundum uniuſcujuſque poſtulationem.* De vaſis ſacris in uſum belli ab Alexio Comneno diſtractis Anna Comnena *lib. 5. hiſt.* Add. ibi du Cange & Leon. Allat. *ad Georg. Acropol. p. 206. & ſeqq.*

TITULUS XVI.

DE

Contractibus Clericorum.

Contrahere poſſunt clerici non minus quam alii. Rem pignori obligare aut accipere quidni? Commodare etiam poſſunt & commodato accipere, ſtipulari, paciſci. Etiam emere & vendere, locare & conducere, in uſumfructum concedere, in emphyteuſin, ad firmam. Nihil impedimento hic. Obligari etiam ipſi & conveniri poſſunt ex contractu, modo ſponte ab iis initus, nec cauſam dederint contractui dolus, vis, aut metus. Si dederint quicquid actum nullius momenti eſt, *l. 7. pr. ff. de dol. l. 1. C. de reſc. vend. l. 1. l. 14. §. 13. ff. de dol.* Pſell. *ſynopſ. verſ.* 1146. Τὸ κατὰ φόβον γεγονὸς οὐκ ἔστιν ἐῤῥωμένον. *Quod metu factum eſt robur non obtinet.* Tertull. *lib. de veland. virgin. Ubi ſollicitatio, illic coactio, ubi coactio, illic neceſſitas, ubi neceſſitas, illic infirmitas.* Metus autem neceſſe eſt, ut & atrox & præ-

ſens ſit, *l. 5. l. 6. l. 7. pr. ff. Qu. met. cauſ.* Metus reverentialis aut infamiæ non ſufficit, *l. 7. pr. ff. eod.* ut nec metus ſuſpicio *l. 9. pr. ff. eod.* Metus mortis requiritur, amittendæ pudicitiæ, aut intolerabilis injuriæ, amiſſionis bonorum, cruciatuum, tormentorum. Tali metu ſi adactus quis renuntiet aut beneficio, aut electioni de ſe factæ, renuntiatio non valet *l. 7. C. h. qu. vi met. c. cap. ad audientiam c. dilectus c. Abbas ext. eod.* Obiter id tantum addam, quod quantum ad jus Canonicum habetur interdum ratio etiam metus non magni, ut in nuptiis *cap. requiſivit ext. de ſponſal.* in voto *cap. licet ext. de vot. & vot. redd.* propter voti & nuptiarum infelices interdum exitus. Sed quod dixi de contractu, de mercatura non dico. Clerici enim cum paſſim jactent totos ſe mancipatos cœleſti militiæ, milites autem per provincias negotiari non poſſint, *l. un. C. negotiat. ne milit.* negotiatione etiam ipſis, niſi quantum ad victum & veſtitum ipſorum attinet, & commerciis interdictum. Interdictum uſuris, *can. epiſcopus can. quoniam diſt. 47. c. quoniam & paſſim 14. qu. 4.* non minus quam ceteris. *cap. quia in omnibus cap. ſuper eo ext. de uſur.* Auctor ſermon. ad fratres in eremo: *O Sacerdotes mei, ſi fœnus in laico crimen judicatur; ſi propter hoc mori debet, & condemnatus ad mortem, quid de vobis erit in die noviſſimo?* Emptione etiam ſub qua latet uſurarius contractus. Uſuras enim, ut notum, jus Canonicum prorſus damnat, *cap. tua nos & cap. conſuluit ext. de uſur.* Annui reditus emptionem tantum Pontifex permittit. *d. cap.*

tua

tua nos & cap. conſuluit ext. de uſur. Sic ut ſors ſit inſtar mercis, nec magis quam quævis res aut merx poſſit repeti, *cap. 1. & 2. extrav. comm.* Abſtinendum præterea ab emptione immobilium, niſi Princeps permittat. *Amortiſatio* id ſi permittat. Sed non paſſim permittit, cum quicquid eccleſiæ, quicquid clericorum ſit, neſciat functiones publicas, & ſine motu velut mortuum eximatur tributis. Unde & clerici *manus mortuæ*, eodem nimirum ſenſu, quo *nemus* mortuum, *mare* mortuum, apud Miræum *lib. 2. don. Belg. cap. 64.* Ziegler. *de dot. eccleſ. cap. 10. n. 16.* Peck. *de amortiz. cap. 4.* Zypæum *jur. Pontif. lib. 2. tit. de for. comp. n. 10. & ſeqq.* Qua ratione cum regni vis in tributis conſiſtat, nam nec gentium quies ſine armis, nec arma ſine cenſu aut tributis haberi poſſunt, vix id Princeps permittet, niſi etiam tributum in ſe clerus ſuſcipiat, & ſi ſit feudum quod emit, niſi ſalvum etiam ſit ei jus, qui rem in feudum conceſſit. Quod ſi Princeps diſſentiat, nulla eſt prorſus emptio, & mox repeti poteſt res perinde ac ſi non vendita. Exemplum tamen quo permiſit habet Chronicon Beccenſe ad Ann. 1466. apud d'Achery *append. ad Lanfranc. Feodum de Calvomonte, de Feugneroto, & Boulle, mandato Regis de curia, & ſcacario, Beccenſi eccleſiæ tanquam manui mortuæ incorporavit, magnis & largifluis ſumptibus amortiſari fecit.* Et mox: *Nota quod amortiſatio nihil aliud eſt quam terram domini tributalem immunem reddere ab illo.* Aliud ſuppeditabit, ſi requiras adhuc aliud, Ann. Robert. *lib. 2. rer. jud. cap. 2.* Vulgo autem ſervatur, ut

 ſi rei

ſi rei immobilis relinquatur legatum, æſtimatio debeatur. Jul. Clar. §. *teſtamentum qu.* 29. Matth. de Afflict. *ad conſt. Neap. lib.* 3. *rubr.* 26. *n.* 2. Guid. Pap. *deciſ.* 227. *n.* 2. Zypæ. *reſponſ. jur. Can. lib.* 5. *tit. de pœn.* Anſelm. *Trib. Belg. cap.* 50. *n.* 11. Pretium enim ſeu æſtimatio annumeratur mobilibus. Bald. *ad l. ea demum C. de collat.* Goris *adverſ. tr.* 4. §. 34. Paſſim ſic placuit. Sed ſingulare id apud nos, quod quicquid quocunque titulo eccleſiis Pontificiis, cœnobiis, hoſpitalibus, relictum, datum, conceſſum, prorſus ſic nullum eſt, ut nec pretium debeatur. Nec res mobilis ſit an immobilis, directo ipſis relicta an per perſonam interpoſitam, clam an palam, quicquam refert. *Placcaet van de Staten van Hollant Ann.* 1655. 4. *Maji*, *van de Staten van Utrecht Ann.* 1656. 8. *Maji*, *van de Staten Generael Ann.* 1649. 14. *April.*

Ab omni porro turpi lucro prorſus clericis abſtinendum. Secularibus negotiis, *κοσμικαῖς διοικήσεσι*, ſi ſe immiſceant indignum. Synod. Chalced. *can.* 181. Locare propria poſſunt prædia, etiam dare in emphyteuſin, *nov.* 7. *cap.* 3. *auth. perpetua C. de ſacroſ. eccleſ.* ut cura eorum exſoluti eo ſcilicet expeditius divino cultui tantum vacent, aliena autem inſtar militum *l.* 31. *C. de loc. cond.* militant enim Deo, ſors lecta Dei, ut ... eſt

Hieronym. *epiſt. ad Nepotian.*

Igitur clericus, qui Chriſti ſervit eccleſiæ, interpretetur primo vocabulum ſuum, & nominis definitione prolata nitatur eſſe quod dicitur. Si enim cleros Græce, ſors Latine appellatur, propterea vocantur clerici, vel quia de ſorte ſunt domini, vel quia ipſe dominus ſors, id eſt, pars clericorum eſt. Vid. *ſupr. lib.* 1. *tit.* 7.

eſt apud Anonymum, conducere ipſis non licet, *nov.* 123. *cap.* 6. ne dum lucrum tantum quærunt, negotiis obſeſſi, & opum ſtudio ſuffocati, quæ hujus ſeculi ſunt, tantum curent. Turpis dicitur villicatio hæc in Concilio Meldenſi *can.* 49. Synod. Afric. *can.* 16. *Item placuit, ne epiſcopi, presbyteri, diaconi, non ſint conductores, aut procuratores, neque ullo turpi negotio & inhoneſto victum quarant, quia reſpicere debent ſcriptum eſſe: nullus militans Deo implicet ſe negotiis ſecularibus*, οὐδεὶς στρατευόμενος τῷ θεῷ ἐμπλέκει ἑαυτὸν πραγμάσι κοσμικοῖς. Ratio hæc & non alia, cur nolit Imper. ut tutelam ſucipiant, niſi forſan legitimam, & ne legitimam quidem aliter, quam ſi ultro ſuſcipiant, & non ſint monachi aut epiſcopi *nov.* 123. *cap.* 5. *& auth. Presbyteros C. de epiſc. & cler.* per quam ſuſtulit antea à ſe latam *l.* 52. *C. eod.* relatam in *c. generaliter* 16. *qu.* 1. ſed perperam adſcriptam Leoni Auguſto. Cujac. *in expoſ. d. nov.* 123. Graviter dicit ſe propterea commotum Cyprianus *epiſt.* 1. cum audiſſet quod Presbyter datus tutor teſtamento. *Graviter*, inquit, *commoti ſumus ego & collegæ mei, qui præſentes aderant, & compresbyteri noſtri, qui nobis aſſidebant &c. cum cognoviſſemus, quod Geminius Victor frater noſter de ſeculo excedens Geminium Fauſtinum Presbyterum tutorem teſtamento ſuo nominaverit; cum jam pridem in Concilio epiſcoporum ſtatutum ſit, nequis de clericis & Dei miniſtris tutorem vel curatorem teſtamento ſuo conſtituat &c.* Rittersh. *ad nov. part.* 8. *cap.* 1. *n.* 7. Pancirol. 2. *var. lect.* 1661.

TITULUS XVI.

DE

Precariis, Præſtariis, & libellis.

Recentiora autem hæc edicta, quibus clero acquiſitio immobilium interdicta. Donatio olim frequens. Sed & illud non minus frequens, ut donator interim retineret rem titulo aut precarii, aut locati, aut uſusfructus, aut alioquin in feudum, in emphyteuſin, reciperet *l. quisquis* 28. *l. ſiquis argentum* 35. *§. ſed ſiquidem C. de donat.* Cuj. 20. *obſ.* 27. Et hæc olim *precaria.* Acta Cenomanenſ. epiſcop. apud Mabillon. 3. *analect.* 19. *in fin. Per precarias ipſius urbis epiſcopi atque ſucceſſores eaſdem res ſub cenſu haberent, & cenſum ex eis ad jam dictam matrem eccleſiam perſolverent, & quando de hoc ſeculo &c.* Precaria à parte ejus, qui rem utendam rogabat. Præſtaria à parte ejus, qui utendam danti rurſum dabat. Sirmond. *ad Capit. Car. Calv. tit.* 6. Ziegler. *de dot. eccleſ. cap.* 8. §. 29. Sed ſæpe hæc confunduntur. Exemplum inſigne eſt apud Miræum *notit. eccleſ. Belg. cap.* 32. *Diligendo in Chriſto filio ſanctæ Dei eccleſiæ Ansfrido venerando Comiti palatii Thiotrochus gratia Dei humilis Abbas. Honorabilis fuit tua petitio, & fratrum noſtrorum decrevit benevolentia, ut res proprietatis tuæ in Geizefurt à te S. Nazario traditas, rem quoque proprietatis tuæ in villa Sodota ſimiliter traditam, cum rebus S. Nazarii in villa Baldanis, quæ in utroque teſtamento tuo plenius*

continentur inſcripta, tibi & filio tuo Heldiwardo ad dies vitæ veſtræ beneficiaremus. Quod quia rationabile fuit perfecimus, & hanc præſtariam vobis conſcribi juſſimus: ut quamdiu vixeritis, utraſque res teneatis & excolatis, & nihil exinde minuere, aut deteriorare, ſed potius augmentare & meliorare ſtudeatis. Poſt obitum vero veſtrum utræque res. melioratæ & auctæ ad S. Nazarium revertantur. Data præſtaria anno incarnationis Dominicæ DCCC. LXII. *regni Ludovici regis* XXVI. *&c.* Vetus charta Alamannica apud Goldaſtum LXXIII. *ut res quas nobis vendidit Conzo ei iterum per hanc præſtariam repræſtaremus &c.* Add. *formul. apud Lindenbr.* 19. 20. 21. 22. *& ſeqq.* Antiq. Fuldenſ. *p.* 476. *&* 505. & exempla apud Baluz. 3. *miſcell. cap.* 60. d'Achery *to.* 9. *Spicil. p.* 408. *&* 527. Quod ſi ſimpliciter donator transferret rem, moris tamen, ut viciſſim quid eccleſia daret dono, ſæpe aut cenſum, aut prædium, aut veſtem, aut equum, aut munuſculum quoddam aliud. Et id nomine *charitatis*, phraſi uſitata tum, qualecunque eſſet dabat. Robert. de Monte in ſupplement. ad Sigebert. *Willelmus de Vado miles vendidit, vel potius accepta charitate* XIII. *librarum, & unius equi albi in perpetuam eleemoſynam dedit Deo, & Alexandro Abbati, & monachis &c. tertiam partem terræ, quam habebat &c. Eodem quoque anno Rogerius Tutel miles illuſtris Vulcarienſis monaſterii dedit eccleſiæ Gemet &c. perpetuam eleemoſynam apud Giſennenſes* XVI. *& dimidium Acras terræ arabilis, & ſeptem Acras nemoris &c. Pro hac autem donatione Rogerius Tutel accepit ab Alexandro Abbate nomine cha-*

charitatis xxx. *libras Andegavenſes & equum unum album, à Willelmo vero &c. duorum militum veſtimenta &c.* Add. Orderic. Vital. *lib.* 5. *hiſt. p.* 576. *& ſeq. p.* 591. *&* 596. Roger. de Flaviniaco *Chron. Virdunenſ. apud Labb. p.* 542. *& ſeq.* d'Achery *to.* 8. *Spicil. epiſt.* 28.

Paſſim autem precariæ non à laicis tantum datæ, verum etiam à clericis, & ab eccleſiis etiam ipſis. Sed ab eccleſiis ſi nimis temere reſciſſæ etiam & revocatæ *cap.* 2. *ext. h. tit.* Ita apud Flodoardum: *Recepit villas eccleſiæ, quas anteceſſor ſuus per precarias ſeu præſtarias conceſſerat. Anteceſſor*, id eſt, deceſſor, ut apud eundem *lib.* 3. *quoniam ſui anteceſſores hoc facere non ſunt auſi.* Martyrologium Carnotenſe loquens de Ivone Carnotenſi epiſcopo, *minoratas*, inquit, *omnes hujus eccleſiæ & precarias in communes redegit uſus.* Minoratas, id eſt, res & poſſeſſiones eccleſiæ ab aliis imminutas, detentas, & occupatas. *Minorare* eſt minuere *can. tota* 12. *qu.* 2. *can. quicunque* 12. *qu.* 4. Caroli Magni Capitularia *lib.* 7. *cap.* 104. *Quod honores ſacerdotum & res eccleſiarum auferre vel minorare noluiſſemus.* Et hinc *minutia* poſſeſſionum in *cap. ex literis ext. de pign. & al. caut.* Queritur autem de eo Ivo ſcribens ad Paſchalem Papam *epiſt.* 172. quod id paſſim invaluiſſet jam, ut per precarias ab aliis tam à clericis quam à laicis detinerentur res eccleſiaſticæ ſine ullo prorſus fructu, quem eccleſia hinc capiebat, ſpe melioris tantum culturæ, & ad *beneficium uſufructuario ordine tenendum*, ut eſt paſſim in Formulis, ut & apud Flodoardum *lib.* 2. *hiſt. Remenſ.*

cap.

cap. 1. Dabatur cenſus alioquin *nov. Leon.* 13. Cenſu autem non dato periculum interdum erat, ne jugi tandem ſilentio eccleſia rem amitteret. Flodoard. *lib.* 3. *Cupiens*, inquit, *evadere periculum, ne ſilentio ſuo cenſus ipſe depereat, & villa in alodem vertatur.*

Precaria autem conſiſtebat non in prædiis duntaxat, verum etiam in re mobili. Etiam in nummis, in pecuniaria quantitate, cujus datus quotannis cenſus. Revera cenſus hic uſura, ut precaria revera mutuum. Benigniori tamen nomine precaria dicta non mutuum. Annuum autem illud, uſuris vetitis & illicitis, non uſura, ſed cenſus. Occurrit etiam vox *praſtitum*, à *praſtare*, id eſt, commodare, *l. ult. C. Qu. cum eo qu. in al. pot.* Opt. Milevit *lib.* 3. *p.* 35. *b. Procedente terrore creditores periculis vallabantur, & qui pro praſtitis ſuis rogari meruerant, metu mortis humiles impellerentur in preces.* Nam & mutuum commodatum Plaut. *in Aſinar. Viginti argenti commodas minas.* Sidon. Apollin. 4. *epiſt.* 24. *Ergo quod reſtat enitere, ut auctore te protinus commodata ſumma ſolvatur.* Nec mirum quod commodatum: Nummi alibi qui mutuo ſumpti dicuntur etiam conducti. Horat.

Omnia conductis coëmens obſonia nummis.

Alteſerr. *ad Greg. Turonenſ. lib.* 3. *in fin.* Ciron. *parat. de precar.* Bignon. *ad Marculf. lib.* 2.

Contrahebant etiam per libellum ſub annuo quodam cenſu uſu rei conceſſo. Cenſus erat vilis, & qui non magni momenti. Et vel in perpetuum vel ad tempus contrahebant, ſed ple-

rumque in perpetuum. Leo Oſtienſis *hiſt. Caſinenſ. lib.* 1. *cap.* 18. *Hic Abbas fecit libellum quibuſdam hominibus de Termule, de omnibus rebus ſancti Benedicti, quas ibi poſſidebamus, pro cenſu* XIV. *ſolidorum, & medietate totius paſtionis.* Idem *d. lib. cap.* 47. *Fecit etiam libellum Gotfrido cuidam Marſicano, de S. Gregorio in Serviliano cum ſervis & ancillis, & omnibus omnino rebus ac pertinentiis ejus &c. pro quo annualiter recipiebat cenſum tritici modia* XV. *&c.* Contractus hinc libellarius, non multum diſtans ab emphyteuſi, ſed hactenus tamen diſtans, quod ſcripturam requirat, contra quam emphyteuſis, quod non requirat, ut prædium reddatur melius & cultius, quod non ſemper requirat cenſum, ut requirit emphyteuſis. Etiam pretium pro re datur, & ſic ſimilis emptioni, etſi pretium non ejuſmodi quod rei valorem æquet. Leo Oſtienſis *lib.* 2. *cap.* 8. *Libellos plurimos de rebus hujus monaſterii fecit, ut monaſterium à Saracenis dirutum ex eis pecuniis reficeret. Nam in Aprutio de curte Tulliana ſolidos accepit* CCC. *& annuo cenſu* XXIII. *à Giſonis filiis. Item ibidem facto eis libello de curte Vingana* CCCC. *modiorum ſexcentos accepit ſolidos, annuo autem cenſu ſolidos* XX. *&c.* Jus certe emphyteuticum diſtinguit etiam à libellario Carolus Calvus in Capitulis *tit.* 41. *cap.* 10. Merces eſt quod conductor dat. Canon, penſio, quod emphyteuta. Libellaticum, quod is qui titulo, aut nomine libellario, aut libelli nomine rem accipit. * Varie enim ſic loquuntur *lib.* 1. *tit.* 3. *Qu. mod.*

feu l.

* *Jure* aut *more libellario* etiam alibi occurrit.

feud. amitt. lib. 2. feud. tit. 9. §. 2. & tit. 55. de prob. feud. al. per Frid. Greg. Magn. *lib. 2. epiſt. 4. Sed ipſa etiam libellatica prout ſumma penſionis fuerit moderentur.* Caſſiod. 5. *var.* 7. Petr. Diacon. *Chron. Caſinenſ. lib. 4. cap. 26.* Angel. de Nuce *ad Chron. Caſinenſ. n.* 631. Joach. Stephan. *ad nov.* 7. *n.* 4.

TITULUS XVIII.

DE

Bonis clericorum & de ipſorum teſtamentis.

Monachi olim laici. Progreſſu temporis quamvis clerici inter ipſos & reliquos diſtinctio hæc tamen manſit, quod qui proprie olim clerici bona propria & habere & acquirere etiam poſſunt, monachi ut mundo mortui ſervorum inſtar nec habere, nec acquirere etiam quicquam. Quicquid habent, aut acquirunt, monaſterio cedit totum, *cap. cum olim ext. de privil.* Bald. *ad l. 4. C. comm. de ſucceſſ.* Mornac. *ad l. 10. ff. de cap. min. & ad l. 20. ff. de ann. leg.* Permiſerat quidem inter liberos teſtari monachis Imperator, *auth. ſiqua mulier C. de ſacroſ. eccleſ. nov.* 123. *cap.* 38. Sed deinceps ſublatum id. Abjecti, damnati, vix digni habiti ſepultura, apud quos cum obiiſſent caſu forſan deprehenſum vel tantillum pecuniæ. Et ſi ſpectemus jus commune, quod deinceps obtinuit, nec patri, nec matri, ſuccedit monachus, nec agnatis. Monaſterium in-

ſtar filii ſuccedit ipſius loco. Everh. *conſ.* 26. *n.* 19. Et ſiquis Titio ſubſtituat, ſi decedat ſine liberis, monaſterium, quod inſtar filii, ſubſtitutum excludit. Moller. *lib.* 5. *ſemeſt. cap.* 34. Cenſetur enim ingreſſus eodem erga monaſterium, quo erga filium affectu, dilexiſſe id ut filium; ſenſu forſan ejuſmodi, quo eunuchi dicuntur opes ut filiolas ampleđti apud Ammianum *lib.* 18. *Spadones feri & avidi ſemper, carenteſque neceſſitudinibus ceteris, divitias ſolas ut filiolas jucundiſſimas amplectuntur.* Contra autem ſi ſpectes jus Belgicum hodiernum, non ſuccedunt quidem, ut mundo mortui, & nec patri, nec matri, ut nec parentes viciſſim ipſis. Sed in ea quæ jam habent ingreſſi nondum monaſterium ſuccedunt ſtatim poſt ingreſſum, vel qui ſcripti ſunt teſtamento, vel heredes legitimi: Nam & nondum ingreſſi poſſunt facere teſtamentum. *Coſtuymen van Antwerpen tit.* 47. *in fin. van Bronckhorch tit.* 16. §. 1. *van Cortryck tit.* 15. §. 18. *van Gent tit.* 26. §. 1. *van Deventer part.* 3. *tit.* 5. § 11. *van Caſſele* §. 367. *van Jutlant lib.* 1. *cap.* 25. Ingreſſus nec quicquam retinet, nec ſi recedat, rurſum effert. Abbonis Abbatis canones apud Mabillon. 2. *analect. p.* 281. Sed ne quæſtio de eo unquam parentes interdum ipſi tradebant filios monaſterio cum omni hereditate & paterna & materna. Quam multi à quibus factum quod factum ab Emehilta, matrona quadam nobili, quæ omnia ſua prædia numero quinque & quinquaginta Fuldenſi tradidit monaſterio. Brouwer. *antiq. Fuldenſ. lib.* 3. *cap.* 16. Unde & opes cœnobio-

nobiorum paſſim tam invidendæ , ut ſenſim acquiſitione immobilium repreſſa , ſtatutis nondum editis , coacti renunciare ſucceſſioni parentum, qui religionem ingreſſuri. Qui proprie olim clerici de iis quæ acquirebant , etſi filiifamilias, ut de propriis diſponebant, *l.* 34. *C. de epiſc. & cler.* Vigl. *ad pr. Inſt. Qu. n. eſt perm. fac. teſt.* Rittersh. *ad nov. part.* 1. *cap.* 7. *n.* 114. Balſamo *ad Phot. Nomocan. tit.* 1. *cap.* 31. *& conſt. eccleſ. collect. tit.* 3. *n.* 34. Nam nec uſquam iis aut proprietas aut acquiſitio interdicta. Facultas etiam teſtandi data & teſtandi pro lubitu , *d. l.* 34. *nov.* 123. *cap.* 19. donec aliud dein viſum, & placuit potius, ut in his, quæ tempore epiſcopatus aut clericatus quæſita , præſertim quæ quæſita ejuſdem occaſione, ſuccederet eccleſia. Quæ eccleſia , ſiquis roget ? Ea inquam ad quam ipſi ſolemniter ordinati *cap.* 3. *ext. de pec. cleric.* Balſam. *conſt. eccleſ. collect. tit.* 3. *n.* 42. Phot. *Nomoc. tit.* 10. *cap.* 5. Nec pejus quicquam aut fœdius, quam ſiquis ei & in his prætuliſſet extraneum, *can. nulli*, *can. ſtatutum* 18. *qu.* 2. * Gregor. Magn. *lib.* 9. *epiſt.* 14. *Sacris canonum legibus eſſe noſcitur definitum , ut in his quæ antiſtes tempore epiſcopatus acquiſiverit non alius niſi ſola ſuccedat eccleſia.* Capitul. Car. Magn. *lib.* 1. *cap.* 156. *Ut unuſquiſque presbyter res , quas poſt diem conſecrationis acquiſierit , proprias eccleſiæ relinquat.* Codex *canon. eccleſ. Afric. cap.* 32. Ὁμοίως ἤρεσεν &c. *& cap.* 81. *& ib. Juſtell.* Lib. Diurn. Rom. Pontif. *cap.* 67. *pr. & in fin.* Alteſerr. *ad Greg. Magn. lib.* 5. *epiſt.* 1. *& lib.* 9. *epiſt.* 14. De paternis,

* Si hæreticum, anathemati ſubjectus etiam poſt mortem. Concil. Conſtantinop. II *collat.* 5.

nis, de propriis, & his quæ ante acquiſita quam ſacerdotium adepti, eodem modo, quo & laicis, teſtandi iis jus, *can. ſicut can. epiſcopi can. ſint manifeſtæ* 12. *qu.* 1. Gregor. Magn. *lib.* 10. *epiſt.* 41. *Nulli dubium eſt, quin ſicut Sacerdotibus res in epiſcopatu acquiſitas nulla eſt alienandi licentia, ita de his, quas ante habuerint, quicquid judicare voluerint, non vetantur.* Sed rurſum temporis progreſſu diſtinctio eſt ſublata. Unde & hodie & de his & de illis id eis licet. Teſtantur autem, ut & laici, duobus tantum teſtibus cum parocho adhibitis *cap.* 10. *&* 11. *ext. de teſtam.* Quæ alioquin jus Romanum eadem & Canonicum paucis tantum exceptis in teſtamentis requirit. Solennitates nonnihil minuit. Duarum quartarum detractionem permittit *c. Raynutius ext. de teſtam.* Gail 2. *obſ.* 121. *n.* 6. Permittit filiofamilias teſtamenti factionem *c. licet ext. de ſepult. in* 6. Permittit peregrinis. Vigl. *ad pr. Inſt. Qu. n. eſt perm. fac. teſt.* Cetera adhuc pene eadem. Utroque admittitur ſubſtitutio. Utroque liberi aut inſtituendi aut neceſſario exheredandi. Utroque etiam parentes, ut & fratres ſororeſque, hactenus non ſublatis *l. fratres* 27. *C. de inoff. teſt. l.* 7. §. 1. *ff. ſi tab. teſt. non extab. l.* 7. *pr. ff. de bon. damn. l.* 29. §. 1. *ff. de inoff. teſt. nov.* 22. *cap.* 47. *nov.* 115. *cap.* 3. *&* 4. *pr. & t. tit. Inſt. de exher. lib.*

Et hactenus, ſi quæratur, an teſtari poſſint clerici. Alia eſt quæſtio, ſiquis quærat, an poſſint inſtitui. Et quamvis certum, quod poſſint jam, olim tamen non poterant. Nec legari iis quicquam poterat, nec per ſuppoſitam perſonam quod

quod relictum poterat ab iis capi, *l. 27. C. Th. de epiſc. & cler.* Non idcirco quod indigni, ſed ne divitiis inflati inſoleſcerent & minus pii curarent tantum quæ hujus mundi, gallinæ Æſopicæ ad exemplum, quæ ſtrigoſa & male habita quotidie ponebat ova, ſaginata autem dein deſiit. Sed hinc multum deterior, quam flaminum ethnicorum, quibus quidvis capiendi jus clericorum conditio. De quo queritur Ambroſius in *epiſt. contr. Symmach.* *Scribuntur*, inquit, *teſtamenta templorum miniſtris, nullus excipitur profanus, nullus ultimæ conditionis, nullus prodigus verecundiæ: ſoli ex omnibus clerico commune jus clauditur, à quo ſolo pro omnibus votum commune ſuſcipitur, officium commune defertur; nulla legata vel gravium viduarum, nulla donatio: & ubi in moribus culpa non deprehenditur, tamen officio mulcta præſcribitur. Quod ſacerdotibus fani legaverit Chriſtiana vidua, valet, quod miniſtris Dei non valet.* Queritur etiam Hieronymus in *epiſt. ad Nepotianum: Pudet dicere, ſacerdotes idolorum, mimi, & aurigæ, & ſcorta, hereditates capiunt, ſolis clericis & monachis prohibetur, & prohibetur non à perſequutoribus, ſed à Principibus Chriſtianis. Nec de lege conqueror, ſed doleo, cur meruerimus hanc legem. Cauterium bonum eſt, ſed quo mihi vulnus, ut indigeam cauterio. Provida ſeveraque legis cautio, & tamen nec ſic refrenatur avaritia. Per fideicommiſſa legibus illudimus &c.* Non obſcura eſt legis cauſa, nec diſſimulat Hieronymus. Fuit cleri avaritia, & inſatiabilis cupiditas, ſubrepentis in teſtamenta, & conantis quantam poſ-

ſet

ſet cum aliorum etiam injuria in ſe trahere poſſeſſionum & facultatum vim ingentem, ut inſignis hac de re apud Zoſimum locus eſt *lib. 5. hiſt. Jamque fuerat intercepta Chriſtianorum eccleſia ab iis, qui monachi vocantur. Hi legitimis nuptiis abſtinent, & tam in urbibus quam vicis populoſa collegia complent hominibus non maritatis, nec ad bellum, nec alium reipublicæ neceſſarium uſum idoneis,* πλὴν ὅτι περιιόντες ὁδῷ, μέχρι τοῦ νῦν ἐξ ἐκείνου, τὸ πολὺ μέρος τῆς γῆς ᾠκειώσαντο, προφάσει τοῦ μεταδιδόναι πάντων πτωχοῖς * πάντων ὡς εἰπεῖν πτωχοὺς καταστήσαντες, *niſi quod via quadam progreſſi, ab eo tempore uſque in hunc diem, magnam agrorum partem ad ſe tranſtulerunt, & ſub prætextu quaſi cum pauperibus omnia communicent, omnes prope dixerim ad inopiam redegerunt.* Nec diu tamen prohibitio hæc ſortita eſt effectum. Principes mox ſecuti, qui propenſiore in clerum ſtudio capere etiam permiſerunt quod teſtamento relictum. Novella elegans in eam rem eſt Martiani Imperatoris, quæ in *Cod. Theod.* eſt *tit. 6. de teſtam. cleric.* Eſt etiam *l. generali* 13. *C. de ſacroſ. eccleſ. nov.* 131. *&c.* Guil. Forner. 1. *ſelect.* 28. Nec clerus in capiendo aut corradendo deinceps ſegnis. Effuſæ in eum opes tanto certatim impetu, ut fuerit edictis Principum inhibendus rurſum fervor. Tam variæ erant cleri artes ad plebem metu Purgatorii, nam & terror hic erat ingens, emungendam pecuniis, ut raro vita quis concederet, niſi clero aut inſtituto aut legatis aliquot honorato. Piaculum erat ingens ſiquis nihil dediſſet. Inteſtatus ſi moreretur quis, ſepeliri, ut Ar-

* πάντας.

gen-

gentræus ait ad *conſ. Brit. art. 79. tit. des droicts du Prince*, patiebantur non aliter, quam ſi de ſuis ſuppoſuiſſent quem, qui teſtaretur defuncti loco, & monaſteriis quippiam, eccleſiæ, aut piis locis relinqueret. Nec quamvis clero hinc avaritiæ & rapinarum convicto pudenda hæc ſtatim ceſſavit labes. Diu hæſit tenaciter, ut ait Jo. Gallus *qu.* 106. donec tandem arreſto quod præter omnem æquitatem receptum hactenus antiquatum. Succeſſit mox conſtitutio qua expreſſe iis interdictum, ne quid in teſtamento, quod ipſi excipiebant, ſibi deinceps adſcriberent. Sed nec hæc ad ſiſtendum inveteratum illud malum viſa ſatis ſufficiens. Expreſſe etiam deinceps cantum, ne caperent, aut immobilia, quomodocunque hæc relicta, aut quæ habentur pro immobilibus, ut ſunt reditus, verbi gratia, ſuper prædiis conſtituti. Siquis reliquiſſet, aut nullum erat quod relictum, aut coacti id rurſum vendere, ne Reſpublica alioquin careret nervo belli adverſus hoſtes prædiorum tributo. Morn. *ad l. 1. C. de ſacroſ. eccleſ.* Stockmans *deciſ.* 73. Sand. *ad conſ. feud. Gelr. tr.* 1. *tit.* 1. *cap.* 1. *n.* 41. Bodin. *lib.* 5. *de Republ. cap.* 2. *verſ. Tandem apud nos.*

TITULUS XIX.

DE

Succeſſione ab inteſtato.

Nec ſuccedunt monachi ab inteſtato, nec ſi proprie loquamur iis ſolet ſuccedi. Ponamus, ſi placet: Ceteris deficientibus fratrum filios relinquit Titius, ex altero tantum unum, ex altero autem duos. Sed horum duorum alter jam ſacris initiatus, & cœnobium ingreſſus. Succedetne cum fratre & patrueli an excludetur? Et haud dubie excludetur. Nec caput facit, nec numerum, nec partem inter conſortes, & nec auget, nec minuit ceterorum portiones, ſed in totum cenſetur mortuus, & perinde ac ſi non exiſteret in rerum natura. Late ita de incapaci & egregie Argentr. *ad conſ. Brit. tit. des ſucceſſ. & partag. art.* 55. *in* IV. *caſ.* Advysb. I. *conſ.* 84. De monachis quod dico, dico etiam de ceteris, qui ut homines ſpirituales non minus quam monachi mundo mortuos ſe jactant, de devotis, aſcetriis, *Kloppen*, *Queſels &c.* Advysb. I. *conſ.* 107. Ubi facta profeſſio, ſtatim cenſentur mortui, & ſuccedunt, qui alioquin revera mortuis ſucceſſuri. Unde & apud Palladium in Lauſiaco eleganter *ſect.* 85. Ζῇς ἢ ἀπέθανες · πιστεύω εἰς τὸν Θεόν μου, ὅτι ἀπέθανον τῷ κόσμῳ, *Viviſne an es mortua? Credo in Deum me eſſe mortuam ſeculo.* Si nondum facta profeſſio, etſi

etſi habitu jam ſuſcepto, nec monachi, nec mundo mortui. Intra tempus probationis deſerere ordinem adhuc poſſunt, *c. conſulti ext. de. Regul. & tranſeunt. ad relig. c. litteras c. dilectus ext. eod. in 5. Compil. Pulſationem* vocabant, dum probantur, an vitæ generi, quod amplexi erant, pares. Locum, ubi id fiebat, vocabant *Pulſatorium.* Sic Pipinus Francorum Rex in Capitulari Ann. DCCLV. *cap.* 171. Carolus Magnus in Capitulari Ann. DCCLXXXIX. *cap.* 71. *& lib.* 1. *Capitul. cap.* 69. *Ut ad monaſteria venientes ſecundum regularem ordinem primo in pulſatorio probentur, & ſic recipiantur. Pulſantes* autem eos qui petebant admitti ſe. Gerardus Abbas de vita S. Adalardi Abbatis Corbejenſis: *In hoc itaque loco pulſans & pulſando admiſſus ſecundum regulam S. Benedicti &c.* Ciron. *ad d. c. litteras.* Baluz. *ad d. cap.* 69. Poſtquam facta profeſſio, nec habent quicquam, nec acquirunt. Nec quicquam ergo in quod poſſit fato functis ſuccedi. Siquid habent de facto, ſiquid quod in peculio contra regulam, quæ id prohibet, ſuccedit monaſterium, *l. ſiquis presbyter* 26. *C. de epiſc. & cler. can. ſtatutum* 18. *qu.* 1. aut alioquin vi ſtatuti aut conſuetudinis etiam Abbas *cap. præſenti ext. de offic. ord. in* 6. Jus *ſpolii* id vulgo vocant: Quod Abbas S. Antonii Viennenſis etiam habet, ut auctor eſt Marcus *deciſ.* 1069. *part.* 1. Jus *ſpolii* idem quod ſuccedendi. A *ſpolio*, quod nihil aliud quam quod detrahitur veſtimentum. Tertull. *de reſurrect. carn. cap.* 7. *Ita quod hodie ſpolium efficitur, ſi detrahatur, hoc fuit indumentum.* Unde & *ſpolia*

R mor-

mortuorum. Cyprian. ad Demetrianum: *Fugientes morientium funera & appetentes ſpolia mortuorum.* Alteſerr. 10. *aſcetic.* 6.

De clericis ſi loquamur proprie ſcilicet ſic dictis, ut propinquis ſuccedunt ipſi, ſic & ipſis propinqui. Propinqui dico non liberi. Nam hos vix eſt ut habeant, cum nuptiæ ipſis ſint interdictæ. Si ſuſcipiant, ſunt ſpurii. Nec ſpurii ipſis ſuccedunt, *auth. licet C. de natur. lib. c. etſi multis ext. de ſucceſſ. ab inteſt. in* 5. *Compil. ub. Ciron.* Propinqui autem ſi non ſint non ſtatim ſuccedit fiſcus, ſed ſubmoto prorſus fiſco ſuccedit eccleſia, *l. un. C. Th. de bon. cleric. ub.* Jac. Gothofr. *in not.* Phot. *Nomoc. tit.* 10. *cap.* 5. Balſam. *conſt. eccleſ. collect. tit.* 3. *n.* 20. Sub mediæ ætatis tempus mobilia & ſupellectilem occupabat interdum fiſcus, interdum plebs diripiebat. Et is vulgi interdum impetus, ut ſimulac quis expiraſſet, retundi vix poſſet. Genus prædationis, quod vulgo vocabant *levas*, à *levare*, id eſt, tollere. Leo Oſtienſis *lib.* 2. *Chron. Caſinenſ. cap.* 97. *Seditiones quas dicunt levas ſeu prædationes, quas hic in Abbatis dormitione fieri ſolere compererat*, Petr. Damianus, qui vixit ſeculo XI. *lib.* 5. *epiſt.* 6. *Plebium conſuetudinem fama vulgante cognovimus ut videlicet ſuo defuncto epiſcopo domum epiſcopi hoſtiliter irrumpentes invadant, facultates ejus prædonum more diripiant, prædiorum domos invadant, vites inſuper & arbuſta beſtiali immaniores feritate ſuccidant: quod nimirum niſi eccleſiaſtici vigoris fuerit cenſura correctum, haud dubium, quin regionibus illis repentini furoris immineat gladius.* Non

ſemel,

ſemel, fateor, quidem vetitum, ſed non magno cum effectu. Vetuit Victor non tantum III. ſed & diu jam ante cum Gregorius Papa V. *Similiter*, inquit, apud Baldericum *Chronic. Cameracenſ. lib. 2. cap.* 111. *Nobis intimatum eſt, quod obeunte epiſcopo, vel ceteris ſacerdotibus prædictæ ſanctæ Cameracenſis eccleſiæ, aliqui diabolico repleti ſpiritu, ſoleant res eccleſiaſticas, quas vel epiſcopus ſive etiam ſacerdotes reliquerint, diripere ac devaſtare. Quibus itidem Apoſtolica cenſura, ne hoc amplius agere præſumant, interdicimus.* Nec Gregorius tamen primus. Jam ante eum etiam vetuit, & ſub pœna anathematis, Concilium Rhemenſe, Clotharii regis tempore, apud Flodoardum *hiſt. Rhemenſ. lib.* 1. *cap.* 6. Vetuit diſerte etiam Urbanus Papa II. Ann. 1091. apud Baluzium 2. *miſcell. p.* 17. Nulla tamen prohibitio, quæ vim habuit ſatis magnam. Repreſſus multo vehementius recruduit ſtatim furor; præſertim cum inter primos, qui conferrent ſe ad rapiendum, eſſent ipſi domeſtici, & qui defuncto ab officiis. Imo & clerici indiſtincte. Vetuit non ſemel Innocentius Papa III. *lib.* 2. *epiſt.* 44. *& lib.* 3. *epiſt.* 42. Vetuit jus Canonicum *can. illud, can. hac hujus, can. de laicis, can. non liceat* 12. *qu.* 2. Codex canonum *vet. eccleſ. Non licere clericis poſt obitum ſui epiſcopi res ad eum pertinentes diripere, ſicut antiquis quoque canonibus conſtitutum.* Add. Boſquet. *ad d. epiſt.* 42. Juret. *ad Ivon. epiſt.* 94. Fridericus II. apud Maderum *antiq. Brunſvic. p.* 160. *Nullus*, inquit, *Officialium aliquid ſibi dicere poteſt juris in rebus epiſcoporum morientium, imo li-*

 berum

berum erit cuilibet epiſcopo morienti diſponere de rebus ſuis mobilibus & dare cui voluerit &c. Toties & tam acriter, cum non multum curaretur, prohibitio repetita. Vetuit etiam Imperator. Sed & tempus quo mutatum prædandi tantum genus, quo quæ direpta olim paſſim tum in fiſcum redacta. Factum ſic cum imperaret Fridericus Barbaroſſa. Sed & id prorſus ſuſtulit Otto IV. Imp. in charta anni incerti apud Gelenium ad Vitam S. Engelberti *lib.* 1. *cap.* 3. *Præterea*, inquit, *conſuetudinem minus decentem, quam Fridericus Imperator contra juſtitiam induxerat, ſcilicet quod decedentibus Principibus, eccleſiaſticis videlicet perſonis, quemadmodum Archiepiſcopis, epiſcopis, Abbatibus, Abbatiſſis, & Præpoſitis, eorum ſupellectilem ſibi violenter uſurpavit, penitus abolemus, nec à nobis, nec à noſtris ſucceſſoribus penitus retractandam.* Et cum rurſum invaluiſſet, rurſum verbis expreſſis ſuſtulit Fridericus II. Ann. CIↃ.CC.XX. Diploma apud eundem eſt *ad Vit. S. Engelb. lib.* 3. *cap.* 9. *Promittentes*, inquit, *deinceps quod nunquam in morte cujuſcunque Principis eccleſiaſtici reliquias ſuas fiſco vendicabimus, inhibentes etiam, ne laicus quiſquam aliquo prætextu ſibi eas vendicet, ſed cedant ſucceſſori, ſi anteceſſor inteſtatus deceſſerit, cujus teſtamentum ſiquid inde fecerit volumus eſſe ratum. Siquis vero contra hanc conſtitutionem reliquias ſibi vendicare præſumpſerit &c. exlex habeatur &c.* Cedant, inquit, ſucceſſori, quæ ſcilicet ab epiſcopo ut epiſcopo acquiſita, quorum clero aut Capitulo, aut ubi clerus non erat, metropolitano aut Oeconomo

cuſtodia olim data, *c. cum. ſuos ext. de offic. & pot. jud. del. can. hac hujus can. non liceat* 12. *qu.* 2. *cap. cum vos ext. de off. & pot. prælat.* Ciron. *ad decret. Honor. cap. ut præterita de conſtit.* Sed nec ſic ſucceſſori idonee adhuc ſatis cautum, quod à Cæſare neglectum majori adhuc impotentia & graſſandi libidine ſtatim Papa occupante. Nec minores de Papa quam de fiſco, de vulgo, de Officialium rapinis, apud omnes querelæ. Theodoricus à Niem ex ſcriba Pontificio primum Verdenſis mox Cameracenſis epiſcopus in *Nemore unionis tr.* 6. quem *Labyrinthum* vocavit, *cap.* 36. *Morientibus*, inquit, *dictis epiſcopis, Abbatibus, & Prælatis, omnia per eos relicta (quæ ſpolia merito appellantur) collectores fructuum Cameræ Apoſtolicæ recolligunt, & in uſus eorum ſeu Cameræ prædictæ convertunt, metentes meſſem, quam non ſeminarunt. Per has deprædationes & rapinas, ultra quam dici poteſt, cathedrales eccleſiæ & monaſteria Italiæ deſtructa ſunt, & pauci in eis, ſcilicet monaſteriis, miniſtri & monachi degunt.* De Bonifacio xx. quem Gobelinus in *Coſmodrom. ætat.* 6. *cap.* 87. *petram ſcandali* appellat, & *lapidem offenſionis*, idem de *ſchiſmate lib.* 2. *cap.* 10. *Hic etiam Argus*, ait, *antiſtes, libros, veſtes, utenſilia, & pecunias ſuorum Curialium & Prælatorum, adhuc quandoque ipſis agonizantibus, per quoſdam officiales ſuæ Curiæ ad hoc deputatos pro ſe recolligi fecit ad inſtar corvi in prædam hiantis.* Add. Meibom. *in opuſc. hiſt. p.* 449. Sic diviſis eccleſiis inter Papam & fiſcum, cum prædis rapiniſque utrimque certaretur, & præter mobilia currentis anni etiam

fructus cogerentur in fiſcum, res eo interdum rediit, ut nec ſucceſſor inveniret quo ſuſtineret dignitatem, nec ex eo, quod reliquum, diſſolvi poſſet æs alienum à defuncto contractum. Guielm. Brito *lib.* 8. *Philippid.*

Nam quotiens Paſtore carens Prælatica ſedes,
Civili letho naturalive vacaſſet,
Protinus eccleſia bona cuncta vacantis ab ipſo
Uſurpata ſuos convertebantur in uſus.

Arnold. Abbas Lubecenſ. *lib.* 3. *Chron. cap.* 17. *Mortuis epiſcopis confiſcantur eccleſiæ, ita ut ablatis omnibus mobilibus & ſtipendiis præſentis anni epiſcopus ſubintrans omnia exinanita & evacuata inveniat.* Add. & *d. libr. cap.* 16. Unde & à quibuſdam pro beneficio hoc cœpit peti, ne fiſcus deinceps immiſceret ſe, ut exemplum apud Meibomium in *opuſcul. hiſt. p.* 446. & alia apud Alteſerr. *de Duc. b. & Comitib. lib.* 1. *cap.* 8. donec tandem paulatim exciſa peſſimà conſuetudine, damnato Paparum ambitu, impotentiæ & avaritiæ nonnihil fræno injecto veterum legum æquitas reſtituta refulſit.

MANUDUCTIO
AD
JUS CANONICUM.

LIBER TERTIUS,
TITULUS I.
DE
Actionibus judiciiſque.

PErſonis dicitur jus, & actionum remedio jus dicitur de rebus. Actionis definitio ut repetatur hic non neceſſe eſt. Nec neceſſe ut diviſio aut ſubdiviſio hic proponatur. Non requirit hoc jus Canonicum, ut cum actio inſtituitur, ſubtiliter admodum inquiratur, quænam actio inſtituatur. Simpliciter tantum rei merita & factum ipſum eſt exponendum *cap. 6. ext. de jud.* Edenda olim in libello actionis ſpecies & nomen, *l. 1. & t. tit. ff. de edend.* Cauſam litis & petitionis ſi exponas jam ſufficit, *cap. ult. ext. de libell. oblat.* Exponas ſcilicet ei, cujus de ea re notio eſt. Notio eſt *cauſas cognoſcendi judicandique poteſtas.* Et hæc vel juriſdictio eſt vel notio in ſpecie, *l. 5. pr. ff. de re jud. l. 99.*

ff. de verb. ſign. Cui nuda tantum notio ſententiam non poteſt exequi, *l.* 15. *pr. ff. de re jud. l.* 8. *C. de epiſc. aud.* Poteſt cui eſt juriſdictio, *l. ult.* §. 1. *ff. de off. ej. c. mand. e. juriſd. l.* 12. *ff. de juriſd. l. un. pr. ff. ſiq. jus dic. n. obt.* Cui autem juriſdictio, aut propria ei aut aliena eſt, *arg. l.* 5. *ff. de juriſd.* Aliena rurſum duplex aut mandata aut prorogata, *d. l.* 5. *l.* 6. *l.* 14. *l.* 18. *ff. eod.* Duaren. *ad l.* 14. *ff. de juriſd. & ad tit. de jud. cap. de for. comp.* Mandata autem paſſim etiam dicitur delegata *t. tit. ff. de off. & pot. jud. del.* Clero olim, & epiſcopis, juriſdictio non fuit, *l.* 8. *C. de epiſc. aud.* Audientia tantum fuit *d. l.* 8. *& t. tit. C. eod. l.* 25. *C. de epiſc. & cler.* Verum temporis progreſſu juriſdictio etiam data, quæ & crevit ſenſim, prout crevit epiſcoporum paulatim faſtus, prout auctæ eorum opes, & provecta in immenſum eorundem ambitio. Unde & duplex tandem forum, ut & duplex judicium, aliud eccleſiaſticum, aliud ſeculare. Balſam. *ad can.* 15. *Carthág. Concil.* Gail 1. *obſ.* 37. *& ſeq.* Covarr. *part.* 2. *de matrim. cap.* 8. §. 12. *n.* 1. & 10. Coſtal. *ad rubr. ff. de ſponſal.* Eccleſiaſticum etiam *ſacrum. Curia Chriſtianitatis* apud Selden. *ad Eadmer. in not. p.* 209. ut & apud d'Achery *to.* 6. *Spicil. p.* 492. *& ſeq.*

Ut repetam porro, quæ traduntur paſſim, non videtur neceſſe. Quis ſit judex, quid judicium, quotuplex, quot ejus partes, & qui judicium conſtituant, ſatis notum, ni fallor. Judex juris diſceptator eſt. Cuj. *par. ff. & C. de jud.* Et eſt vel judex datus, ſeu ut vulgo pedaneus, vel magi-

ſtratus,

ſtratus, vel arbiter. Magiſtratus dat judicem, *l.* 3. *ff. de juriſd.* Etiam à magiſtratu mandatur juriſdictio. *l.* 1. *& t. tit. ff. de off. ej. c. mand. e. juriſd.* Cui autem juriſdictio, is & judicem poteſt dare, *l.* 12. §. 1. *ff. de jud.* Judex datus non poteſt, niſi Princeps eum dedit, *l.* 5. *C. eod.* Fruſtra eris, ſi quæras, an judex datus id poſſit. Nam nec juriſdictionem, nec imperium ullum habet, *arg. l.* 15. *pr. ff. de re jud.* Definit quis judex eſſe, poſtquam dixit ſententiam *l.* 55. *ff. de re jud.* Magiſtratus non item, *l. un. ff. ſiq. jus dic. non obtemp.* De levioribus tantum cauſis judex datus cognoſcit, *l. ult. C. de pedan. jud.* Magiſtatus etiam de iis, quæ majoris momenti *l.* 32. §. 7. *ff. de rec. qu. arb. l.* 1. *& t. tit. ff. de extr. cogn.* Leviores autem, quæ non excedunt trecentos aureos, ut ſic ſtatuit Imperator, *nov.* 15. *cap.* 3. §. 2. Magiſtratus ſententiam, quam tulit, exequi etiam debet. Contra jus exequendi judex datus non habet, *d. l. un. l.* 15. *pr. ff. de re jud.* Mandata alicui juriſdictio an poſſit rurſum mandari, quod attinet ad jus Romanum, dicendum quod non, *l.* 1. §. 1. *ff. de off. ej. c. mand. e. jur.* quod autem ad jus Canonicum, dicendum quod ita, *c. venerabili c. quoniam ext. de off. & pot. jud. del.*

Judicium cauſæ diſceptatio eſt ex parte actoris & rei, coram judice, ut cauſa cognita controverſiam decidat. Cuj. *par. d. tit.* Vel civile eſt, vel criminale, vel privatum vel publicum, vel eccleſiaſticum, vel ſeculare. Et plures aliæ diviſiones ſunt, de quibus Pacius plena manu *Iſagog. C. de jud.* Tres ſunt ejus partes, Litis conteſta-

tio, Cauſæ cognitio, & Sententia. Litis conteſtatio eſt rei ſive cauſæ in judicium deductio per narrationem actoris & contradictionem rei, *l. un. C. de lit. conteſt. c. dudum ext. de elect.* In jus vocatio eſt initium, eſt primordium judicii, ſed non eſt ejuſdem pars, *l. 15. ff. rat. rem hab.* Ex mutuo partium conflictu, cum utrimque cauſæ merita aſſertione panduntur, quod dicebant olim, ex jure manu conſertum, dicitur lis conteſtata, *d. l. un. l. 2. C. ſi per vim vel al. mod.* A. Gell. 20. *noct. Attic.* 9. Ubi nondum conteſtata, nec teſtes evocantur, nec inſtrumenta inſpiciuntur, etſi illud *conteſtari* ſumatur etiam paulo latius. Feſtus: *Conteſtari eſt, cum uterque reus dicit, teſtes eſtote; conteſtari litem dicuntur duo aut plures adverſarii, quod ordinato judicio utraque pars diceret teſtes eſtote.* Horatio id *anteſtari* 1. *Serm.* 10. *in fin.*

—— —— caſu venit obvius illi
Adverſarius: & Quo tu turpiſſime? magna
Exclamat voce: & Licet anteſtari? ego vero
Oppono auriculam.

Certe & illud conſtat, quod ad teſtium receptionem & ante litem conteſtatam interdum procedatur, ut ad rerum geſtarum conſervandam memoriam, & ſi in mora periculum, ſiquis metuat, ne ob mortem, ob ſenectatem, ob abſentiam, ſi abſentia diuturna, fato interim decedant, *l. curent.* 22. *ff. de teſtib. cap. ult. ext. ut lit. non conteſt. non proced. ad teſt. recepc.* item ſi reus contumax, ſi ſui copiam non faciat, *l.* 13. *§.* 2. *C. de jud.* Sed teſtimoniis tum utendum, intra tempus

pus definitum *c. quoniam ext. ut lit. non conteſt.* aut alioquin in judicio neceſſe eſt rurſum audiantur, niſi aut jam in India, aut profecti trans mare, aut jam in fata conceſſerint, *d. c. quoniam cap. ſignificavit ext. de teſtib.* Imb. 1. *Inſt.* 44. *lit.* C. Gail 1. *obſ.* 92. *n.* 5. *&* 1. *obſ.* 94. Ant. Fab. *C. de teſtib. def.* 33. *n.* 19. *& ſeq.* Mynſ. 4. *obſ.* 71. *& ſeq.*

Etiam illud notandum, quod & lis poteſt eſſe, etſi nondum conteſtata. Lis dicitur jam pendens, ut & res litigioſa, ſimulac facta eſt citatio, denunciatio, in jus vocatio, *c. gratum ext. de off. jud. del. cap. ult. ext. ut lit. pend. nih. innov. auth. litigioſa C. de litigioſ.* Sed quod ad rem litigioſam Oldamptini diſtinguunt *tit.* 3. §. 2. *Als in actionibus realibus citatio & in perſonalibus & mixtis litis conteſtatio geſchiet is, ſo iſt res litigioſa.* Hollandi an litigioſa nec ne non attendunt. Æque enim litigioſa ac quævis alia poteſt vendi, ſublata *l. ult. C. de litig.* ſed ſalvo jure tertii. Grot. 3. *man.* 14. *n.* 21. Zypæ *not. jur. Belg. tit. de litigioſ.* Chriſtin. 4. *deciſ.* 175. *n.* 10. *&* 6. *deciſ.* 96. Groenew. *ad tit.* C. *de litigioſ.*

Sententia eſt judicis pronuntiatio, ſecundum quam vult litigatores à controverſia diſcedere, *l.* 19. §. 1. *ff. de rec. qu. arb.* Fertur poſtquam adhibita plena cauſæ cognitio, accurate excuſſis omnibus, quæ in judicium deducta, *l.* 13. *in fin. ff. de recept. qu. arb. c. judicantem* 30. *qu.* 5. *c. adferte ext. de præſumpt.* Et id litem diſcingere *l.* 2. *C. de offic. Rect. prov.* cauſam *l.* 2. *C. Quor. app. non recip.* & jurgium *l.* 4. *C. fin. reg.* cauſam,

quæ

quæ alioquin perplexa, & intricata, & velut nodis quibuſdam cincta. Symmach. 10. *epiſt.* 32. *Et ideo motus ambiguis oraculo numinis veſtri diſcingenda cuncta ſervavi.* Recte autem ut id fiat, faciendum ſecundum leges, edicta Principum, ut & canones, ubicunque hi recepti, *l.* 13. *C. de ſent. & interl. pr. Inſt. de off. jud.* Judex certe, ſi recte utatur his, meliorem facit virum, quam faciunt Franciſcani, Fratres Prædicatores, aut alii Religioſi, ut dicit Hoſtienſis in *proœm. Summæ ſuæ in* 4. *coll.* & ex eo referunt Jaſ. *ad l.* 1. *pr. in* 4. *coll. n.* 8. *ff. de j. & j.* Chriſt. *ad leg. Mechl. tit.* 1. *art.* 2. *n.* 2.

Judicii porro partes ut inprimis ſunt tres, ſic tres ſunt, qui inprimis judicium conſtituunt, judex, actor, & reus. Agere poſſunt omnes, qui expreſſe non prohibentur. Nec hactenus jus Canonicum à civili multum differt, excepto quod & eos, qui non ſunt cives Romani, ad agendum admittat, minores etiam indiſtincte in cauſis matrimonialibus & in reliquis ſpiritualibus, etſi eis non adeſt curatoris auctoritas, *c. ex parte ext. de reſtit. ſpoliat. c.* 3. *ext. de jud. in* 6. Jus civile nec peregrinos, nec minores annis xxv. ſi non adſit curator, *l.* 2. *C. Qu. leg. perſ. ſtand. in jud. l. pen. C. ſi. adv. rem jud. l.* 1. §. 1. *&* 2. *ff. de adm. & per. tut. l.* 4. *C. de auct. præſt.* Ziegler. *ad d. c. ex parte.* In ſuis nimirum cauſis *d. l.* 4. *d. l.* 1. §. 1. *&* 2. In alienis admittit majores annis xvii. *l.* 1. §. 3. *ff. de poſtul.* §. *ult. Inſt. Qu. & ex qu. cauſ. man. n. poſſ.* Major annis xvii. poteſt jure Canonico procurator eſſe ad negotia. Ad lites non poteſt, niſi

major

major annis xxv. *c. qui generaliter ext. de procur. in* 6. Ciron. *par eod.* Poſſeſſorium judicium ut cumuletur cum petitorio jus Canonicum permittit, *c. cum ad ſedem ext. de reſtit. ſpoliat.* Jus civile non item, *l.* 9. *pr. ff. de except. rei jud. l.* 37. *ff. de jud. l.* 10. *C. eod. l.* 1. *C. de appell. l.* 7. *C. ad l. Jul. de vi publ.* Requirit jus civile, ut actor libello exprimat actionis ſpeciem & nomen, *l.* 1. *& t. tit. ff. & C. de edend.* Jus Canonicum non requirit. Sufficit ſi actor judici petendi cauſam exponat, *cap.* 1. *ext. de dol. & contumac. cap. ult. ext. de libell. oblat. cap. dilecti c. examinata ext. h. tit.* Nam & judex nihilominus debet cuncta diſcutere, quantum poteſt accurate, præbita & objiciendi & reſpondendi licentia *can. judicantem* 30. *qu.* 5. *c. prout ext. de dol. & contum.* Ciron. *par. de jud.* Jus civile non vult, ut ex delicto defuncti heres ultra teneatur quam ad eum pervenit, *l.* 5. *ff. de calumn. l.* 16. §. 2. *ff. qu. met. cauſ.* Jus Canonicum contra, ut pro parte hereditaria & cum effectu teneatur, *cap.* 3. *ext. de rapt. cap. ult. ext. de ſepult.* ut exoneretur ſcilicet hac ratione conſcientia defuncti, & liberetur is tanto citius à pœnis purgatorii. Ant. Gomez. *lib.* 3. *reſol.* 1. *n.* 85. Bachov. *de action. diſp.* 5. *th.* 4. *in fin.* Ziegler. *ad can. redintegranda* 3. *qu.* 1. *cap.* 8. *n.* 5.

De poſſeſſorio; quod dixi, quod poteſt poſſeſſorium cum pætitorio conjungi, nihil certius, ſed exceptio in interdicto unde vi. Si vis interceſſit, ſi per vim quis dejectus, ante omnia ſpoliato reſtituenda poſſeſſio, confeſtim ſcilicet, & priuſquam tractetur cauſa proprietatis, *can. epi-*

ſcopis

ſcopis can. epiſcopi c. redintegranda 3. *qu.* 1. *l.* 8. *C. und. vi cap. conquerente, c. gravis ext. de reſtit. ſpoliat.* Ivo *epiſt.* 172. *Unde etiam dicebat prius ſe eſſe reveſtiendum, antequam tranſierit ad actionem aliarum.* S. Bernard. *epiſt.* 45. *Idem epiſcopus per manum omnium religioſorum ſe ad juſtitiam offert: ſi tamen prius (quod quidem eadem ipſa juſtitia videtur exigere) res ei ſua ablata reſtituantur.* Poſſeſſorium dicitur, in quo quæritur de rei poſſeſſione, *cap.* 1. *ext. de cauſ. poſſ.* Vulgo hæc momentanea, momentum, cauſa momenti, *d. cap. l. un. C. ſi de moment. poſſ.* non à temporis brevitate, ac ſi brevi tantum ſpatio coarctetur poſſeſſio, ſed quia quantum poteſt fieri celeriter, & ſine mora, πρὸς ῥοπὴν, ut in Baſilicis eſt, debet cauſa cognoſci *l.* 8. *C. und. vi*, ne proſiliant ad arma, quos poteſt juriſdictone ſua magiſtratus compeſcere, *l.* 13. §. 3. *ff. de uſufr.* Edictum Regis Theodorici §. 6. *Illi res occupata per violentiam intra annum momenti jure ſalva proprietatis cauſa reddatur.* Theodoricus Rex apud Goldaſt. *to.* 3. *conſt. imp. cap.* 103. *Si momenti tempora ſuffragantur, occupata nuper cum omnibus, quæ direpta ſunt, ſupplicanti faciatis ſine aliqua dilatione reſtitui.* Idem *ibid. cap.* 108. *eam juſtitiæ conſideratione momenti jure reſtituite ſupplicanti.* Athalaricus Rex apud Caſſiodor. 8. *var. cap.* 23. *Momenti jure ſi competunt primitus reddantur invaſa.* Et hinc eſt, quod in cauſa hac appellatio non habet locum, *d. l. un. C. ſi. de moment. poſſ.* Celeris enim reformatio *l.* 14. *C. de agric. & cenſ.* Symmach. *lib.* 10. *epiſt.* 41. *In cauſis etenim, quibus mo-*

momenti reformatio poſtulatur appellationes recipi non oportet. Ciron. *par. d. tit. d. cauſ. poſſ.*

TITULUS II.

DE

Foro Competenti.

Forum proprie dicitur locus, in quo judicio contenditur. Feſt. *in Forum.* Locus judiciorum. Quintil. *declam.* 274. Locus ubi cauſæ, ubi lites diſceptantur. Curia etiam vulgo. Eſt vel competens vel incompetens. Competens tantum id, ubi agere quiſque & conveniri poteſt *rubr. & t. tit. ff. de judic.* Quod ad forum eccleſiaſticum olim plane id incertum, ut quod totum dependebat fere ex arbitrio tantum partium. Eundem primum quem laici etiam clerici habebant judicem, *l.* 33. *C. de epiſc. & cler.* ſed ſi ita videretur, & ſi ipſi ita mallent, poterant qualibet litis parte ad epiſcopum rurſum rejici ut is non aliter quam ut arbiter aditus ex compromiſſo inter eos cognoſceret, *l.* 7. *l.* 8. *C. de epiſc. aud.* Quod & factum in eccleſia, in ejus ambitu, porticu, ut in foro olim apud ethnicos, aut Baſilica, quæ extructa ibi ob multitudinis concurſum, ob turbam, tumultumque, ut de Portia baſilica, ubi εἰώθασι οἱ δήμαρχοι audientiam dare, ut Plutarchus ait in Catone Uticenſi. Julii Papæ codicilli: *Nullus in publico cauſam agat, niſi in eccleſia.* Sic abuſi eccleſiis. Non aliter dico quam ut arbi-

arbiter. Nam nec magis ab eo quam ab arbitro appellatum, *d. l.* 8. *l.* 1. *C. de recept. arbit.* Regino *lib.* 2. *de eccleſ. diſcipl. cap.* 117. Et quod dico *ad epiſcopum*, ad quem epiſcopum ſiquis quærat, id puto arbitrarium, & ſimiliter pependiſſe ex arbitrio tantum partium, *d. l.* 7. *d. l.* 8. Eligere ipſis licuit & compromittere in quem vellent. Nam niſi ex compromiſſo judicium ſuſcipi ab epiſcopis inter partes non potuit *nov. Valent.* 12. Mox poſtquam & epiſcopis juriſdictio conceſſa cœpit ita diſtingui. Aut agit clericus contra clericum, aut agit clericus contra laicum, aut agit laicus contra clericum. Cum clericus contra clericum, neceſſe eſt eum conveniat apud proprium epiſcopum, *cap. ſiquis ext. de for. comp.* Proprius autem is, cui reus ſubjectus, in cujus habitat diœceſi, juxta tritam illam regulam: *Actor ſequitur forum rei, l.* 2. *C. de juriſd.* Cum clericus contra laicum ad judicem ſecularem, cum laicus contra clericum, ad judicem eccleſiaſticum, ubi is habet forum, neceſſe in jus eum vocet *d. l.* 2. *e. clericum, c. pervenit* 11. *qu.* 1. *nov.* 83. *l.* 29. *pr. C. de epiſc. aud.* Ad ſecularem non aliter, quam ſi eccleſiaſticus aut judicium detrectet, aut expreſſe id permittat, aut fori reus præſcriptioni renuntiet, ut Imperator vult, *nov.* 123. *cap.* 21. *l.* 51. *C. de epiſc. & cler. l. pen. C. de pact.* * Phot. *Nomocan. ſupplem. pr.* Ziegler. *lib.* 3. *de epiſcop. cap.*

* Concilium Rhemenſe ann. DCXXX. *can.* 18. *ut clerici cujuſlibet conditionis neque pro propriis neque pro eccleſiaſticis cauſis aliter adire debeant forum, nec cauſas dicere audeant, niſi quas cum permiſſu & conſilio epiſcopi agere eis fuerit omnino permiſſum.*

cap. 30. *n.* 88. Sed renuntiandi poteſtatem ei Pontifex abſtulit, *c. ſi diligenti c. ſignificaſti ext. de for. comp. c. ſignificaverunt ext. de jud. in* 5. *Compil. & ib. Ciron.* cum quod pactis juri publico derogari non poſſit, *l.* 38. *ff. de pact. l.* 27. *l.* 45. §. 1. *ff. de reg. jur.* tum quod Canones eos puniant, qui adeunt judicem ſecularem, & puniant, ac ſi, dum eum adeunt, ſentirent non ſatis recte de tota eccleſia, *can. nullus* 11. *qu.* 1.

Quam autem imbelles hæ oſtendit Cujac. *ad l. ſi convenerit* 18. *ff. de juriſd.* Non uni tantum id ajunt datum, ſed ordini univerſo, ut Honorius ait Papa Tertius in *cap. pen. ext. de jud. & in* 5. *Compil.* Sed fiat *ordini univerſo.* An idcirco, ſi renunciet quis, vergit id in detrimentum totius eccleſiæ, ut perperam vult Cironius *parat. ext. de pact*? Senatuſconſultum Vellejanum an non prodiit, an non conditum, in gratiam totius ſexus? Et mulier an propterea non poteſt renunciare ei? Et ſi renunciet, an toti ſexui, an quid ceteris hinc detrimenti? Quod Princeps legibus eſt ſolutus. *l.* 31. *ff. de legib. l.* 23. *ff. de leg.* 3. an non Regiæ dignitati & eminentiæ id conceſſum. Et quamvis Regiæ dignitati, an id impedit, quo minus Princeps ultro iis ſe ſubjiciat, ut fecit in *l.* 4. *C. de legib. l.* 4. *C. ad l. Falc.* §. *ult. Inſt. Q. mod. teſt. infirm*? An ullum hinc aut ceteris aut ſucceſſori præjudicium? Verum Papa id non curat, an imbelles, nec ne. Ut ſiſtat ſe, qui de clero, coram judice ſeculari, prorſus Papa non vult, *d. c. ſi diligenti cap.* 1. *& ſeqq. ext. de poſtul.* Strauch. 2. *amœn. cap. ult.* Caſus tamen excepti-

ſunt, ut verbi gratia ſi ſit quæſtio de feudo ſeculari, quia, ut notat Gloſſa, res naturam potius à feudi domino quam à perſona vaſalli accipit *cap. ſolita ext. de major. & obed.* ſi reconventio inſtituatur *can.* 1. *c.* 3. *qu.* 8. & ex cauſa delicti, in quo hæſit clericus pertinaciter, & pœna eccleſiæ non ſufficit, *cap. cum non ab homine ext. de jud. can. licuit* 17. *diſt.*

Alioquin, quod jam dixi, quod, cum laicus convenitur, ad judicem ſecularem tantum ſpectat cognitio, nec id ſemper procedit. Nemo dubitat, quin procedat id, ſi ſit cauſa ſecularis. Sed ſi mere eccleſiaſtica, ut ſi ſit quæſtio de nuptiis, an ſubſiſtant nec ne, ſi de fide Catholica, de privilegiis, de decimis, de ſtatutis, de bonis, de prædiis eccleſiaſticis, ad eccleſiaſticum tantum ſpectat, *l.* 29. §. 4. *C. de epiſc. aud.* Et ſeu eorum proprietas, ſeu poſſeſſio, ſeu ſervitus trahatur in controverſiam, ejuſdem cognitio eſt. *d. l. can. experientiæ* 11. *qu.* 1. *c. ſi clericus ext. de for. comp.* Ivo *epiſt.* 241. *Quod autem ante judicem ſecularem cauſam eccleſiaſticam tractare non debeatis ex canonibus & decretis pleniter invenietis.* Si mixta locus eſt præventioni. *Placcaet van Keyſer Karel Ann.* 1539. 28. *Auguſt. Sullen insgelijcks die ſelve van de Geeſtelicheyt hebben kenniſſe van alle andere ſaecken tuſſchen Prieſteren ende Geeſtelijcke perſonen, mitſgaders oock by preventie van ſaken weſende mixti fori, ſo van rechts wegen behoort, of van outs gewoonlyck is te geſchieden.* Add. Mornac. *ad l.* 8. *C. de epiſc. aud.* Rittersh. *ad Nov. part.* 1. *cap.* 7. *n.* 30. Alteſerr. *lib.* 2. *diſſ. cap.* 2

Sed

Sed quod de bonis dixi, de prædiis, in Gallia non ſervatur, ut nec olim in Anglia, *cap. 6. ext. de for. comp. cap. 7. ext. qu. fil. ſint legit. cap. pen. ext. de ord. cogn.* Molin. *ad d. cap. 5. ext. de jud.* Temporalia hæc cenſentur, de quibus judex ſecularis & non alius cognoſcit. In dœceſi quid obſervatum, ex Caroli V. edicto, cujus memini, ſatis patet: *Sullen mede die voerſz. Geeſtelicheyt ofte hoire Gecommitteerde ter inſtantie van de Geeſtelijke perſonen ende plaetſen hebben de judicature voir hoire Conſiſtorie van alle ſaecken beroerende de Kercke ofte Cloosteren, oft andere Geeſtelijcke plaetſen, verkregen goeden voor de tranſlatie van de temporaliteyt van Utrecht, tegen alle weerlijcke perſonen binnen den Lande van Utrecht, buyten beſloten Steden geſeten, ende oock binnen beſloten Steden, na ouder gewoonte ende hercomen, ſo wel aengaende den eygendom van deſelve goeden, ende die laſten daer op ſtaende, als 't gebruyck van dien mit datter aen kleeft &c.*

Olim judices eccleſiaſtici in cauſa etiam ſeculari & inter laicos judicabant, & ſic juriſdictionem extendebant in infinitum *c. cum cauſam ext. de ſent. & re jud. in 5. Compil.* Nec declinabant eam partes ob proceſſus brevitatem, deciſa ſtatim cauſa ſine multo circuitu. Pauciores ſic ſumptus. Nec executio nimis tarda. Condemnatus ſi contumax mox excommunicatus. Nec atrocius tum quicquam. Qui excommunicatus, quamdiu non abſolutus, excluſus piorum numero. Excluſus omni conſortio. commerciis, colloquiis. Ad magiſtratum, ad honores, ad mu-

Irrita declarata ſtatuta id prohibentia *d. c. cum cauſam.*

nus publicum non admiſſus. Et quid dico ad munus publicum? Nec ad nuptias admiſſus, nec ad reliqua ſacramenta. Privandus etiam ſepultura, & velut traditus Sathanæ detrudendus in infernum. Nec ſolo fulmine hoc contenti, ne debito interim actor fraudaretur diutius, procedebant etiam ita: Citabat primum Officialis. Poſt octiduum monebat. Poſt aliud rurſum octiduum diris reum devovebat. Si id contumax non curaret, nec intra ſex ſeptimanas, quod erat juſſus, præſtaret, actor Curiam Provincialem, firmaturus intentionem juramento, adibat. Præſtito juramento Curia ſtatim executioni intentionem mandabat. Sic in Caroli V. edicto adhuc inedito Ann. 1533. *Want die citatie gedaen ſijnde die monitie acht dagen daer na geſchien ſal, ende acht dagen daer na excommunicatie, ſonder voor den Officiael vorder te procederen, maar gebeurdet dat die geexcommuniceerde ſes weken daer na ſonder te betalen in der excommunicatie bleve, ſal d'eyſcher dan mitter ſelver excommunicatie mogen comen aen die van onſen Rade t'Utrecht, ende ſijnen eyſch aldair ſtercken by eede, partye by den Curſoir daer toe geroepen, ende alſdan ſal hem verleent worden een expandatie, by den welcken een Pander geauctoriſeert worde, dien geſterckten eyſch by eede t'executeren mette coſten.* Moris etiam Ultrajecti, ut non quavis tantum de cauſa judex eccleſiaſticus inter cives cognoſceret, ſed reo etiam permitteretur, ſi vel decem florenos Bavaros excederet ſumma, de qua quæſtio, libellum petere ab Officiali, & deferre ad magiſtratum. Quo accepto magi-

magiſtratus cauſam dabat decidendam libellorum magiſtris. Neceſſe his ut deciderent intra ſex ſeptimanas. Non deciſa tum ſtatim ad Officialem remiſſa. A quo qui condemnatus, ſi non ſolveret quod debebat, anathema in eum jactum. Vid. *libr. de jur. glad. cap.* 31. *n.* 8.

Verum miſſa jam Ultrajecto notandum porro & illud, quod apud judices eccleſiaſticos ſortitur quis forum & domicilii, & beneficii, & delicti ratione *cap.* 1. *ext. de offic. jud. ord. c. poſtulaſti c. dilecti c. ult. ext. de for. comp. cap.* 40. *ext. de off. jud. del. cap. Romana* §. *contrahentes ext. de for. comp. in* 6. *& cap.* 1. *ext. de privil. in* 6. Quod ad locum contractus; Canoniſtæ eum non attendunt, niſi reus aut reperiatur ibi, aut habeat ibi immobilia, in quorum poſſeſſionem, ſi contumax deprehendatur, etiam miſſio poteſt fieri, *d.* §. *contrahentes.* Et tum locus contractus non tantum ubi contractum, verum etiam ubi reus promiſit ſe ſoluturum. *l.* 21. *ff. de obl. & act. d. cap* 40. Poteſt clericus ut quivis alius & contractum inire, & conveniri ex contractu, & ſi loco legitimo, & idoneo conveniatur, conveniri cum effectu *cap. Odoardus ext. de ſolut.* Ita tamen cum effectu, ut ſi conſtet, quod egeſtate & inopia laborat, non cogatur, ut cedat bonis, *can. diaconi diſt.* 93. exemplo nimirum militis. *l.* 6. *pr. l.* 18. *ff. de re jud.* Nam & clericus cenſetur miles, adverſus Principes hujus mundi, adverſus diabolum, & ejus aſſeclas pugnans. Auguſtin. *epiſt.* 70. *ad Bonifacium Comitem*, *In ſilentio*, inquit, *pugnant milites Chriſti, non ut occidant homines,*

ſtà ut expugnent Principes & poteſtates, ut ſpiritalia nequitiæ, id eſt, diabolum & angelos ejus, & epiſt. 38. ad Lætum, Jeſus Chriſtus, cum ſit rex noſter reges appellat milites ſuos. Quapropter nec ipſe eſt, ne cogatur in opprobrium totius ordinis ad mendicandum, ultra quam in id quod poteſt facere condemnandus, *d. can.* Ciron. *par. ff. de ſolut.*

Quod ad locum delicti; ubi quis convenitur, ibi etiam judicandus, nec ut ad propriam diœceſin aut provinciam devolvatur res præſcriptio fori poteſt objici. Quod ad locum domicilii, domicilium non tantum illud eſt, ubi rerum quis ac fortunarum ſuarum ſummam conſtituit *l. 7. C. de incol.* verum etiam urbs Roma, quæ ut communis hominum olim patria *l. 33. ff. ad municip.* ſic omnium eccleſiarum jam ſuprema metropolis *cap. ult. ext. de for. comp.* Unde & Romæ quis conveniri poteſt, etſi ibi nec contraxit, nec promiſit, nec deliquit *d. cap.* Ciron. *parat. d. t.*

TITULUS III.

D E

De delictis clericorum, & ubi de criminibus agi oporteat.

Clericorum delicta ſunt vel gravia, vel levia, vel privata, vel publica, vel propria ipſorum, vel communia. Sed quæcunque tandem ſint,

ſiat, ſiquid leve & non atrox, ſiquid quod lædit mores, quod lædit fidem Chriſtianam, quod eccleſiaſticam diſciplinam, ad judicem eccleſiaſticum cognitio de eo ſpectat, *nov.* 83. *cap.* 1. Ivo eleganter *epiſt.* 101. *Audivi quod à Rodulfo archipresbytero noſtro bannum leugæ requiritis propter quendam pſeudomonachum, cujus reculas ſaiſivit &c. Unde rogamus excellentiam veſtram, ut hanc nobis non inferatis injuriam. Omnes enim pſeudo prædicatores, & pſeudomonachi, & pſeudoclerici, fornicatores, adulteri, fœneratores, & alii, qui in Chriſtianiſmo offendunt, exceptis his, qui pœna capitali puniendi ſunt, à nobis diſtingendi & corrigendi ſunt, & ipſi & eorum res noſtri ſunt juris. Et hæc eſt antiqua & inconcuſſa conſuetudo &c.* Add. *Cod. can. eccleſ. Afric. cap.* 15. Auguſt. *lib.* 2. *contr. Parmenian. & lib.* 3. *contr. Petilian. cap.* 4. Si delictum commune, ſi non leve id, ſed atrox, ſiquid quod exilium, quod ſanguinis pœnam ingerit, magiſtratus cognoſcit, *c. cum non ab homine ext. de jud. l.* 23. *C. Th. de epiſc. & cler. & l.* 31. *C. Th. de Religioſ.* excepto quod ſi clerici primi ordinis, ut epiſcopi, committant crimen, etſi atrox, epiſcopi aliquot extra ordinem, expreſſe ad id delecti, de eodem cognoſcant. Petr. de Marca *ad c. clericus* 3. *qu.* 4. Quod ſi quæſtio eſt de hæreſi, non tantum magiſtratus, ſed & judex eccleſiaſticus, qui & reum condemnat, & cauſa cognita condemnatum, ſi ſanguinis pœna irroganda, rurſum ad magiſtratum, ſummo ab eo ſupplicio afficiendum remittit, *cap. novimus ext. de verb. ſign. cap. ad falſariorum cap. cum non ext.*

de jud. cap. excommunicamus §. 1. *ext. de haeret.* Et ſic ſe habet res cum quibuſvis. Laicus ſit an clericus cum quo agitur nihil refert. Clericus tantum degradatur prius, *nov.* 83. *pr. in fin. nov.* 123. *cap.* 21. §. 1. non ſine expenſis, quæ tum fiunt, & ſolenni quodam ritu. Etſi nec degradatio, ſi ſit crimen atrocius, pœnam multum moratur. Ea enim & neglecta reos capite tum punitos obſervarunt Choppinus *de ſacr. polit. lib.* 2. *tit.* 3. & Ant. Mornacius *ad auth. clericus C. de epiſc. & cler. cap.* 10. *ext. de judic. cap.* 27. *ext. de verb. ſign.* Claud. Eſpenc. *lib.* 2. *digreſſ. c.* 7. Ziegl. *lib.* 3. *de epiſc. cap.* 30. *n.* 113. Si præcedat, condemnatus mox *Curiæ* dicitur tradi, *c. ſiquis ſacerdotum* 11. *qu.* 1. id eſt, *judici ſeculari*, commonito tamen prius, etſi perquam ridicule, ut clementer cum reo agat. Petr. de Marca *d. tr. n.* 12. *& n. pen. & ult.* Putant ſatis ſuperque ſic canonibns ſatisfactum. Ex quibus Balſamo ad *Phot. Nomoc. tit.* 9. *cap.* 25. *Scio*, inquit, μηδένα κανόνα ἐπιτρέψαι ποτε τιμωρίαν, ὅτι μὴ ἢ οἶδεν ὁ ἐκκλησιαστικὸς νόμος σωματικὰς ποινὰς, ἀλλ᾽ ὁ πολιτικὸς, *nullum unquam canonem ſupplicium permiſiſſe, non enim eccleſiaſtica lex, ſed civilis, corporales pœnas novit.* Et mox: *excidere è Chriſtianorum corpore hæreticos docti ſumus, ſupplicio autem ipſos afficere non didicimus.* Et ita tum Photius. Verum didicit dein clerus, & quidem grandi multorum malo, quod nondum tum edoctus, quæſtionum & tormentorum, etſi jactet clementiam, paulatim auctor præcipuus. Recte id autem clero applices, quod Ammianus egregie, *lib.* 39. *hiſt.* *Nulla*

Nulla eſt crudelior ſententia ea, quæ eſt, cum parcere videtur, aſperior. De exemplis non laboratur. Exempla extant paſſim. Quid acciderit Johanni Huſs, quid Hieronymo van Praga, cuivis ni fallor notum. Quid ſimiliter impoſtori, qui epiſcopum ſe mentitus. De quo Magnum Chronicon Belgicum *ad Ann.* 1392. Joan. à Leydis *lib.* 31. *hiſt. cap.* 43. Horrent clerici ſcilicet ſanguinem. Nec ſupplicio intereſſe, nec armis uti iis licet, *clem. diœceſanis ext. de vit. & hon. cleric. c. ſententiam extr. ne cler. vel monach.* Privilegium clericale, ſi armati, amittunt, *dd. capp. c. clerici ext. de vit. & hon. cleric.* Karlomanni Capitulare Ann. DCXCII. *cap.* 2. *Servis Dei per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum & in hoſtem pergere omnino prohibuimus, niſi illis tantummodo, qui propter divinum miniſterium, miſſarum ſcilicet ſolemnia adimplenda, & ſanctorum patrocinia portanda, ad hoc electi ſunt.* Guilielm. Brito *lib.* 3. *Philipp. verſ.* 606.

Perſona primi multa pluresque ſecundi,
Ordinis, & cleri quamplurima turba minoris,
Arma quibus tractare negat lex eccleſialis.

Orationes & lachrymæ dicuntur ipſorum arma, *can. convenior* 23. *qu.* 8. non cultri, aut gladii, non graphia aut ſtyli ferrei, quibus crebro confoſſi martyres, confoſſus Q. Attilius, lictor Conſulis, ut Plutarchus in Gracchis tradit. Concilium Ilerdenſe quod habitum Ann. 1219. *In eccleſiis, civitatibus, villis, vel Aldeis clerici cultellos acutos portare non præſumant.* Arnulfus Lexovienſis epiſt. ad Alexandrum Papam: *Ac niſi de*

cultellis eorum pugionem provida ſuſtuliſſet antiquitas, ſæpius uſque ad alternas etiam mortes intemperantia deſæviſſet, Ciròn. *ad cap. canonica ext. de ſentent. excomm. in* 5. *Compil.* Et ipſi tamen ſunt, qui in reos inquirunt, qui ſuſpectos perſequuntur, qui & torquent & condemnant, & qui ſumpto ſupplicio, ut egregie re geſta, cum judicibus, quod olim moris, & bibunt ſtrenue & epulantur. Hooſt. *lib.* 13. *hiſt. edit. Ann.* 1642. *p.* 511. Ad fundendum etiam hoſtilem ſanguinem, ad prælium, ad pugnam, paſſim mirum in modum prompti. Ad canones non attendunt. Spreti canones & abjecti, & miro quodam artificio eluſa ſemper ipſorum vis. Belvacenſis epiſcopus, ne ſanguinem ſcilicet funderet, clava uſus non gladio. Idem *lib.* 11. *Philippid.*

Sic plerosque alios clava ſternebat eadem,
Militibus ſuper hoc titulum palmamque reſignans,
Accuſaretur operam ne forte Sacerdos
Geſſiſſe illicitam, cui nunquam talibus inter
Eſſe licet, ne cæde manus occuloſque prophanet.

Sic perinde ac ſi clava non eſſet clero interdictum, nec clava eſſet teli ſpecies, eadem etiam uſus Archiepiſcopus Moguntinus. Albertus Abbas Stadenſis *ad Ann.* 1172. *Per Lombardiam & Tuſciam omnia depopulatus Bononienſes invaſit, & in equo reſidens, indutus thorace, & deſuper tunica hyacinthina, habens in capite galeam deauratam, & in manibus clavam trinodem, ipſe in eodem prælio dicitur ſtraviſſe novem homines propria manu.*

Mira-

Miratur Æneas Sylvius, qui poſtea Pius Papa II. & utcunque diſſimulat, *lib. 2. comm. Induunt*, inquit, *loricas, & thoraces, & galeas, epiſcopi Germaniæ, & pro neceſſitate eccleſiarum aliquando tanquam reges bella gerunt, interſuntque præliis, an id deceat non aſſerimus. Theodoricus Colonienſis eccleſiæ antiſtes priuſquam poſſeſſionem eccleſiæ adipiſci poſſet, decies centena millia auri nummum in bellis abſumpſit.* De Gallis miratur idem ſed acerbius perſtringit Cardinalis Baronius ad Ann. DCCCXXXVIII. *n.* 2. Græci etiam de Latinis, & prorſus rem execrantur apud Coteler. 3. *monum. eccleſ. Gr. p.* 500. Certe illud ipſum eſt, ob quod ejectus Pontificatu Joannes Papa VIII. Objectum ipſi inter cetera, quod venationem exercuiſſet, quod in publicum prodiſſet enſe, galea, & lorica accinctus; & objectum in Synodo, præſidente Othone Magno, ut eſt apud Liutprandum *lib. 6. hiſt. cap.* 7.

TITULUS IV.

DE

An laici ex cauſâ criminis apud judicem eccleſiaſticum etiam poſſint conveniri.

Quod dixi autem habet locum & in clericis & in laicis. Etiam inter laicos, ſi ſit crimen, quod ſpectat fidem & religionem Catholicam, ut hæreſis, Simonia, cum quis dedit quid aut promiſit pro beneficiis eccleſiaſticis, cognoſcit

ſcit judex eccleſiaſticus, & ad Curiam ſecularem condemnatum remittit, *l. 1. C. de ſumm. trin: cap. 9. extr. de hæret. cap. 26. ext. de Simon. cap. un. extr. ut eccleſ. benef. ſin. dem. conſ.* Petr. de Marca *ad c. clericus 3. qu. 4.* Quo ſenſu accipiendum, quod Th. Cantipratanus habet *lib. 2. apum cap. 57. Erat circa Cameracum civitatem quidam hæreticus aſtutus valde, qui metuens inquiri & comburi à Fratribus Prædicatoribus, qui in dicta civitate plurimos comburebant, finxit ſe arreptum à dæmone &c.* Add. Petr. Pithæ. *lib. 2. collect. libert. eccleſ. Gallic. cap. 31. & 33.* Per magiſtratus ſcilicet comburebant. De cauſa ipſi cognoſcebant. Subjiciebant torturæ, truncabant, mutilabant. Magiſtratus ipſis ut miniſter, ut inſtrumentum ſævitiæ. Atque ita adhuc hodie. Et torquent ipſi & condemnant, petunt tamen, ſed ridicule, ne acerbius magiſtratus poteſtatem exerceat, ne occidat, ne jugulet. Vid. Gabr. d'Emiliane in epiſtolis nuper editis *lib. 1. epiſt. 2. p. 83. & ſeqq.* Hooft *lib. 1. hiſt.* Verba alioquin uſitata hæc, quæ in ſententiis eorum paſſim: *& cum eccleſia ultra non habeat quid faciat pro veſtris demeritis contra vos, ideo in his & cum his ſcriptis vos relinquimus brachio & Curiæ ſeculari.* Vid. *libr. ſentent. Cur. Tholoſ. p. 90. & ſeq.* Et utut forſan aut petant aut oſtentent clementiam, *Pergula pictorum hic, veri nihil, omnia ficta.* Novit mentem magiſtratus. Si aut levius quem puniret, aut impunitum dimitteret, & ipſe ut fautor hæreticorum hæreſeos eſſet reus. En autem proterviam & ſummam animi impotentiam! Non attendentes ad illud vetus,

Turpe

Turpe eſt Doctori, cum culpa redarguit ipſum, quod crimen vocant, committunt ipſi. Hæreſin dum perſequuntur, dum atrociter eam plectunt, ipſi citra controverſiam hæretici peſſimi. Et quæſo an non peſſimi? qui exempli cauſa dum in laicis Simoniam non ferunt Simoniaci maximi. Vendunt epiſcopatus, Abbatias, altaria, miſſas etiam pro animis, quæ torquentur in purgatorio, ut & alias quaſcunque, quævis item officia, quorum uſus in ſacris. Et quid dico officia? Peccata etiam condonant accepta pecunia, tribuunt indulgentias & à culpa & à pœna. Nihil eſt, quod non impetres, modo pretio ſatisfiat. Auctor libri de *caſtro Ambaſiæ* apud d'Achery *to.* 10. *Spicileg. cap.* 5. *n.* 14. *Nunc vero lues Simoniæ adeo inolevit, quod in ſancta eccleſia, proh dolor! aliquis licet bonis moribus ornatus, aut vix aut nullatenus quicquam poteſt adipiſci, niſi regina pecunia intervenerit.* Papæ ipſi an non præeunt? An non ſummi hæretici? Peſtes Bonizo vocat Sutrienſis epiſcopus apud Lambec. *lib.* 2. *comm. de Biblioth. Cæſar. p.* 798. *Cæterum*, inquit, *ſiquis de Theophylacto Tuſculano, qualiter Joanni Sacerdoti vendidit Papatum, & quomodo uno eodemque tempore Theophylactus, & Gregorius, & Sylveſter Romanum non regebant, ſed vaſtabant Pontificatum, & Henricus rex Conradi filius Romanam eccleſiam à talibus peſtibus liberavit, gnarus eſſe voluerit, legat librum &c. Intruſi ſunt*, ait Baronius ad Ann.

Et an mirum quod peſtes? Alexander Papa III. *epiſt.* 19. *Simonis crimen quam ſit deteſtabile, quam horrendum, ipſa vos ejus infamis immanitas ignorare non ſinit, ex quo profecto tam dantem quam accipientem damnatio Simonis, quam ſacra Actuum Apoſtolicorum lectio proteſtatur, involvit.*

Ann. 897. *n.* 4. *in cathedram Petri, ſolium Chriſti,* **homines monſtruoſi, vita turpiſſimi, moribus putidiſſimi, uſque quaque ſæviſſimi.* * Et quid mirum jam, ſi iiſdem inſiſtant viis fuſci ipſorum aſſecæ & iniquitatis patroni, Joh. Sariſberienſ. *lib.* 5. *Polycrat. cap.* 16. *Sed nec Legati Sedis Apoſtolicæ manus ſuas excutiunt ab omni munere, qui interdum in provinciis ita debacchantur, ac ſi ad eccleſiam flagellandam egreſſus ſit Sathan à facie Domini, concutiunt angulos domus, ac proſternunt &c.* † Add. Theodoric. à Niem *de vita Joann.* XXII. *p.* 2. *&* 3. *& per tot.* Gobelin. Perſon. *Coſmodrom. ætat.* 6. *cap.* 84. *& ſeq.* Chron. Citizenſ. *ad Ann.* 1458. Hed. *hiſt. Ultraj. p.* 291. Chronic. S. Benign. apud d'Achery *to.* 1. *Spicil. p.* 467. Goldaſt. *to.* 1. *conſt. imp. p.* 35. Quid mirum ſi exclamet Auctor Chronici Citizenſis ſic ad Ann. CIↃ. CCC. XCVII?

Papa ſtupor mundi cecidit: ſecumque ruere
Cœlica templa Dei, membra ſimulque caput,
Papa dolor, mundique pudor, per crebra pateſcit
Crimina ſeu ſcelera famine ſonifero.
Heu Simon regnat: per munera quæque reguntur:
Judiciumque pium gaza nephanda vetat.
Curia Papalis fovet omnia ſcandala mundi,
Delubra ſacra facit perfiditate forum, &c.

* De Bonifacio IX. Chronicon Citizenſe p. 845. *Fuit denique maximus Simoniacus, & Simoniæ cultores multis dignitatibus ſublimavit, emptiones multas pro pecunia facit compluresque Abbates clauſtrales prece & pretio Pontificalibus mitris & ornamentis inſignivit.* † Chron. Citizenſ. ad Ann. 1405. *Deinde famoſus ille archiſimoniacus Joannes de Bononia ſecretarius Papæ quondam Bonifacii noni deceſſit, qui etiam ultra* XL. *millia florenorum ducatorum reliquit in ultimis.*

T I-

TITULUS V.

DE

Accuſationibus.

Quod actio eſt in civilibus, in criminalibus accuſatio eſt, etſi interdum agere etiam dicitur, qui accuſat, ut *l.* 15. §. *ſi propter ff. ad Sct. Turpil. l. pen. ff. ſi ex nox. cauſ. ag. Actionem perduellionis* dixit Tullius pro Milone. Idem *lib.* 5. *Tuſcul. Tabellis obſignatis agis mecum & teſtificaris.* Accuſatio definitur, quod ſit criminis apud judicem ſolennis perſecutio vindictæ publicæ cauſa. Dico autem ſolennis, quod neceſſe, ut qui accuſat inſcribat in crimen. *c. qui accuſare* 3. *qu.* 9. *c. nullus* 4. *qu.* 4. *can. eorum* 11. *qu.* 1. Balſam. *ad can.* 131. *Syn. Carthag.* Inſcriptio in crimen eſt libellus, quo quis eum quem accuſat, reum ait ſe peracturum, & niſi peragat eum reum, & probet crimen, quod accuſat, eidem pœnæ ſe ſubjicit, *l.* 3. *pr.* §. 1. *&* 2. *ff. de accuſ. l.* 7. *pr. &* §. 1. *ff. eod. l. ult. C. eod. l.* 2. *C. de exh. & tranſm. re. l.* 3. *C. Qu. accuſ. non poſſ. l. ult. ff. de priv. del. l. ult. ff. de furt. l.* 2. *ff. de leg. Corn. de falſ. l.* 2. *C. ad Sct. Turpil.* Nec ſimplex tantum profeſſio hæc, ſed ſubſcriptio etiam juncta, *d. l.* 3. *pr.* §. 1. *&* 2. *ff. de accuſ.* Et non ſubſcriptio tantum juncta, ſed de lite exercenda ſatiſdatio etiam præſtita, *l.* 1. *&* 2. *C. ad Sct. Turpil.* Symmach. 10. *epiſt.* 70. *Quid habeat conditionis inſcriptio veſtis præ ceteris juris*

juris publici conditores Dd. Impp. Proviſum eſt enim, nequis temere in alieni capitis diſcrimen irrueret, ni ſe ejuſdem pœnæ ſponſione vinciret. Et mox: *Eodemque res redit, ut à partibus Africani accuſationis omiſſio deſperatione peteretur. Supererat ut crimine non probato in accuſatorem formidata reis pœna tranſiret.* Confunduntur quidem paſſim ſubſcriptio & inſcriptio, *d. l. ult. ff. de priv. del. d. l. ult. ff. de furt.* ſed diſtinctio tamen fuit. Nam non ſemper qui inſcripſit idem etiam ſubſcripſit, *d. l.* 3. §. 2. Tacit. *lib.* 1. *annal. Nec multo poſt Granium Marcellum Prætorem Bithyniæ Quæſtor ipſius Cœpio Criſpinus majeſtatis poſtulavit, ſubſcribente Romano Hiſpone.* Briſſon. 2. *ſel. antiq.* 1. Salmaſ. *de ſubſcrib. & ſubſign. teſt. cap.* 21. Et *ſolennia* accuſationis hæc in *l.* 2. *C. ad exhib. l. ſiquis C. ad l. Jul. de vi publ. l. miles* 11. §. *quidam ff. ad l. Jul. de adult.* Cujac. 13. *obſ.* 35. Deferre etiam & accuſare multum inter ſe differunt, *t. tit. ff. & C. de accuſ. l.* 2. *& t. tit. C. de delat.* Deferre etiam poſſunt ſervi, *l.* 7. §. 2. *ff. ad l. Jul. maj.* Accuſare non poſſunt, *arg. l.* 13. *ff. ſiq. caut. jud. ſiſt. cauſ. l.* 20. §. 7. *ff. Qu. teſt. fac. poſſ.* Accuſare poſſunt omnes, qui expreſſe non prohibentur. Publica eſt accuſatio. Cuivis competit ex populo, §. 1. *Inſt. de publ. jud.* Sed ſunt qui non poſſunt. *l.* 8. *& ſeqq. ff. de accuſ.* Non poſſunt laici clericos *c. clericum* 11. *qu.* 1. nec hæretici orthodoxos *can.* 6. *Conſtantin. Concil.* Non poſſunt excommunicati, & qui ipſi rei criminum *l.* 19. *C. de h. qu. accuſ. non poſſ. cap.* 14. *ext. de teſtib.* Cic. ad Herenn. *lib.* 1. *cap.* 12. *In publicis*

quæ-

quæſtionibus cavetur legibus, ut ante, ſi reo commodum ſit, judicium de accuſatore fiat, utrum illi liceat accuſare nec ne. Ivo *epiſt.* 280. *Bene novit prudentia veſtra, quia inoffenſus debet eſſe affectus accuſatoris & teſtium, ut nihil per ſimultatem fiat, nec ipſe accuſator inde reprehenſibilis ſit, unde alium accuſat.* Clerici privilegium quod datum ei ingens. Nec a laicis accuſari, nec niſi degradatus condemnari ab iis poteſt, & nec in carcerem quidem conjici, *c. nullus c. licet 2. qu. 7. c. nullus ext. de for. comp. c. nuper ext. de ſent. excomm.* Sed quis quæſo hinc ad eccleſiam aut Rempubl. fructus? Guilielm. Neubrigenſ. *lib. 2. rer. Angl. cap.* 16. *Regi circa curam Regni ſatagenti &c. a judicibus intimatum eſt, quod multa contra diſciplinam publicam ſcil. furta, rapinæ, homicidia, a clericis ſæpius committerentur, ad quos ſcilicet laicæ non poſſet juriſdictionis vigor extendi. Denique ipſo audiente declaratum dicitur plusquam centum homicidia intra fines Angliæ a clericis ſub regno ejus commiſſa.* & mox: *Nempe epiſcopi dum defendendis magis clericorum libertatibus, quam eorum vitiis corrigendis reſecandiſque invigilant, arbitrantur obſequium ſe præſtare Deo & eccleſiæ, ſi facinoroſos clericos, quos pro officii debito canonicæ vigore cenſuræ coercere vel nolunt vel negligunt, contra publicam tueantur diſciplinam. Unde clerici &c. neque Deum, cujus judicium tardare videtur, neque homines poteſtatem habentes verentur, cum & epiſcopalis circa eos ſollicitudo ſit languida, & ſeculari eos juriſdictioni eximat ordinis prærogativa &c.* Ziegler. *lib.* 3. *de epiſcop. cap.* 30.

Ivo *epiſt.* 35. *Neganda eſt accuſantibus licentia criminandi, priusquam ſe crimine, quo premuntur, exemerint.*

30. *n.* 119. Sunt tamen, qui & laicos ad accuſandum admittunt, ſi crimen læſæ majeſtatis ſit, ſi hæreſis, ſi Simonia, *c. tanta ext. de Simonia.* Et ſic Nicolaus Papa ad Michaëlem Imperatorem. Alii aliud defendunt. Et admittunt ne tum quidem contra epiſcopum aut Abbatem, in cujus ſunt diœceſi, & cui dicto audientes, *c. præſumant 7. qu. 2. c. illud c. ex parte ext. de accuſ.* Quod multum tamen damnat Petrus Damiani in quadam epiſtola ad Papam Alexandrum: *Quis eſt*, inquit, *hic arrogantiæ tumor, quis elationis faſtus, ut quod inſolenter exceſſum eſt a ſuis ſubditis dedignentur audire? nec his allegationibus utendum eſt, ut dicant ſe non debere ab his accuſari, ne videantur ſuis exceſſibus velamen obtendere.* Ciron. *par. h. t.* Servi etſi non accuſare accuſari tamen poſſunt, *l.* 12. §. 4. *ff. de accuſ. l. 2. C. eod.* Accuſatis autem ſi vult poteſt dominus aſſiſtere *d. l.* 2. Defendere etiam eos poteſt, *d. l.* cum reo alioquin neceſſe, ut defendat ſe per ſemet ipſum. Per alium non poteſt, *l.* 33. § 2. *ff. de procur. l. pen. ff. de publ. jud.* Imbert. 3. *Inſt. for.* 4. viro illuſtri excepto tantum, qui & per alium id poteſt in actione injuriarum, §. 10. *Inſt. de inj. l. ult. C. eod.* Alioquin nihil notius, quam quod ad publicum crimen aut perſequendum aut defendendum nec procurator intervenit, nec poteſt intervenire, *l. pen. ff. de publ. jud l.* 1. *ff an per al. cauſ. appell.* Regino *de eccleſ. diſcipl. append.* 1. *cap.* 25. *In criminalibus cauſis vel objectionibus per mandatum nullus accuſet, ſed ipſe qui crimen intendit per ſe accuſet, inſcriptione præmiſſa.*

Co-

Coſtuymen *van Utrecht rubr.36.art.* 1. *&* 4 Reſp. Ultraj. 1. *conſ.* 129. Reſp. *Holl.* 4. *conſ.* 177. Solennis porro accuſatio, & certo ritu inſtituta. Delatio non item. Paſſim nomen delatoris apud veteres inviſum, infame, & infeſtum, *l. 3. C. de inj. l.* 24. *C. Th. de petit.* execrabilis denuntiator, *l.* 4. *C. de delat.* humani generis inimicus *l.* 10. *C. Th. de petit.* humanæ vitæ malum maximum, & execranda pernicies *l.* 2. *C. Th. eod* Plerumque ob calumniam, ob audaciam, *l.* 4. *C. eod.* nequitiam *l.* 3. *C. eod.* frontem præferens literatam. Plin. in *Panegyr. Cumque inſulas omnes, quas modo Senatorum, jam delatorum turba compleret &c. neque ut antea exſanguem illam & ferream frontem, nequidquam convulnerandam præbeant punctis, & notas ſuas rideant; ſed ſpectent paria præmio damna, nec majores ſpes quam metus habeant, timeantque quantum timebantur.* ub. Lipſ. *in not.* Juret. *ad Symmach.* 10. *epiſt.* 55.

TITULUS VI.

DE

Probationibus, Præſumptionibus, & Jurejurando.

Probatio eſt intentionis noſtræ legitima fides; quam judici facit vel actor, vel reus. Cujac. *par. C. h. t.* Ciron. *par. eod.* Duplex eſt probatio, artificialis, & inartificialis. Artificialis, quæ neceſſariis argumentis fit, ut coiviſſe, quæ peperit,

 l. 19.

l. 19. *C. de rei vind. l.* 2. *C. de in lit. jur. l.* 21. *l. ult. C. de prob. l.* 2. *C. de teſtib. l.* 34. *C. ad l. Jul. de adult.* Inartificialis, quæ teſtibus, aut inſtrumentis, *l.* 15. *C. de fid. inſtrum.* Duar. 1. *diſp.* 27. Donell. 24. *comm.* 5. Neviſan. *Sylv. nupt. lib.* 1. *n.* 184. *Omnis exſpectatio judicum aut in tabulis aut in teſtibus eſt,* ait Tullius 1. *in Verr.* Concil. Duziacenſe *part.* 4. *cap.* 7. *Convinci nemo niſi aut ſcriptura aut teſtibus poteſt.* Jus a teſtibus non exigitur, ſed fides tantum rei geſtæ, *l.* 11. *ff. de teſtib.* Libris tantum probatur jus, edictis, placitis Principum, excepto quod conſuetudo, cum hæc etiam ſit facti, quatenus ſcilicet dubitatur, an conſuetudo nec ne, turba teſtium probetur, decem ſcilicet, aut quindecim, *l.* 4. §. 3. *ff. de vi bon. rapt.* Audiuntur jurati, *l.* 9. §. 1. *C. de teſtib.* ſobrii item, non ebrii. *can. honeſtum* 22. *qu.* 5. Car. Magn. Capit. *lib.* 3. *cap.* 38. in judicio, non extra, citata ut adſit adverſa parte, *nov.* 90. *cap.* 2. *auth. ſed & ſiquis C. de teſtib. cap. in nomine Domini ext. eod.* Everh. *conſ.* 133. *n.* 2. *& ſeqq. Goris adverſ. tr.* 4. §. 22. Chriſtin. *ad leg. Mechl. tit.* 1. §. 28. Waſſen. *pract. jud. cap.* 1. *n.* 156. *& pract. notar. cap.* 4. §. 9. Secundum jus Romanum ut interſit examini *d. auth. & l. pen. C. de teſtib.* Secundum mores hodiernos, ut videat jurare teſtes. Chriſtin. *ad Bugnyon. lib.* 2. *de legib. abr. cap.* 112. Auditi parte non citata, auditi extra judicium, aut injurati non probant, etiamſi eſſent mille, *arg. l. ſi quando* 19. *C. de. pact.* Nec quicquam eo certius, Auditi extra judicium non probant, niſi abſint, & jam in aliam terrarum partem

partem profecti trans mare, niſi, fato conceſſerint, aut niſi partes conſentiant, *l. ult. C. de teſt. c. quoniam ext. ut lit. non conteſt.* Coſtuymen *van der Goude tit. van certificatien te recoleren art.* 1. A. Gail. 1. *obſ.* 92. *n.* 3. & 1. *obſ.* 102. *n.* 4. & *ſeq.*

Præſumptio non eſt probatio, *arg. tit. ff. de prob. & præſ.* ſed vim probandi tamen habet, ſi præſumptio ſit fortis, *cap ſcribam, cap. literas ext. de præſumpt. l. ult. C. de contrah. & committ. ſtip.* Unus non probat, *l.* 9. *§.* 1. *C. de teſtib. cap. veniens ext. eod.* ſed ſi cum uno concurrant conjecturæ, & indicia, quæ jure non reſpuuntur, cenſetur ſatis probatum, *l.* 19. *C. de re. vind. l. Theopompus* 14. *ff. de dot. præleg. cap.* 2. *ext. de reſtit. ſpoliat.* Bonus quiſque præſumitur, quamdiu non exiſtit, qui probet contrarium, *cap. ult. ext. de præſumpt. l. non omnes §. a Barbaris ff. de re milit.* Oldendorp. *enchs. except. cap. de perſonis teſtium §.* 9. Everh. *conſ.* 189. *n.* 10. Semel malus ſemper cenſetur malus in eodem mali genere, *cap. mandata & ſeq. c. cum in juventute, cap. ſemel ext. de præſumpt. in* 6. *l. cum quidam* 24. *ff. de leg.* 2. *l.* 7. *§.* 3. *ff. de accuſ.* Reſp. Holl. 6. *conſ.* 148. Reſp. Ultraj. 1. *conſ.* 115. *n.* 8. Libera prædia præſumuntur, non ſervituti obnoxia. Legitimus quiſque non ſpurius. Uxor, non concubina, *d. cap. ult.* Filius Titii, qui ea editus, quæ juncta eſt Titio juſtis nuptiis, *arg. l.* 5. *ff. de in jus voc.* Impoſſibile eſt, ut probetur id, *l.* 83. *ff. de cond. & dem.* Sed præſumptio interim pro eo eſt, quem omnes pro tali habent, & qui natus ut

dixi *d. l.* 5. Certe illud conſtat, quod cum jus partium eſt obſcurum præſumendum pro reo, *l.* 125: *ff. de reg. jur. l. Arrianus* 47. *ff. de obl. & act.* Fictio autem & præſumptio rurſum inter ſe differunt. Præſumptio nihil fingit, ſed refertur ad veritatem. Fictio eſt de eo, quod nec fuit, nec eſt. Fingitur res uſucapta, quæ uſucapta non eſt *§.* 4. *Inſt. de act.* ut & non uſucapta, quæ jam eſt uſucapta, *§.* 5. *Inſt. eod.* Captus fingitur non captus, *§.* 5. *Inſt. Qu. mod. j. patr. pot.* Traditum, quod non eſt traditum, *l. ſingularia* 15. *ff. de reb. cred. cap.* 2. *ext. de conſuet.*

Nec confeſſio eſt probatio. Nam nec ſequitur neceſſario: Confeſſus eſt, ergo debet? Quid ſi enim mentitus? Et quid ſi mentitus quis ſe hominem occidiſſe? Quam multi enim aut metu, aut vitæ tædio, aut impatientia, & rem falſiſſimam confitentur, *l.* 1. *§. ult ff. de quæſt.* Neceſſe eſt nihilominus, ut judex accurate in rem ipſam inquirat, *d. l.* Et neceſſe eſt utrumque, ut & conſtet de delicto, & quis delictum id perpetravit, *l.* 1. *§.* 24. *ff. de SCt. Silan.* Morn. *ad l.* 25. *ff. ad leg. Aquil.* Ivo *epiſt.* 196. *Quod nec leges habent, nec Anteceſſorum veſtrorum Regum inſtituta permittunt, ut alicui de ſe confeſſo credi debeat ſuper crimen alienum.* Ennodius 1. *epiſt.* 4. *Quis rogo fuit patrandi ſceleris tam venuſtus admiſſor, qui purgationem crederet, ſi alieno fateretur præcepto ſuo ſe militare flagitio, cum nemo de ſe confeſſo juſte credere poſſit crimen alienum.* Ivo rurſum *epiſt.* 225.

225. *Diſtrictis ſacramentis & per probatas ſex perſonas, ſive quæ præſentes hoc flagitium cognoverint, ſive quæ fidei ſuæ argumento rei veritatem adſtruere poſſint, ſi confeſſio illa ita fuerit comprobata, jam conſtabit inceſtuoſum eſſe conjugium.* Add. eund *epiſt.* 249. Et quid ſi qui confeſſus confeſſionem deinceps revocet? Quid ſi metu extortam dicat? Quid ſi dicat ſe occidiſſe ad ſui defenſionem? Quid ſi furtum confeſſus, aut ſe quippiam abſtuliſſe, dicat deinde ſe feciſſe id, cum crederet id dominum non difficulter permiſſurum? Excutienda hic ſunt ſingula, accurate & diligenter, nec quicquam ſtudio omittendum, quod alicujus momenti, *arg.* §. 7. *Inſt de obl. qu. ex del. l.* 45. §. 4. *ff. ad leg. Aquil.* Ameſc *de pot. in ſe ipſ. cap.* 19. *n.* 16. *& ſeqq.* Dilatio ſi petatur, modo non fruſtrationis cauſa, æquum ut concedatur. Defenſio juris eſt naturalis, *l.* 4. *pr. l.* 45. §. 4. *ff. ad leg. Aquil.* & magnus ſemper eſt rei favor, *l.* 47. *ff. de obl. & act. l.* 125. *ff. de reg. jur. l. ult. C. de edend.* Pro quo invito etiam ſi appellet quis appellantem audiri æquum eſt, *l.* 6. *ff. de appell.* Ut & factum non ſemel. Sic & apud Achillem Statium ſupplicio ereptus Clitophon & defenſus, a Clinia, quamvis cædem, quam non admiſerat, tædio vitæ confeſſus ultro, cum Leucippem quam amabat, jam deceſſiſſe exiſtimaret Εφέσιοι, inquit Clinias, *lib.* 7. *hiſt.* *μὴ προπετῶς καταγνῶτε θάνατον ἀνδρὸς ἐπιθυμοῦντος ἀποθανεῖν, moriendi cupidum adoleſcentem morti temere damnare nolite.* Add. *can. ipſa pietas* 23. *qu.* 4.

4. Ameſc. *de poteſt. in ſe ipſ. cap.* 16. *n.* 13. *& ſeqq.* Peck *ad l.* 3. *ff. de leg. Rhod.*

Ei porro incumbit probatio, qui dicit, ſive actor ſit, ſive reus *l.* 2. *ff. de prob. l.* 19. *eod: l.* 1. *ff. de except.* Prior actor, dein reus. Intentionem actor, reus exceptionem probat, *l. ſi pactum* 9. *ff. de prob.* Sed excipere is non tenetur, niſi probet primum actor, *l. ult. C. de edend.* Si non probet, abſolvitur *l.* 4. *C. de edend.* quamvis ipſe nihil præſtet, *d. l.* Et ſi actor negotium per calumniam tantum movit, & expenſis mulctatur §. 1. *Inſt. de pœn. tem. litig. l.* 29. *pr. ff. de jud.* & extra ordinem punitur, & condemnatur in quadruplum, *l.* 1. *pr. ff. de calumn.* Quod ſi publicum ſit crimen, pœna etiam eſt talio. Nec abſolvitur tamen ſemper, cum nihil probavit actor, ſed poteſt etiam in civilibus jusjurandum tum deferri, ſi ea cauſæ ſit magnitudo, & eæ facti ſint circumſtantiæ, ut æquum judici id videatur *l.* 35. *pr. ff. de jurej. §. ult. Inſt. de fideic. her.* Et tamen nec jusjurandum eſt ſpecies probationis, ſed probandi tantum habet vim, & perinde id tum habetur, ac ſi eſſet probatum, *l.* 11. §. *ult. ff. de jurej.* Triplex eſt jusjurandum, voluntarium nimirum, neceſſarium, & judiciale, *rubr. ff. de jurej.* Quod pars parti defert, & a volente præſtatur, voluntarium vocatur, *l.* 17. *pr. ff. de jurej. l.* 28. *§. ult. ff. eod. l.* 3. *l.* 8. *l.* 9. *C. de reb. cred.* Neceſſarium, quod is cui delatum eſt refert. *l.* 12. *§.* 1. *C. de reb. cred.* Utrumque magni momenti eſt. Non poteſt cauſa retractari, quæ ſic ſemel deciſa eſt, *l.* 1. *C. eod.* Nec poſtquam juratum eſt, quæritur amplius, an debeatur, ſed

ſed hoc tantum an juratum ſit, *d. l.* 1. *l.* 5. *§.* 2. *ff. de jurej. §.* 11. *Inſt. de act.* Judiciale eſt quod judex defert, cum inopia eſt probationum, & cum cauſa cenſetur dubia, *l.* 31. *ff. de jurej. l.* 3. *C. de reb. cred.* Dubia eſt, cum probatio utrimque eſt anceps, & ejuſmodi, ut judex neſciat, utrum debeat condemnare reum an abſolvere, ut cœna dicitur dubia apud Terent. *Phorm. act.* 2. *ſc.* 2. *Cœna dubia apponitur. G. Quid iſtuc verbi eſt. Ph. ubi tu dubites, quid ſumas potiſſimum.* Et hoc ex novis inſtrumentis & ſupervenientibus dein cauſis retractari non prohibetur, *l. admonendi* 31. *ff. de jurej.* Cuj. 18. *obſ.* 35. Ei autem defertur, pro quo major præſumptio eſt, & ſi par ſit pro utroque, reo potius quam actori, *l. Arrianus* 47. *ff. de obl. & act. l.* 125. *ff. de reg. jur.*

Addam obiter, quod juramentum vel licitum eſt, vel illicitum. Illicitum eſt, quod fit temere, quod abſque ulla delatione *can. unuſquiſque* 22. *qu.* 4. quod vi extortum, quod dolo, aut metu *cap. ſi vero ext. de jurej.* quod delatum impuberi *can. parvulis. & ſeq.* 22. *qu.* 5. quod præſtatur de re turpi, ut verbi gratia ſiquis juret de præſtandis uſuris *cap. debitores ext. de jurej.* de injuria, de cæde, de ſtupro faciendo, *can. clericum & ſeqq.* 22. *qu.* 1. Illicitum, ſi juret monachus ſe e clauſtro diſceſſurum *cap. ſicut ext. de jurej.* Omne etiam id illicitum, quod vergit in diſpendium aut publicæ utilitatis, aut ſalutis æternæ, *cap. quanto ext. eod.* Inventum ut controverſiæ, ut litis expediendæ extremum ſit remedium, non ut vinculum iniqui-

 tatis

tatis ſit. Alex. Chaſſan. *par. ff. de jurej.*

Porro contra juramentum quicquid fit nullum eſt, quamvis id confirmetur, quod contra juramentum fit, rurſum alio juramento, &.quamvis juramento corporaliter præſtito. Hippol. de Marſ. *rep. rubr. n.* 204. *ff. de fideiuſſ.* Alexand. 3. *conſ.* 16. *& ib. Molin.* Covarr. *rep. c. quamvis de pact. in* 6. *& tr. de ſponſal. part.* 2. *cap.* 4. *n.* 9. Gabriel *lib.* 2. *concluſ. tit. de jurej. concl.* 1. Moller. 1. *Semeſt.* 19. Corporaliter dico præſtito, quia aliud eſt ſimplex, quod data dextra tantum fit. Nam & dextra jam antiquitus fidei teſſera & argumentum. Tacit. *lib.* 1. *hiſt. Miſerat civitas Lingonum, vetere inſtituto, dona legionibus dextras hoſpitii inſigns.* Joſephus: ὁ δὲ Ἀρτάβανος τοὺς δὲ πατρῴους θεοὺς ἐπώμνυτο, μηδὲν κακὸν δράσειν αὐτοὺς, καὶ τὴν δεξιὰν ἐδίδου, ὅπερ μέγιστον παρὰ πᾶσι τοῖς ἐκείνῃ βαρβάροις παράδειγμα &c. *Artabanus autem patrios Deos jurabat: nihil ipſos mali facturos, data ei dextra, quod apud Barbaros certiſſimum eſt argumentum fiduciæ: nam poſt datam dextram nec fallere fas eſt, nec diffidere.* Ivo *epiſt.* 182. *ipſi igitur quamvis mei homines eſſent & per manum & per ſacramentum.* Idem *epiſt.* 190. *niſi prædictus metropolitanus per manum & ſacramentum eam fidelitatem regi faceret.* Ciron. *par. de feud.* Imo etſi non datur dextra, cenſetur tamen ſimplex, quod quamvis proprie ſi loquamur juramentum non ſit, habetur tamen ac ſi eſſet, ut ſi promittant quid Mennonitæ, ut vulgo dicitur, *by mannen waerheyt*, ſiquid nobilis, ut nobilis, *by Adelycke eer en trouwe*, ſiquid Præſul ut Præſul. Nam & hu-

jus

jus verba magni ponderis, & quæ vim habent juramenti. Petrus Bleſenſis *epiſt.* 51. *Verba epiſcoporum vim juratoriam in ſe habent, ut in eis jusjurandum ſit, quod eſt verbum ſimplex in aliis.* Et quod ad verba nobiſium, etſi aliter aliquando & reſponſum & judicatum, ut in Reſp. Ultraj. 2. *conſ.* 57. *n.* 36. *&* 1. *obſ. rer. jud. a Reviſ. Conſeſſ.* 24. caſus tamen inſignis eſt, quo quamvis non juraſſet Toparcha de Culenburch, perjurii tamen eſt condemnatus, quod verbis non ſtetiſſet, quibus ſidem olim dederat Jacobo Domino de Gaesbeeck. Utenda dederat quædam prædia ei Dynaſta de Gaesbeeck, accepta ab eo fide, ſed citra juramentum, nudis verbis, *by eere ende ſekerheyt in rechter eedſtadt*, reſtitutum iri prædia intra quadriennium. Non reſtituit Culenburgius. Detrectantem eo nomine coram Duce Burgundiæ & ejuſdem Conſilio in jus vocat Gaesbekius. Ex conſilii autem ſententia, (& operæ pretium ut id addam hic) pronuntiatum, ut ſequitur:

Wy hebben gewyſt ende gekent, wyſen ende kennen by deſen, dat die Heere van Culenburch mit recht ſchuldich weſen ſal, den voornoemden Jacob Heer tot Gaesbeke te leveren, ende te doen ſetten in den eygendom van ſulcke Landen, als die ſelve Jacob hem geleent heeft uyt minnen, nae uytwyſinge ſyne brieven ende hem te betalen alle coſten ende ſchaden geleden ende te lyden totten eynde van deſe ſake, daer aff hy geloofs weſen ſal by ſynen ſimpelen woorde ſonder eedt, naer uytwyſinge der ſelver brieven, ende dat die ſelve Jacob die ſal mogen verhalen aen des Heeren Lyve ende goeden van Culenburch, waer

waer hy die ſal weten te vinden, ende ſullen wy hem hier inne ſtyven ende ſtercken over al in onſen Lande, Ende om dat die Heere van Culenburgh niet gehouden en heeft, dat hy by ſynre trouwe, eere, ende ſekerheyt in rechter eedſtadt Jacob Heere tot Gaesbeeck geloofc heeft by goeden beſegelden brieve, dat hy trouwloos, eerloos, ende meneedich geworden is, datmen hem voortaen over al voor ſulcken houden ende kennen ſal, ende dat die voornoemde Jacob van Gaesbeke den ſelven Heer van Culenburch moge beſchamen in alle manieren, ende in alle plaetſen, als Jacob dat gelieven ende goetduncken ſal, dat daer in behoort gedaen te weſen, Bidden ende verſoecken daeromme vrundelyck allen Vorſten, Princen ende Heeren, wien deſe onſe brieven getoont ſullen worden, dat ſy de voornoemde van Gaesbeke in allen deſen willen ſtyven ende ſtercken, ende in heuren Heerſchappen ende Heerlicheyden de ſelve brieven ter executie laten ende doen ſetten, als ſy wonden, dat wy in gelycke ſaken deden in den onſen, ende men van 't recht ende reden wegen ſchuldich is te doen. Hier waren over den grooten Rade, den Rade van Hollant, ende veele Edelen &c.

Corporaliter dicitur præſtitum, quod fit tactis Divorum aris, ut apud Virgil. 2. *Æneid.*

> *Tango aras, medioſque ignes, & Numina teſtor.*

Divorum reliquiis, aut ſacroſanctis Evangeliis, *l.* 14. *§.* 1. *C. de jud: l.* 2. *in fin. pr. C. de jurej. propt. calumn. præſt.* capſis aut Oratoriis, in quibus reliquiæ, *l.* 12. *§.* 5. *C. de reb. cred.* dextræ etiam prioribus duobus digitis erectis. Gregor.

Tu-

Turonenſ. *lib.* 5. *cap.* 14. *Qui ambienter jurans pallam altaris fidejuſſorem dedit, nunquam ſe exinde ſine juſſione Regis egreſſurum.* Merill. 8. *obſ. ult.* Et ſic laici jurare ſoliti. Etiam interdum clerici. Sed hi vulgo non aliter quam manu admota pectori. Imb. 1. *Inſt.for.* 40. *lit. b.* Quod autem dixi, quod ſiquid ſit, quod juramento contrarium, alio rurſum juramento confirmari non poteſt, procedit ſi illud prius confirmet actum non illicitum, actum legibus, æquitati, & ſtatutis conformem. Nam quid ſi extra judicium tribus teſtibus adhibitis prædium pignori obligaverim, jurans me deinceps id nulli obligaturum, & deinceps nihilominus, ut vult Principis conſtitutio, id alii obligem in judicio. Haud dubie erit priori ſortior obligatio poſterior *arg. c. quamvis ext. de pact. in 6.* Tiraquel. *ad l. ſi unquam in præfat. n.* 164. *C. de revoc. don.* Moller. *d. loc.*

TITULUS VII.

DE

Pœnis.

Pœna ſequitur delictum, ut Plato ait lib. 2. de legib. τιμωρία ἀδικίας ἀκόλουθος πάσης. Sed non ſemper delictum. Conventionalis etiam pœna eſt, quam debet, & in quam incidit, qui frangit fidem contractus *l.* 27. *§. ult. ff. de rec. qu. arb.* §. *ult. Inſt. de verb. obl.* Fieri autem

tem poteſt, ut uterque in eam incidat, ſi neuter placitis conventionis ſtet. Et ſimul fieri tamen poteſt, ut alter alteri nihil præſtet, cum poſſit pœna compenſari, *l. 39. ff. ſol. matr.* Ut quid ſi duo in arbitrum compromittant, lata autem ſententia parere alter ei nolit, alter autem mox provocet, aut, quæ vox jam uſitata hic, reductionem petat ſententiæ? Compenſatio fiet pœnæ, *arg. l. 3. ff. de compenſ.* ut refert ſic deciſum a Parlamento Pariſienſi Alexander Chaſſenæus *par. h. t.* Conventionalis pecuniaria eſt. Corporalis non poteſt eſſe. Corpus ipſum ad cædem, ad vulnera, ad cruciatum, obligari non poteſt, *l. 13. pr. ff. ad l. Aquil.* Nec quiſquam ſic habet corpus ut habet bona in poteſtate, *d. l.* Pœna ergo vel delicti vel fractæ fidei coercitio eſt, *d. l. 27. §. ult. d. §. ult. Inſt. l. 131. ff. de verb. ſign.* Duplex eſt pœna, extraordinaria, & ordinaria, pecuniaria & corporalis. Sed ordinaria, quæ & canonica, *cap. ad reprimendam ext. de offic. jud. ord.* extraordinaria rurſum fit, ſi ita judici videatur, pro facti circumſtahtiis, pro delicti qualitate *l. 13. ff. de pæn.* pro ratione perſonarum, *cap. ult. ext. h. t.* πρὸς τὸ διάφορον τοῦ ἁμαρτάνοντος, ut eſt in *cap. 28. conſt. Apoſtolic.*, rerum *cap. tua ext. eod.* locorumque, *cap. dilectus & cap. conqueſti ext. de ſent. excomm.* Corporalis rurſum duplex, capitalis & non capitalis. Capitalis quæ mortem infert aut civilem aut naturalem. Non capitalis, quæ neutram, *§. 2. Inſt. de publ. jud. l. 28. pr. & §. 1. l. 29. ff. de pæn.* Capitalis, quæ vitam adimit, ut eſt ultimum ſupplicium, quocun-

cunque id fiat modo. Sed quia clerici horrent ſanguinem, *clem. diœceſanis ext. de vit. & hon. cler.* nec canones id permittunt, ut interſint ſupplicio, *c. ſententiam ext. ne cler. vel monach.* ſolent, cui moriendum, remittere ad magiſtratum, aut ut paſſim jam dicunt, ad brachium ſeculare. Clementiam quidem jactant, ſed quam jactant ſævitia eſt. Nihil refert an per ſe an per alium quem puniant, *arg. l. 5. §. 3. ff. de adm. & per. tut.* Faciunt per indirectum, quod directo non poſſunt. Fortunis ſpoliant, excommunicant, quæ pœna morte interdum gravior. Vid. *lib. 2. de Nobilit. cap. 21. & 23.* Talionem etiam agnoſcunt, *can. ibi ſemper 3. qu. 6.* Et hæc juſta ipſis viſa, *d. can. ibi ſemper*, ſecundum illud Ovidii *lib. 1. de art. amand.*

Juſtus uterque fuit: neque enim lex æquior ulla,
Quam necis artifices arte perire ſua

Juſta etiam in eo, qui per calumniam vexavit reum. Per calumniam dico, quod non omnis, qui non probat, quod objicit, ſed is qui per calumniam accuſaſſe convictus, in pœnam incidit talionis *l. ult. C. de accuſ.* cujus verba relata etiam in *lib. 7. Capitul. cap. 379.* & in *Addit. IV. ibid. cap. 26.* Nec probationibus ſemper opus. Nam quid ſi crimen notorium? Notoria non probantur, dubia tantum & incerta, *l. 11. §. 12. ff. de act. empt.* Joh. Fab. *proœm. Inſt. n. 6.* Coraſ. 1. *miſcell.* 16. Vaſq. 1. *controv. 2. n. 11.* Everh. *conſ. 41. n. 5.* Notorium eſt, de quo conſtat per judicis ſententiam, per confeſſio-

feſſionem in jure, per rei evidentiam, quæ celari non poteſt, *cap.* 8. *& ult. ext. de cohabit. cleric. c. ſuper eo ext. de teſt. cog.* Manifeſtum etiam vocant *can. erubeſcant diſt.* 32. Ciron. *par. d. t. de cohabit. cleric.* Sed ſunt, quæ videntur notoria, & non ſunt, *cap. conſuluit* 14. *ext. de appell.* Et tum & in notoriis debet dari defenſio. Notorium utrum necne neceſſe eſt judex diſpiciat. Innoc. *ad cap.* 1. *ext. de offic. jud. del.* Rauchbar. 2. *qu.* 8. *n.* 15. Ubi autem & probatum & concluſum in cauſa, judex reum aut abſolvat aut condemnet neceſſe eſt. Nec refert quis judex. Etiam eccleſiaſticus ad pœnam aliquam canonicam reum recte condemnat. Cenſuræ poteſt ſubjicere. Poteſt cogere ad pœnitentiam. Poteſt mulctis coërcere, exilio, virgis, carcere, ut & ſtudio pœnali. De quo *lib. de jur. glad. cap.* 31. *n.* 3. Ottonis I. Imper. Statuta eccleſiaſtica in Comitiis Auguſtanis apud Goldaſtum *to.* 3. *conſt. imp. p.* 308. *ab epiſcopo vel ejus miſſo virgis caſa detondeatur.* Caroli Calvi Capitulare apud eund. *d. to. cap.* 10. *ſi epiſcopus & miniſtri epiſcoporum pro criminibus colonos flagellaverunt cum virgis propter metum aliorum &c.* Inprimis autem inſpiciendum, an ſufficienter probatum, ἐξαρκέντως, ut dicunt Græci. Præſumptio hic non ſufficit, ut nec quævis probatio. In criminibus probationes, quæ luce meridiana clariores ſunt, requiruntur, *l. ult. C. de prob. l.* 5. *ff. de pœn.* Cic. de *ſignis* apud Nonium: *Ignoſcite*, ait, *rei magnitudo me breviter perſtringere atrocitatem criminis non ſinit.* Thucydid. *lib.* 1. *hiſt.*

hiſt. Ne ſic quidem ullis ſervorum indiciis habita fide quicquam novi in ipſum ſtatuere voluerunt, utentes more, quo erga ſe ipſos uti conſueverunt, ut non ſint celeres ad aliquid gravius de viro Spartano ἄνευ ἀμφισβητήτων τεκμηρίων, *ſine manifeſtiſſimis ac minime dubiis indiciis decernendum.* Morn. *ad d. l. ult.* Excedunt Canones tamen modum, dum probandi difficultatem ſic augent hoc prætextu, ut probationi vix locus, dum ſuis conſulunt, quantum poſſunt, ut Cardinalis convincatur, ſi epiſcopus Cardinalis, teſtes requirentes duos & LXX. ſi Presbyter, quatuor & XL. ſi Diaconus XXVII. *can. Præſul.* 2. *qu.* 4. Canon S. Sylveſtri hic, qui & apud Goldaſtum, ſed aliis nonnihil verbis, nimirum hujuſmodi, *to.* 3. *conſt. imp. p.* 153. *Non damnabitur, neque Præſul ſummus à quoquam judicabitur, quoniam ſcriptum eſt; Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum. Presbyter autem in* 44. *teſtimoniis damnabitur, Diaconus autem in cardine conſtitutus urbis Romæ niſi* 27. *teſtibus non damnabitur &c.* Sed cujus ſit nihil refert, dum notetur, quod & canoni contrarius, qui præceſſit, & quod extorſit eum faſtus, & immanis ambitio, & quod nolint quicquam impium credi de iis unquam, quos cenſent cœlo inprimis proximos & Aſſeſſores Vicarii Jeſu Chriſti in terris. Alioquin quam ſint faciles in reis condemnandis, præſertim ſiquis incidat in manus inquiſitorum hæreticæ pravitatis docet liber Sententiarum Tholoſanæ inquiſitionis ex autographo nuper editus, ut & Gabr. d'Emiliane in epiſtolis nuper editis *lib.* 1. *epiſt.* 2. *p.* 83. *& ſeqq.* Quod ſi proponatur, quod impleta probatio,

V quam-

quamvis pergat negare reus, condemnandus nihilominus. Nec permittendum, ſi convictus, ut juret ſe innocentem *c. qui exigit* 22. *qu.* 2. Olim id contra canones & legitimas ſanctiones obtinuiſſe apud Danos Honorius teſtis eſt Papa III. *cap. ad noſtram extr. de probat. in* 5. *Compil.* qui ſuſtulit corruptelam. Ciron. *ibid.*

TITULUS VIII.

DE

Excommunicatione.

* Bannus Chriſtianitatis in Garoli Calvi Capitulis & in Concilio. Colon. *part.* 14. *can.* 21. *Cæteros omnes nobiles & ignobiles per Bannum, Chriſtianitatis conſtringat.* Ciron. 1. *obſ.* 16.

Cenſura autem triplex, excommunicatio, interdictum, ſuſpenſio. Excommunicatio, quæ ex pœnis eccleſiaſticis præcipua eſt & graviſſima *can. corripiantur* 23. *qu.* 3. cenſura eſt eccleſiaſtica, qua fidelium communione fidelis ejicitur. Et vel major vel minor eſt. Bugnyon. 4. *leg. abr. cap.* 61. Minor privat tantum ſacramentis *cap.* 2. *ext. de except. cap. pen. ext. de excomm. cap.* 9. *ext. de cler. excomm.* Major omni communione ſubmotum diris devovet reum *can. Engeltrudem* 3. *qu.* 4. *can. audi* 11. *qu.* 2. Major idem quod anathema. Covarr. *in relect. c. alma mater part.* 1. §. 8. *de excomm. in* 6. *n.* 6. * Dei bannus & Antiſtitis. Synodus Confluentina *can.* 6. *Ab hac die & deinceps de Dei banno & noſtro bannimus, ut nemo amplius hac præſumat.* In uſu olim paſſim & Judæis & ethnicis. De Druidibus Cæſar *lib.* 6. *de bell. Gall. Siquis,* inquit, *aut privatus aut populus eorum decretis non ſtetit, ſacrificiis interdicunt.*

Hæc

Hæc pœna apud eos eſt graviſſima. Quibus ita eſt interdictum, ii numero impiorum ac ſceleratorum habentur, ab iis omnes decedunt, aditum eorum ſermonemque defugiunt; ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur. Devovere id Romanis, quod quaſi eſt *exſacrare*, ut *reſacrare* eſt abſolvere, id eſt, excommunicatum in communionem recipere. Corn. Nepos *in Alcibiade. Poſtquam ſe capitis damnatum bonis publicatis audivit, & Eumolpidas à populo coactos, ut ſe devoverent, ejuſque devotionis exemplum in pila lapidea inciſum eſſe poſitum in publico.* & mox: *Reſtituta ſunt ei publice bona, & Eumolpidæ rurſus reſacrare ſunt coacti, qui eum devoverant, pilæque illæ in quibus devotio fuerat ſcripta, in mare præcipitatæ.* Vid. Sciopp. in tractatu quem inſcripſit *Infamia Famiani p.* 47. Majorem habent epiſcopi, Abbates, Præpoſiti *cap.* 3. *ext. de off. jud. ord. cap.* 10. *ext. de major. & obed. cap.* 1. *ext. de eo qu. ſacr. ord. ſuſc.* Mucro, bannus epiſcopalis, ſupremus gladius eccleſiæ, *can. viſis* 16. *qu.* 11. *& clem.* 1. *ext. de exceſſ. Prælat.* Synod. Tribur. *cap.* 8. *Neque contemnat, neque tranſgrediatur bannum ab epiſcopis ſuperpoſitum.* Goldaſt. *to.* 3. *conſt. imp. p.* 571. Alteſerr. *ad cap. querenti ext. de verb. ſign.* Major fit ab epiſcopo, ſolenni quodam ritu accenſis facibus, & extinctis, & tum in terram projectis *can. debent* 11. *qu.* 3. Ciron. *ad decretal. Honor. cap.*

Ottonis I. Imp. Statuta eccleſiaſtica apud Goldaſt. *to.* 1. *cap.* 1. *conſt. Hugonem Regis Ludovici Regni invaſorem & raptorem excommunicationis gladio feriendum &c.* & mox *cap.* 2. *Hugo autem, qui ejus ſedem contra fas ſibi uſurpat, anathematis eſt mucrone multatus.*

cap. noverit ext. de conſtit. Nec epiſcopus projiciebat. Faciebant id Sacerdotes inter ſonitum campanarum. Veſtitu tantum Pontificali epiſcopus aſſiſtebat. *d. can.* Concilium Albienſe apud d'Achery *to. 2. Spicil. cap. 6. Singulis diebus Dominicis publicè excommunicentur in eccleſiis, pulſatis campanis & extinctis candelis, ac in omnibus eccleſiis ſingulis diebus in crepuſculo omnes campanæ ſimul pulſentur in deteſtationem criminis memorati.* Sixti IV. Papæ charta apud Hedam *hiſt. Ultraj. p. 303. in eorum eccleſiis, Dominicis & aliis feſtivis diebus, dum inibi major populi multitudo convenerit ad divina, pulſatis campanis, & accenſis candelis, ac poſtmodum in terram projectis & extinctis, erectoque crucis vexillo, cum trina lapidum projectione &c. interdictos, ſuſpenſos, excommunicatos denuntient.* Andegavenſis epiſcopus apud d'Achery *to.* 10. *Spicil. p.* 338. *Dolentes & cum cordis amaritudine cum iſtis duodecim probis viris & honeſtis Sacerdotibus indutis Sacerdotalibus ornamentis, lucernas in manibus ardentes tenentibus, aſſiſtentibus nobis in Pontificalibus conſtitutis &c. præſente clero & populo &c. tamquam exſortes à regno Dei, à liminibus ſanctæ matris eccleſiæ, & conſortio omnium fidelium, & totius cœleſtis Curiæ eliminantes & excludentes, ipſoſque Sathanæ tradentes in interitum carnis, &c. in his ſcriptis anathematizamus cum ſolenni pulſatione campanarum, ipſas candelas accenſas in terram projicientes, ac pedibus conculcantes, & extinguentes &c.* Add. Platin. *in Gregor. VII.* Buchel. *ad Hed. hiſt. Ultraj. p.* 312. Minor etiam à parocho fit, à quolibet

libet Sacerdote, *cap. cum ab eccleſiarum ext. de offic. ordin. cap. cum in eccleſiis extr. de major. & obed.* A quo olim etiam fiebat major, ut docent verba Hieronymi epiſt. ad Heliodorum: *Mihi ante presbyterum ſedere non licet, illi ſi peccavero licet tradere me Satanæ in interitum carnis, ut Spiritus ſalvus ſit in die Domini Jeſu. Et in veteri quidem lege, quicunque Sacerdotibus non obtemperaſſet, aut extra caſtra poſitus lapidabatur à populo, aut gladio cervice ſubjecta contemptum expiabat cruore. Nunc vero inobediens ſpiritali mucrone truncatur, aut ejectus de eccleſia rabido dæmonum ore diſcerpitur.* Unde & invenitur inter Herardi Capitula Archiepiſcopi Turonenſis, quæ edita anno Chriſti 858. & extant *to.* 3. *Concil. Gall. p.* 111. Capitulum *n.* 121. *de his, quos presbyter excommunicaverit, ut alius eos non recipiat.* Ziegler. *lib.* 3. *de epiſcop. cap.* XIX. Major autem non paſſim, ne adducatur in contemptum, ſed gravi demum ex cauſa fit, ratione habita diligenter & facti & perſonarum, & aliorum etiam in ea re exquiſitis conſiliis *can.* 41. *& ſeq. can. ſin autem* 11. *qu.* 3. *cap. ex parte* 23. *ext. de verb. ſign.* Reo etiam primum monito, ut convertat ſe, ut ſatisfaciat, ut obediens reſipiſcat, *d. cap. can. corripiantur* 24. *qu.* 3. Covarr. *ad cap.* 5. *ext. de ſent. excomm. in* 6. Si nolit, ſi contumax, anathemati demum locus. Aggravatum id interdum & rurſum reaggravatum ut *d. loc. apud Hed.* & cujus major adhuc olim terror adjectum etiam *maranatha* à Paulo olim uſurpatum 1. *ad Corinth.* Maranatha, adventus Domini. *Anathema maranatha*, id eſt, excommunicatus

 ſit

ſit uſque ad Domini adventum *c. nemo epiſcoporum* 11. *qu.* 3. *c. certum* 24. *qu.* 3. Baron. *to.* 1. *Annal. ad Ann. Chr.* 57. Jac. du Breul ad Aimoin. *lib.* 2. *hiſt. cap.* 2. Et ſi nec id ſatis efficax, familiares, domeſtici, à reo juſſi recedere. Si non parerent & ipſi eodem vinculo innodati. Mox locum, in quo reus, ſupponebant interdicto, & tandem etiam invocabant auxilium brachii ſecularis, ut in charta adhuc inedita Ann. 1444. Ingens admodum ejus vis, ut & alias jam dixi. Indigni habiti communione, quoſcunque hoc fulmen tetigiſſet, & vivi & mortui. Expuncti ex ſacris diptychis. Nec preces pro iis factæ. Et ut agnoſci tamen poſſent, publice ipſorum nomina in eccleſiis recitata, in triviis & locis publicis, ut apud Athenienſes olim ſcripta eorum nomina, quos arcebant Areopago. Quod ἐκφυλλοφορῆσαι Harpocration vocat in Lexic. In locum conſecratum non illati poſtquam mortui. Effoſſi rurſum ſi illati & ut canes projecti. Liberat. Diac. *breviar. cap.* 18. *ejuſdem Timothei catholici corpus de terra levavit, & foras projecit, qui inter epiſcopos Catholicos ſepultus fuerat.* Certe & excommunicatio poſt mortem olim frequens. Sic exuſta poſt mortem Joannis Viclefi oſſa. De Barlaamo & Acyndino Joan. Cantacuzen. *lib.* 4. *cap.* 23. De Amalrico Rigordus: *etiam poſt mortem fuit excommunicatus, & condemnatus, & à cœmeterio ſacro dejectus, & oſſa & cinis ejus per ſterquilinia ſunt diſperſa.* Add. Auctorem *Chron. Altiſſiodor. p.* 105. *verſ.* Fabrott. ad Balſam. *collect. tit.* 5. *Parat.* Qui cum iis habebat rem, qui compellabat, qui adibat,
qui

qui juvabat cibo vel potu, & quo acerbius vix quicquam, qui fundebat cum iis preces, qui orabat cum iis Deum, & ipſe excommunicatus *c. ſicut Apoſtoli & 3. ſeqq.* 11. *qu.* 3. Concil. Toletan. 1. *can.* 15. *Siquis laicus abſtinetur, ad hunc vel ad domum ejus vel clericorum vel religioſorum nullus accedat. Similiter clericus, ſi abſtinetur, à clericis devitetur. Siquis cum illo colloqui aut convivari fuerit deprehenſus & ipſe abſtineatur.* Durum ſic & acerbum prorſus incidere in manus cleri. Verum contra illa fulmina, & inhumana & temeraria, & nihil minus redolentia quam manſuetudinem Chriſtianam in Colloquio, quod inſcribitur *Inquiſitio de Fide*, Eraſmus egregie, *Si ita*, inquit, *nobiſcum egiſſet Deus, perieramus omnes. Quia cum eſſemus inimici Dei, cultores idolorum, militantes in caſtris Satanæ, hoc eſt, modis omnibus excommunicatiſſimi, tum ille nobiſcum confabulatus eſt per filium ſuum, ſuoque alloquio nos reſtituit in vitam, cum eſſemus mortui. Sed vereor*, inquit, *ibid. in fin. ne videar, favere hæreticis.* SA. *Imo nihil eſt ſanctius quam favere hæreticis.* Au. *Qui ſic? SA. Nonne Paulus optavit anathema fieri pro Judæis pluſquam hæreticis, &c.* Excommunicatio autem proprie ad laicos tantum pertinet. Ad clericos degradatio. Auguſtin. *in enchirid. cap.* 80. *Sic noſtris temporibus ita multa, etſi non talia, in apertam conſuetudinem jam venerunt, ut pro his non ſolum excommunicare aliquem laicum non audeamus, ſed nec clericum degradare.* Alteſerr. *ad d. cap. quærenti & ad Gregor. lib.* 7. *epiſt.* 62. Degradatis autem etſi de

 ſtatu

ſtatu jam dejectis communio tamen laica nihilominus adhuc ſalva. Et moris ut qui dejecti ſic dicerentur redacti ad *laicam* communionem, quamvis non negem propter atrox delictum degradatos non tantum, ſed fidelium etiam cœtu ejectos prorſus & excluſos citra reſtitutionis ſpem. Canonum, qui dicuntur Apoſtolici, xxv. *Epiſcopus, vel presbyter, vel diaconus fornicationis, vel perjurii, vel furti convictus deponatur, & non ſegregetur*, καθαιρείσθω καὶ μὴ ἀφοριζέσθω. xxxi. *Siquis presbyter contempto proprio epiſcopo ſeorſim collectas egerit, & alterum altare fixerit, deponatur* καθαιρείσθω, *Laici autem ſegregentur*, ἀφοριζέσθωσαν, *Can.* xxviii. *Siquis epiſcopus, vel presbyter, vel diaconus juſte ob manifeſta crimina depoſitus ſibi aliquando creditum miniſterium attingere audeat, ab eccleſia omnino abſcindatur*, παντάπασιν ἐκκοπτέσθω τῆς ἐκκλησίας. Add. *ibid. can.* 29. *& ſeq.* ut & Cod. *can. eccleſ. Afric. can.* 76. *& can.* 80. Niceph. *lib.* 16. *hiſt. cap.* 19. Ivon. Carnotenſ. *epiſt.* 273. Ziegler. *lib.* 3. *de epiſcop. cap.* 11. *n.* 10. *& ſeqq.*

Cœtu dixi fidelium, univerſo ſcilicet per totum orbem. Una enim eccleſia, unum corpus, cujus membra fideles quotquot ſunt, caput autem eſt Chriſtus. Una inquam eccleſia, etſi varii ejuſdem cœtus. Ab uno ſiquis abſciſſus, ne ſchiſma alioquin oriatur, in alium non poteſt recipi. Unde & nomen excommunicati, nequid fieret per ignorantiam, proponi publice olim moris, & indicari non parochianis tantum, ſed vicinis etiam epiſcopis, ut Arrio cum aſſeclis excommunicato olim factum. Socrat. *lib.* 1. *hiſt.*

cap. 6. Contra cum feciſſet Benedictus Papa IX. & exprobraſſet id ipſi Stephanus Arvernenſis epiſcopus, Papa factum excuſat, & quidem verbis, quæ occurrunt *to. 3. Concil. Gall. p. 1093.* *Quod neſcienter egi*, inquit, *frater chariſſime, non mea, ſed tua eſt culpa. Debueras certe mihi, antequam illa mortua ovis Romam veniret, ejus cauſam tuis innoteſcere apicibus, & eam, ego omnimode abjicerem, tuamque firmando auctoritatem eam anathematis ictu repercuterem. Profiteor quippe omnibus conſacerdotibus meis ubique terrarum adjutorem me & conſolatorem potius eſſe, quam contradictorem. Abſit enim ſchiſma à me & à Coëpiſcopis meis &c.*

TITULUS IX.

DE

Interdicto.

Interdictum cenſura eſt, qua ſacris interdicitur certis locis, eccleſiis, provinciis, territoriis, certo generi perſonarum *cap. 16. ext. de ſent. excomm. in 6.* vel ut populus puniatur, qui offendit eccleſiam, vel Princeps, ut eum populus durioris tædio interdicti ad ſatisfactionem & reſipiſcentiam compellat. Durum cogere ad id Principem, ſed ea rei atrocitas, ut qui cogit cogatur ipſe. Nemo eſt quem non tangit ſalutis propriæ recordatio, quem non animæ diſcrimen afficit, dum toto tempore interdicti arcetur limine eccleſiarum, arcetur ſacris, ſacrificiis, & eccleſiaſti-

cis ſacramentis Clauduntur enim templorum fores univerſo illo terrarum tractu, in quem miſſum id interdictum. Opplentur ſpinis, obſerantur. Negligitur Dei cultus, ſacramenta, orationes. Et quo nihil indignius, nec quiſquam ſepelitur, nec baptizatur niſi infans. Acta Cenomanenſ. epiſcop. apud Mabillon. 3. *analect. cap.* 34. *Matris eccleſiæ omniumque ejuſdem civitatis vel ſuburbii eccleſiarum januas ad doloris indicium ſpinarum aculeis obſtruentes.* Excommunicatio tantum ſontem feriebat. Sontem & inſontem indiſtincte interdictum. Ingens terror interdictum, ſed quo is eſſet atrocior, excommunicatio ei ſæpe adhuc juncta. Et excommunicabant & interdictum ponebant, ſequente interdum interdicto, interdum præcedente, Charta Alexandri Papæ *lib.* 4. *hiſt. Vizeliacenſ. apud d'Achery to.* 3. *Spicileg. Alioquin per totam terram omnia divina officia præter baptiſma parvulorum & pœnitentias morientium penitus interdicat, & ſi nec ſic reſipuerint in perſonas illorum excommunicationis ſententiam non differat promulgare.* Chron. Altiſſiodor. ad Ann. 1216. *Omnium qui adhæſerant Ludovico ſubjecit & interdicto terras & excommunicationi perſonas.* Benedictus Papa excommunicans Carolum Regem Franciæ & ejus conſiliarios Ann. 1408. apud d'Achery *to.* 6. *Spicil.* ut ſequitur dein addit: *Quam quidem ſententiam &c. ſi per viginti dies animo ſuſtinuerit indurato, ſi laicus, quicunque & cujuſcunque ſtatus, gradus, conditionis, vel dignitatis Princeps, vel alia ſecularis perſona fuerit, terras, villas, civitates, & caſtra,*

& loca quæcunque obtinet & obtinebit, eccleſiaſtico ſupponimus interdicto &c.

Quæ origo interdicti, & quando id primum cœperit, cum in veteri eccleſia veſtigium ejus nullum, quærunt anxie Canoniſtæ. Ad ſeculum ſextum nonnulli referunt. Boſquetus ad Innocentii Papæ Tertii *epiſt.* 72. *lib.* 2. & Alteſerra *ad cap.* 20. *ext. de verb. ſign.* Et ut probent id inter cetera duo adducunt loca ex Gregorio Turonenſi. Alter eſt *lib.* 5. *hiſt. cap.* 32. Alter *lib.* 8. *cap.* 31. Sed neuter probat, quod volunt. Utrumque enim ſi inſpicias, non eſt ſermo ibi de interdicto, ſed de ceſſatione à divinis. Quæ multum inter ſe differunt. Gravius multo eſt interdictum. Majorem copiam continet eorum, quæ prohibita, quam nuda & ſimplex ceſſatio. Rectius refert Zieglerus *tr. de epiſc. cap.* 32. *n.* 16. ad Concilium Lemovicenſe & annum Chriſti CIↃ. XXXIV. Clericis cum tum temporis infeſti admodum eſſent Principes, res & prædia eccleſiaſtica cum potenter invaderent, de remedio etiam, quod ſatis efficax, tandem ſerio cogitatum. Diu ergo multumque in conſeſſu te agitata, Odelricus quidam, qui pater tum familiæ ſeu collegii S. Martialis, conſilium dedit hujuſmodi: *Niſi de pace acquieverint ligate omnem terram Lemovicenſem publica excommunicatione, eo videlicet modo, ut nemo niſi clericus, aut pauper mendicans, aut peregrinus adveniens, aut infans à bimatu, & infra, in toto Lemovicinio ſepeliatur, nec in alium epiſcopatum ad ſepeliendum portetur. Divinum officium per omnes eccleſias latenter agatur, ſed baptiſmus peten-*

petentibus tribuatur. Circa horam tertiam ſigna ſonent in eccleſiis omnibus, & omnes proni in faciem preces pro tribulatione & pace fundant. Pœnitentia & viaticum in exitu mortis tribuatur, altaria per omnes eccleſias, ſicut in paraſceve, nudentur, & cruces & ornamenta abſcondantur, quia ſignum luctus & triſtitiæ omnibus eſt. Ad miſſas tamen, quas unuſquiſque ſacerdotum januis eccleſiarum obſeratis fecerit, altaria induantur, & iterum poſt miſſas nudentur. Nemo in ipſa excommunicatione uxori, nemo alteri oſculum det; nemo clericorum aut laicorum vel habitantium vel tranſeuntium in toto Lemovicinio carnem comedat, neque alios cibos, quam illos, quibus in quadrageſima veſci licitum eſt. Nemo laicorum aut clericorum tondeatur, neque radatur, quouſque diſtricti Principes & capita populorum per omnia ſancto obediant Concilio &c. Conſilium hoc poſtquam placuit in omnes ingens illatus terror. Nam & levi de cauſa, ob cenſum etiam non ſolutum, & quodvis debitum pecuniarium, abuſi eo paſſim. Brant. 1. *hiſt. der Reform. n.* 1. *p.* 57. Unde & tandem viluit, & in Gallia abiit in deſuetudinem. Clero etiam non invito, cui grave & vix ferendum, adempto interim ei quæſtu, quem ex cantu, ex miſſis, à quibus prorſus tum abſtinendum, quotidie conſequitur. Et quid ſi ſacerdotium aut emptum aut conductum, ut ſuperiori ſeculo quingentis florenis annuis conductum Alcmarienſe ab Elberto quodam Huik, ut videre eſt apud Brant. 1. *hiſt. der Reform.* 6. *p.* 316? Quid ſi ceſſum ad tempus, an non ingens illud damnum?

Mille

Mille Mexici ſacerdotes, quibus præter lucrum, quod ex miſſis quotidianis, unde exhibeant ſe, nihil. Th. Gage *itiner. per Ind. Occident. lib.* 1. *cap.* 2. Quam famelicus iis venter, ſi duret longius interdictum, conjectare haud difficile eſt. Sed rarior uſus jam interdicti. Suggeſſit modum diabolus, qui longe adhuc facilior, quo contumax poteſt cogi. Siquis clero non dicto audiens, ſi eum lædat, ſi offendat, ſi non ſolvat quod debet, ſi non ſtatim in eum largiter quicquid petit effundat, clamabunt perditi id indicium, quod is clerum contemnat, quod non recte de eo ſentiat, & per conſequens quod nec recte de eccleſia, de fide, infidelem ergo, hæreticum, tradendum Inquiſitioni, mittendum in carcerem. Nec atrocius jam quicquam. Gabr. d'Emiliane in epiſtolis nuper editis *lib.* 1. *epiſt.* 2. *p.* 83. *& ſeqq.*

TITULUS X.

DE

Suſpenſione & Depoſitione.

Suſpenſio eſt cenſura, qua functione eccleſiaſtica interdicitur vel ad tempus, vel certo tempore non expreſſo, donec reus reſipiſcat. Et vel pro parte interdicitur, vel interdicitur in totum *can. presbyter* 2. *qu.* 5. *cap.* 33. *ext. de teſtib.* Gloſſ. *ad cap.* 48. *ext. de ſent. excomm.* Ziegler. *de epiſcop. cap.* 32. *n.* 4. Præmittenda autem & in hac

hac perinde ac in aliis cenſuris triplex monitio *cap.* 11. *ext. de cler. non reſid.* Depoſitio * eſt cenſura, qua quis munere eccleſiaſtico, qua quis ordine & officio, in totum & in perpetuum privatur & abdicatur. Dico *ordine & officio*, Communione non dico. Nam retenta communio, niſi forſan & hæc expreſſe etiam adempta. *can. hac hujus* 12. *qu.* 2. Non adempta retinetur. Sed cum laicis non cum clericis, *can.* 26. *Concil. Tolet.* IV. Optat. Milevit. *lib.* 2. *de ſchiſmat. Donatiſt.* Laica hæc, peregrina, *c. clerici* 23. *qu.* 2. *can. contumaces diſt.* 50. Nam & ipſi jam laici, quos *Idiotas* Juſtinianus vocat *nov.* 6. §. 5. extra altare & cancellos communicantes, *can.* 19. *Synod. Laodic.* comam item ac veſtem perinde ac laici deferentes, nec σχῆμα τȣ̃ κληρικȣ̃ aliter recipientes, quam ſi digne pœniteant, albo interim expuncti, moti gradu & dignitate, *d. can. contumaces.* Balſamo ad *can.* 22. *Synod.* VI. *in Trullo.* Ciron. *par. de cleric. excomm.* Quod factum ſemper ſolemni ritu *cap.* 2. *ext. de pœn. in* 6. Degradati delinquentes. Adempta inſignia dignitatis. Sigilla, baculi confracti. Ablata pallia, oraria. Interdum ſciſſa etiam veſtis. Heraclii novella apud Balſamon. *conſt. eccleſ. lib.* 3. *in fin.* Anaſtaſ. Biblioth. *in Agath. Orarium auferri juſſerunt à collo ejus, & exiliens Baſilius epiſcopus Cretenſis eccleſiæ ejus orarium abſtulit, & anathematizantes projecerunt eum foris.* Bertoldus Conſtantienſis apud Tengnagel *vett. monum. p.* 260. *In quo Concilio prædicto Macario, dum damnaretur, Orarium à quodam epi-*

ſcopo

* Sic dicunt Canoniſtæ, & verba valent uſu, etſi vix Latinum hoc ſenſu, ut Scioppius ſcribit *tr. de ſtil. hiſt. p.* 135. Latinis enim id moveri depelli, exui, dejici, quod vulgo dicunt *deponi*.

ſcopo juſſu Synodi aufertur, *& ipſe cum ſequacibus ſuis a Synodo turpiter cum throno ſuo ejicitur.* Matth. Paris ad Ann. 1214. *Illis diebus per prædictum Legatum Pontificis depoſitus eſt Rodulfus de Arundel Abbas Weſtmonaſterienſis in craſtino S. Vincentii, fracto ipſius ſigillo in Capitulo.* Et ſic factum cum Photius epiſcopatu abire juſſus in Synodo Conſtantinopolitana, *ſeſſ.* 8. *act.* 6. cum Papatu Benedictus, cui Leo VIII. Papa diſcidit pallium & baculum ſuffregit teſte Reginon. *lib.* 2. *Chron.* Add. Liberat. Diac. *breviar. cap.* 23. Sirmond. *ad Goffrid.* 1. *epiſt.* 6. Sic depoſiti magiſtratus *l. judices* 12. *C. de dign. can. nullus* 11. *qu.* 1. Sic milites exauctorati detracto cingulo ſeu baltheo, detractis calceis, chirothecis, *l.* 2. *ff. de h. qu. not. inf. l.* 29. *ff. de lib. cauſ. cap.* 2. *ext. de pœn. in* 6. Th. Walſingham ad Ann. 1323. *Nempe primo degradatus eſt amputatis ſecuri ad talos ſuos calcaribus*, *& ſic viciſſim diſcinctus eſt balthea militari, ablatis calceis & chirothecis.* Nec qui abſolvitur ſic abjectus fit rurſum quod fuerat, ſed ac ſi nunquam fuiſſet, quod amiſit, ſolenni ritu debet rurſum recipere. *can. epiſcopus* 11. *qu.* 3. Recipere ſcilicet ſi ſalva vita, ſalvis membris, evaſit. Quæſtio alioquin eſt inutilis, ſi degradatus ad gladium, ſi ad vivicomburium, aut ad furcam damna-

Liutprand. *lib.* 6. *hiſt. cap. ult. in fin. Poſt hæc pallium ſibi abſtulit, quod ſimul cum Pontificali ferula, quam manu geſtabat, Dn. Papæ Leoni reddidit.* (Otho ſcil. Imperator.) *Quam ferulam idem Papa fregit, & fractam populo oſtendit. Deinde Benedictum in terra ſedere præcepit, & caſulam, quam planetam vocant, cum ſtola pariter abſtulit. Poſt autem omnibus epiſcopis dixit. Benedictum Sanctæ & Apoſtolicæ Sedis Romanæ invaſorem omni Pontificatus & Presbyteratus honore privamus &c.*

damnatus. Vid. Joan. à Leidis *lib.* 31. *hiſt. cap.* 43. Hooft *lib.* 5. *hiſt. edit. Ann.* 1642. *p.* 199. Brant 1. *hiſt.* 9. *p.* 510. ubi & degradandi ſingularem habes ritum. Exempla ejus paſſim Concil. Toletan. IV. *cap.* 27. *Epiſcopus, presbyter, aut Diaconus à gradu ſuo injuſte dejectus, ſi in ſancta Synodo innocens inveniatur, gradus amiſſos recipiat coram altari de manibus epiſcoporum. Si epiſcopus eſt, orarium, annulum & baculum; Si presbyter, orarium & planetam; Si diaconus orarium & albam; Si ſubdiaconus patenam & calicem. Sic & reliqui gradus ea in reparatione ſua recipiant, quæ cum ordinarentur perceperunt.* Ziegler. *de epiſcop. cap.* 32. *n.* 6. Uſitata etiam hac in re ſolemnia quædam verba. Fulbert. Carnotenſ. *epiſt.* 25. *ex Canone Toletano* XI: *cap.* 9. *Depoſitum non reordinabitis, ſed reddetis ei ſuos gradus per inſtrumenta & per veſtimenta, quæ ad ipſos gradus pertinent, ſic dicendo: Reddo tibi gradum Oſtiarii, & cetera, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

TITULUS XI.

DE

Purgatione Canonica & Vulgari.

Purgatio hic nihil aliud quam probatio innocentiæ, cum ſuſpicio eſt contra reum, & deſunt tamen ad convincendum probationes legitimæ. De quibus ſi ſatis conſtet, ſi conſtet cri-

crimen commiſſum, purgatio hæc non habet locum, ſed condemnandus tum reus, *cap. 12. ext. de prob. cap. 15. ext. de purg. vulg.* Mulier quid ſi afferat ſe prægnantem ex Titio, & quid ſi afferat jurata & in doloribus partus? Moribundus quid ſi dicat ſe vulneratum à Mævio? An credetur ſimpliciter? Quid ſi Mævius id neget? Ei an deferetur, an reo potius juramentum? Reus certe hic audiendus, ſi deſint alia argumenta, ſi paratus id ſuſcipiat, & juratus ſe purget. Socin. Jun. 1. *conſ. 61. in fin.* Menoch. 2. *arbitr. n. 16.* Reſp. Holl. 1. *conſ. 301. & 3. conſ. 156.* Groenew. *ad Grot. 3. man. 35. in fin.* Purgatio autem duplex, canonica & vulgaris. Quam probant canones, canonica eſt, & Canonica quod admittant, ut qui ſceleris eſt ſuſpectus juramento ſe ipſum redimat ab omni infamia. Quoties conſtat de ſcelere, pœna ſceleris habet locum. Nec locus tum juramento, *can. cura ſit 11. qu. 3. cap. cum dilectis ext. h. t.* quod defertur tum tantum, cum reum urget ſuſpicio, ſed ſuſpicio, quæ ſola ad condemnandum non ſufficit, *l. ult. C. de prob. cap. 1. ext. de confeſſ. cap. 8. ext. de cohab. cler. & mul. cap. 19. & 21. in fin. ext. de accuſ.* Syneſ. *epiſt. 44.* Εἰ καὶ τύχοις ἀναιτιὸς σὺ καὶ καθαρὸς τῷ θεῷ, μήτε πράξας, μήτε βουλεύσας ἔργον ἐξάγιστον, ἀλλὰ ἡμῖν γε τοῖς ἀνθρώποις οὔπω καθαρὸς, ἕως ἀναπολόγητος ἧς, *Tametſi apud Deum innocens ſis & ſceleris expers, qui execrandum hocce facinus neque factis neque conſiliis admiſeris, nondum tu tamen apud nos homines videris innocens quamdiu purgatus non fueris.* Olim jurabat ſolus, in quem cadebat ſuſpicio. Jurabat ſe inſontem, ſceleris, cu-

 jus

jus arceſſebatur, purum prorſus & immunem. Sed ob metum perjurii lapſu temporis adhibiti etiam compurgatores, qui ejuſdem cum reo ordinis, conditionis, & qualitatis de ejuſdem innocentia teſtimonium perhibebant, jurantes ſe credere eum vera dixiſſe *cap.* 5. 13. *& ult. ext. de purgat. canon.* Et id vulgo jurare eſt manu tertia, aut quarta, aut ſexta, & ſic deinceps *c. ſiquis c. ex tuarum ext. eod.* Allatis aliquot exemplis Ivo de eo eleganter *epiſt.* 206. *Hæc prætaxatorum patrum auctoritas comprobare videtur, quod quilibet clericus mala fama pulſatus ſola ſe manu poſſit purgare, & in ſuo permanere. Verum poſterorum diligentia experta, quod temeraria hominum cupiditas facile adderet flagitio perjurium &c. Poſuerunt hæc in diſcretione epiſcoporum, ut ſecundum quod audiunt malam famam presbyterorum crebreſcere, & ingraveſcere, exigant purgatoria ſacramenta à presbyteris infamatis, eum tribus, aut quinque, aut ſeptem collegis.* Et hi alibi etiam teſtes, conjuratores, ſacramentales, conſacramentales. Auctor *formular. ſecund. leg. Roman. cap.* 31. *Similiter teſtes ſibi ſimiles viſores & cognitores, ſecundum quod ei judicatum fuit, poſt ipſum juraverunt, ut quicquid jam dictus ille de hac cauſa juravit, verum & idoneum ſacramentum dedit.* Capitula Caroli Calvi *tit.* 20. *in fin. Omnia ſimilia reſtituat, aut cum* XII. *teſtibus ſe purget.* Lex Alemann. *tit.* 6. *&* 36. Bajoarior. *tit.* 1. *cap.* 3. Friſon. *tit.* 1. §. 2. Salior. *tit.* 55. Ripuar. *tit.* 3. §. 5. Bignon. *ad Marculf. lib.* 1. *formul.* 38.

Jurabant autem in judicio, delato à judice juramen-

ramento, vel proprio ipſius motu, vel ad rei oblationem, vel perente eo, qui accuſabat *cap. 2. & 6. ext. d. tit.* Juramentum non unum. Aut ſimplex dixi aut corporale *cap. ſuper eo cap. venerabili ext. de ſent. excomm. in 5. Compil.* Simplex quod fiebat alterius manu tacta, manu nimirum noſtra in alterius inſerta. Quæ *manualis* promiſſio *d. cap. ſuper eo*, ut & *manu firmatio* in Caroli Magni Capitulis *lib. 3. cap.* 217. Unde & manum amittit, qui quod manu firmavit, fallit. Lex Longobard. *tit.* 9. *cap.* 38. Ægid. Aureæ vallis in vita Henrici I. epiſcopi Leodienſis *cap.* 1. *Si hoc fecerit homo liber, hereditatem perdat, ſervus autem amittat omne quod habet, & dextram perdat.* Quod contra pacis fractores, quod firmetur hæc juramento manu præſtito, etiam ſtatuit Fridericus II. *lib. 2. feud. tit.* 27. Corporale rurſum varium. Jurabant aut tactis aris, aut evangeliis, aut capſa, in qua reliquiæ erant martyrum. Jurabant aut ſoli, aut ut vulgo cum aliis. Et illi conjuratores. Qui manum capſæ imponebant, quibus invicem complicatis reus ſuas adjiciebat. Ita apud Alemannos. Lex Alemannorum *tit. 6. §. ult. Iſta ſacramenta debent eſſe jurata, ut illi conjuratores manus ſuas ſuper capſam ponant, & ille ſolus, cui cauſa requiritur, verba tantum dicat, & ſuper omnium manus manum ſuam ponat, ut ſic illi Deus adjuvet, vel illæ reliquiæ ad illas manus, quas comprehenſas habet &c.* Jurabant etiam non tacta, ſed propoſita tantum capſa, manu etiam elevata vel ſuper ſanctum altare, vel contra crucem, aut ædem ſacram. Unde & illud *Cruce*

aut *ad crucem contendere*, quod non armis pugnare eſt in crucis formam fabricatis, ſed conceptis ad eam verbis juramentum præſtare, etſi phraſis ambigua eſt. Alibi enim nihil aliud quam ex pluribus fortiri teſſeris, quæ habet crucem ſignatam. Et haud dubie id *examen crucis*, cujus paſſim fit mentio. Caroli Magni Capitularia *lib.* 5. *cap.* 228. *Sancitum eſt, ut nullus examinationem crucis facere præſumat, ne Chriſti paſſio, quæ eſt glorificatio, cujuſlibet temeritate contemptui habeatur.* Certe *cruce* contendere & *ſacramento* contendere interdum invicem opponuntur. Conſtitutio Caroli Magni apud Vit. Amerbachium *p.* 293. *Si ille qui cauſam quærit* XIV. *hominum ſacramentum recipere noluerit, aut cruce, aut ſcuto, aut fuſte contra eum decertet.* Alibi idem quod experiri, utrum ſtans quis ad crucem perſeveret immobilis. Vacillans ſi cecidiſſet quis reus exiſtimatus. Et id crucis judicium. Agobardus: *Jube ferrum vel aquas calefieri, quas manibus illæſus attrectem, aut conſtitue cruces, ad quas ſtans immobilis perſeverem.* Auctor incertus *vett. formul. apud Bignon. cap.* 12. *Sed ipſe in ipſo placito ad ipſum crucem viſus cadiſſe, ſed dum hæc cauſa ſic fuit inventa, quod ipſe ille, qui ad ipſum judicium, vel ad ipſum crucem cadiſſet, ſolidos ducentos ei transſolvere deberet &c.* Vita Karoli Magni apud Pithæum *cap.* 9. *judicio crucis Dei voluntas & rerum veritas inquiratur, nec unquam pro tali cauſa &c.* Id ad crucem exire. Regino *lib.* 2. *de eccleſ. diſcipl. cap.* 243. *Siqua mulier ſe proclamaverit, quod vir ſuus nunquam cum ea coiſſet, exeant inde ad crucem.* Sed vul-

vulgaris purgatio hæc. Nam ſortes rejicit jus Canonicum. Vulgaris, quod nata ex ſuperſtitione, vulgi divinationibus & conjecturis ſubnixa *can. monomachiam* 2. *qu.* 5. Vulgaris etiam, quæ per duellum fit, per aquam calidam, per frigidam, per ferrum candens aut ignitum *cap.* 10. *ext. de exceſſ. Prælat.* Alexander Papa III. *epiſt.* 19. *Ferventis vero aquæ, vel candentis ferri judicium, ſive duellum, quod monomachia dicitur, Catholica eccleſia contra quemlibet etiam, nedum contra epiſcopum non admittit.* Unde Stephanus Papa V. *Ferri candentis*, inquit, *vel aquæ ferventis examinatione confeſſionem extorqueri à quolibet ſacri non cenſent canones.* Jam olim ethnicis uſitatum aqua liberos explorare, utrum ſpurii nec ne. Claudian. in Rufin.

Et quos naſcentes explorat gurgite Rhenus.

Julianus Imper. *epiſt.* 16. *Sic certe Gallis injuriam nullam facit Rhenus, qui ſpurios infantes undis abripit tanquam impuri lecti vindex: quos autem ex puro ſemine ortos agnovit in ſumma aqua ſuſpendit.* Et id *Dei judicium.* Caroli Calvi Capitula *tit.* 39. *cap.* 7. *Dei judicio examinentur & per illud Dei judicium aut liberentur aut condemnentur.* Tentare Deum id & nihil aliud, & idcirco prohibitum *c. conſuluiſti* 2. *qu.* 2. *c. Mennam* 2. *qu.* 5. *cap. ex literis ext. de exceſſ. Prælat. c. dilecti ext. de purg. vulg.* Et paſſim tamen antiquitus nihil frequentius. Abbas Urſpergenſis *Chron. p.* 173. *Per judicium ignis immenſam pertranſiens illæſus pyram &c.* Greg. Turonenſ. 2. *hiſt. cap.* 1. *Ille autem ad ſatisfaciendum*

adhuc populo prunas ardentes in byrrum ſuum poſuit, & ad ſe ſtringens uſque ad ſepulcbrum beati Martini una cum populorum turbis accedit. Projectiſque ante ſepulchrum prunis, veſtimentum ejus inuſtum apparuit. Eam vim tum in animis habebat jam ſuperſtitio, ut ejuſmodi judiciis & ſe probarent innocentes & alios nocentes. Bertold. Conſtantienſ. ad Ann. 1089. *Hic eſt ille Petrus, qui Petrum Papienſem, Florentini epiſcopatus invaſorem, per judicium ignis Simoniacum eſſe probavit.* Imo ut aſſererent iis fidem Catholicam. Nam & ferro candenti formata in modum chirothecæ aſſeruit eam Boppo. Vid. Annal. Fuldenſ. *ad Ann.* 858. Ditmar. *lib.* 2. *Chron. p.* 18. Albert. Abb. Stadenſ. *ad Ann.* 974. Andr. Presbyt. *in Chron. Bav. ad Ann.* 1434. Vett. Leg. Scotiæ apud *Skena. lib.* 4. *cap.* 17. Gobelin. Perſon. *Coſmodrom. ætat.* 6. *cap.* 32. Meibom. *ad Witichind. p.* 75. Goldaſt. *to.* 3. *conſt. imp. p.* 254. *& ſeq.* Marian. *lib.* 5. *hiſt. cap.* 7. *& lib.* 6. *hiſt. cap.* 9. In Anglia id duravit uſque ad tempus Henrici III. quo non tam lege quam deſuetudine ob reverentiam juris Pontificii tandem prorſus evanuit. Selden. *ad Eadmer. in not. p.* 48. Ivo de eo eleganter *epiſt.* 252. *Non attendentes*, inquit, *quia nemo debet tentare Deum ſuum, quamdiu habet quid faciat. Tunc enim tentat homo Deum ſuum, quando poſtpoſito ordine judiciario per examinationem candentis ferri vel aquæ ferventis divinum requirit teſtimonium.* Sed jam dixi quod ſufficit *lib. de probat. cap.* 2. *n.* 100. Purgatio canonica etiam in civilibus olim paſſim permiſſa *cap.* 1. *ext. de confeſſ. cap.* 5. *& ult. ext.*

ext. de frigid & malefic. Wendelin. *gloſſar. ad leg: Salic. verb. Jurare.* Baluz. *ad Reginon. de eccleſ. diſcipl. lib.* 2. *cap.* 43. Juret. *ad Ivon. epiſt.* 206. Sand. *ad conſ. feud. Gelr. tr.* 3. *cap.* 5. Solus qui jurabat, dicebatur ſe purgare ſola manu, aut manu propria, aut manu propria jurare, *lib.* 2. *feud. tit.* 27. §. *ſi ruſticus.* Reliqui ſic ut dixi. S. Bernard. *epiſt.* 235. *Niſi Decanus, quod objectum ei fuerat, propriæ manus juramento repelleret.* Vetus jus Tranſiſulanicum *part.* 3. *art.* 8. *Und wert ſake, datmen an den doetſlage wen ſchult geve, de gene ſchult en hadde, die ein denſtman were, die mochte ſick dat affnemen met ſiner einer hant, und ein ſchotbaer man met ſijner twelffter hant.* Si cum pluribus, ſe non feciſſe, occidiſſe, debere jurabat reus. Reliqui ſe credere reum dicere veritatem. Innocentius Papa Tertius 4. *epiſt.* 158. relata *in cap. accepimus ext. de purg. canon. juret ſe minime commiſiſſe &c. & compurgatores ſic jurent, quod credunt eum verum juraſſe: quo facto vos illum dimittatis in pace.* Nec quivis ſemper admiſſi, ſed qui, ut dixi, ejuſdem ordinis, & pro perſonæ qualitate aut plebeji aut nobiles. Hermann. Contractus ad Ann. 899. *Uta Regina adulterii crimine cum quibuſdam viris infamata* LXXII. *Principum juramento Ratisbonæ in conventu eſt abſoluta.* Caroli Calvi Capitula *tit.* 12. *cap.* 5. *Secundum quod conſtitutum eſt in Capitularibus avi & patris noſtri in libro* 3. *cap.* 23. *Si Francus eſt, cum duodecim ſimilibus Francis juret, quod ipſe latronem eum fuiſſe non ſciſſet.* Nicolaus Papa I. *epiſt.* 58. *duodecim illuſtres Comites juramento ſuo rite repro-*

 mit-

mittere juſſit ſe de cætero ita Theutpergam fore retenturum & tractaturum, quemadmodum regem legitimam conjugem ſuam Reginam retinere convenit & tractare. Chronic. Virdunenſ. apud Labbeum *to.* I. *nov. Biblioth. p.* 261. *Purgationem Eduenſis ſuſcepit, Lugdunenſi proſequente, & juramentum ejus ita confirmante: Credo Norgaudum iſtum Eduenſem epiſcopum vera juraſſe, Cabillonenſi quoque in id conſentiente & idem jurante.* Add. Gualter. Archidiacon. de vita Caroli Comitis Flandriæ *apud Henſchen. to.* I. *Sanct. Mart. cap.* 4. *n.* 24. Alteſerr. *ad Greg. lib.* 7. *epiſt.* 52. Ex rei parte hi adhibiti, ſed exemplum nihilominus, quo ex parte etiam actoris, ſi calumniæ is ſuſpectus. Pactus pro tenore pacis Dominorum Childeberti & Clotharii Regum apud Baluz. *to.* I. *Capitular. Siquis ingenuam perſonam pro furto ligaverit, & negator extitit, duodecim juratores medios electos dare debet, quod furtum quod obicit verum ſit.* Add. Alteſerr. *ad cap. inter ſollicitudines ext. de purg. canon.*

Alia moribus hodiernis adhuc ſpecies purgationis, qua qui criminis ſuſpectus ultro exhibet ſe accuſandum, & à Curia Provinciali, citari eos curat, qui eum habent ſuſpectum, ut vel accuſent ſi velint, vel ſileant, ſi non poſſint, & mox videant ſolutum carcere & innocentem dimitti. Waſſen. *pract. jud. cap.* 28.

TITULUS XII.

DE

Abſolutione & de Pœna homicidii.

Abſolutio eſt remiſſio aut relaxatio cenſuræ data aut conceſſa juxta formam eccleſiæ. *Remiſſa* etiam alibi. *Remiſſa* idem quod remiſſio, ut apud Tertullian. 4. *contr. Marcionem cap.* 18. Sic *aſcenſa* pro aſcenſio, *proba* idem quod probatio *l.* 1. *C. Th. de ſtrator.* Aſcenſa Domini in Regulis S. Benedicti. *Data* dixi aut *conceſſa.* Ab eo nimirum data qui cenſuræ illigavit. Ab alio non poteſt. Nec ab alio poteſt recipi ab alio excommunicatus, *can.* 6. *Synod. Antiochen. can. ſiquis* 11. *qu.* 3. nec ab alio poteſt rurſum communioni reſtitui, *arg. l.* 35. *l.* 153. *ff. de reg. jur.* Synodus Antiochena *can.* 6. *Siquis à proprio epiſcopo fuit excommunicatus, ne prius ab aliis ſuſcipiatur, quam ſuo reconcilietur epiſcopo, vel ſynodo, quæ congregatur, accedens ſe defenderit, & perſuaſa ſynodo aliam ſententiam retulerit &c.* Unde & nomen excommunicati & parochis in diœceſi & vicinis miſſum epiſcopis, ut quiſque in ſuo id publicaret ad valvas eccleſiæ *can. cura* 11. *qu.* 3. Ivo *epiſt.* 76. *Sic antiquitus eſt inſtitutum, & nuper in Arvernenſi concilio omnium epiſcoporum qui aderant conſenſu confirmatum, ut ab uno epiſcopo quemlibet pro injuriis eccleſiaſticis excommunicatum vicini quoque epiſcopi excommunicent.* Idem *epiſt.* 194. Syneſ. *epiſt.* 58. A Papa tamen

men poteſt, ſi ſententiæ id adjectum, quod ab alio quam à Papa abſolvi non poſſit, aut ſi is qui excommunicavit jam in fata conceſſit. Nam idem etiam poteſt & qui ei ſucceſſit, & qui eo eſt ſuperior. Imo & quivis Presbyter cum vitæ eſt periculum *cap.* 5. *&* 26. *ext. de ſent. excomm.* *Syneſ. *epiſt.* 67. *Tantulum ergo hoc mihi ſumpſi, ſi Lamponiano fatalis neceſſitas immineret, & præſtituta mortis dies adeſſe videretur, tum omnibus, qui eo tempore intereſſent, Presbyteris conceſſi, ut eum in communionem eccleſiæ reciperent. Nemo enim, quantum in me erit, eccleſiaſticis vinculis obſtrictus morietur.* Ziegler. *lib.* 3. *de epiſcop. cap.* 13. *n.* 18. Perquam ergo execrabilis ſævitia olim Papæ, à quo nec mortuus abſolutus Henricus IV. Imperator, relictus Spiræ inhumatus adhuc totum quinquennium. Abbas Urſpergenſ. *hiſt. p.* 192. Certe indignius vix quicquam, ſi præſertim attendas cauſam, qua motus Papa, & quæ ipſi non alia, quam immanis ambitio. Non eſt, ſcio, abſolutio, niſi adſit & ſatisfactio, aut præſtetur ſaltem de ea cautio *cap.* 11. *cap.* 51. *ext. de ſent. excomm. cap.* 8. *ext. de offic. jud. ord.* Sed jam acceperat etiam Papa, poſtquam triduum Imperator regio cultu depoſito ante portam Canuſii indutus laneis perſtitiſſet, & multis precibus petiiſſet ſe recipi in communionem. Tandem ſcilicet tum recepit. Sed fucata receptio. Idem Papa cum conjuraſſet in necem optimi Principis, ſtructis interim inſidiis, & pleriſque in Germania ad rebellionem concitatis, abſentem eum & inauditum rurſum diris devo-

* Concilium Carthaginienſe *can.* 32. *Ut Presbyter inconſulto epiſcopo non reconciliet pœnitentem, niſi abſente epiſcopo & neceſſitate cogente.*

devovit. Abb. Urſpergenſ. *hiſt. p.* 170. *& ſeqq.* Tam durum in odium ſacrificuli impotentis, in manus cleri incidere. Pervicax nimis odium, & quod admodum difficulter & ſine nota ignominiæ expiari vix poteſt. Ipſa etiam abſolutio augebat potius quam delebat, ut vindictæ fieret complementum, illatam injuriam. Abſolutio cum dabatur denudati etiam rei, & ſic virgis cæſi per vias publicas in eccleſiam propulſi. De Comite Tholoſano Petr. Monachus *hiſt. Albigenſ. cap.* 12. *Modus autem reconciliationis & abſolutionis talis fuit. Inductus eſt Comes nudus ante fores B. Ægidii, ibique coram Legato, Archiepiſcopis, & epiſcopis &c. juravit ſuper corpus Chriſti &c. Mox Legatus ſtolam ad collum Comitis poni fecit, ipſumque Comitem per ſtolam arripiens abſolutum cum verberibus in eccleſiam introduxit. Nec ſilendum, quod cum Comes Toloſæ introduceretur in eccleſiam, ſicut diximus, B. Ægidii cum verberibus &c.* De Duce Lotharingiæ Laurentius à Leodio apud d'Achery *to.* 12. *Spicil. Pene nudus & diſcalceatus genuumque & brachiorum poplitibus flexis, rependo ſe per terram trahens ita ex ſummo urbis uſque ante majus altare eccleſiæ, quam incenderat, proceſſit, ibique multis verberibus ut dicitur ſe ſubmiſit.* Et eo cleri protervia & ſumma animi impotentia interdum proceſſit. Scio mitius etiam actum.

Objiciunt Græci id Pontificiis, & vitio vertunt apud Coteler. 3. *monum. eccleſ. Gr. p.* 499. *Ab excommunicatione*, inquiunt, *aliquem dum ſolvunt, denudant eum uſque ad lumbos*, κὴ μαςίζοντες ἐπὶ γυμνὸν λώροις, ἢ λύγοις, ἀπολύουσιν ὡς συγκεχωρημένον αὐτόθεν. *& qua parte nudus eſt flagellantes locis vel virgis inde tanquam venia donatum dimittunt.*

actum. Omiſis virgis deducti rei ad fores eccleſiæ. Humi ibi proſtrati in conſpectu adſtantis populi inſtanter veniam poſtulabant. Duodecim aderant ſacerdotes. Ubi ſigna pœnitentiæ evidentia apparuere, levati de terra, recepti in eccleſiam. Pſalmi pœnitentiales cum iſtis precibus recitati, *κύριε ἐλέησον*, *Pater noſter*, *Salvum fac populum &c.* Quo ritu abſoluti & communioni reſtituti *can. cum aliquis* 11. *qu.* 3. Regino *lib.* 2. *de eccleſiaſt. diſcipl. can.* 414. Et ſic legitur abſolutus Joannes Rex Angliæ. Matth. Paris ad Ann. 1213. *Videntes ergo Archiepiſcopus & epiſcopi tantam Regis humilitatem cum lacrymis illum de terra levaverunt ducentes à dextris & à ſiniſtris ad oſtium eccleſiæ cathedralis, ubi cum pſalmo quinquageſimo videntibus magnatibus cunctis, & ubertim præ gaudio flentibus, ſicut mos eſt eccleſiæ, illum abſolverunt.* Sed & durum id & infame. Nec aliter tamen ſacra hæc quam damno famæ & facultatum tum temporis conſtabant. Exemplum addam ex diœceſi. Charta eſt Ann. 1367. quæ ſe habet, ut ſequitur:

Allen luden die deſen brief ſullen ſien of hooren leſen doen wi verſtaen Vrederic *van* Hekeren *Ridder, ende Lutgaert wittelicke wyf Heren Vredricx voerſz., dat een ſcheydinge ende overdracht geſchiet ende gedaen is tuſſchen Eerſamen Heren den Deken ende Capittel van den Dom t'Utrecht aen die ene ſyde, ende ons aen die ander ſijde alſe van den pleyte, twiſt, ende ſtoet, die geweeſt heeft langen tyt, ende van dien coſte, die daerom in den pleyte gedaen is, ende van der vede ende vyantſcap, die daer af geco-*

gecomen is roerende van den nyen tienden grof ende ſmal van den lande geheten Emermerſch gelegen in den Stichte van Utrecht, ende in den carſpel van Dalveſſem, alſo alſe die brieven, die ane beyden ſyden daer op gemaeckt ſyn begrepen hebben. Voort ſo bekennen wi, dat in den ſelven overdracht ende ſcheydinge mede gededingt is, dat want ick Vrederic voerſz. Godts dienſte dicke ende menichwerve gehindert hebbe, overmits den Banne, daer ick inne bin, ende langhe in geweeſt hebbe, roerende van den ſelven ſaecken voerſz., om dat Gode van Hemelrike ende der heyliger Kercken te beteren, ſoo ſal ick Vrederic *ſulcke penitentie ende beteringhe doen alſe hier na beſcreven ſtaet, ende gelove die te doen in goeden trouwen ſonder arbeyt. In den eerſten ſoo ſal ick* Vrederic *voerſz. ſelve comen, ofte twee van mynen maghen walgheboren goede luden, waert dat ick van noorſaken dat kenneliick ware ſelve niet comen en mochte, ſenden t'Utrecht op Sinte Martyns dach in den wynter naeſtcomende na der daten des briefs mit tween tortiiſen elck van achtien pont waſſes, ende die ſelve tortiiſen laten draghen op den ſelven dach, ende gaen dan mit mi tienden voor den Cruycen in der proceſſien bloets hals ende voets, ende offeren die tortiiſen op den overſten altaer in den Doem voerſz. op ten Choer in die eere Godts ende Sinte Martins. Voort ſo ſel ick* Vrederic *voerſz. ſelve in mynre perſoon mit tien anderen walgheboren luden mynen magen comen ende weſen te Deventer op alreheylighen dach naeſtcomende na der daten des briefs mit tween tortyſen elck van achtien pont waſſes, ende die ſelve tortyſen laten dragen op den ſelven*

ven dach voor den Crucen in der Proceſſien, daer ick dan mitten anderen mede voorgaen ſal bloets hals ende hoefts, ende offeren dan die tortijſen op den ouerſten altaer, opten Choore, in die eere Godts, Sinte Martins, ende Sinte Lebuyns, in die Kercke te Deventer. Ende waert dat ic van nootſaecken, dat kennelyck waer, dat ſelve niet doen en mochte, ſo mach ick voor mi ſenden aldaer thien goeder luden alſe voorſz ſijn, die dat voor my doen. Voort ſo ſal ick Vrederic *voerſz ſelve mit thien goeder luden van mynen maghen alſe voerſz ſijn comen te Dalſem op onſer Vrouwen dach te Lichtmiſſen nu naeſtcomende mit eenre tortijſen van thien pont waſſes, ende desgelycks aldaer dan gaen bloots hals ende hoefts alſe voerſz is voor den Crucen, en offeren die tortijſen in die Kerke voor den heyligen Sacramente in allen manieren alſe voerſz is. In oerconde deſer dingen voerſz ſo hebben wi Vrederic ende Lutgaert voerſz onſe ſegelen aen deſen brief gehangen. Gegeven int jaer ons Heeren* M. CCC. *ſeven en t'ſeſtich des Donredachs na onſer Vrouwen dach aſſumptio.*

Quo magis autem conſtaret pœnitentia reum duci, nam neceſſe eſt ut id conſtet *c. ſacris ext. de ſentent. excomm.* juratus etiam promittebat ſe pariturum eccleſiæ. Et hinc eſt, quod mortuus, quia ſcilicet in mortuum pœnitentia non cadit, abſolvi non poteſt. Non habet amplius eccleſia poteſtatem in mortuum. Nec ligari poteſt, nec poteſt ſolvi, Dei judicio reſervatus *can. quodcunque* 24. *qu.* 1. Ivo *epiſt.* 96. *Defunctis communionem interdicere non debemus, quibus vivis non interdiximus: ſicut defunctis illis communicare non debemus, quibus*

bus vivis non communicavimus. Non enim data eſt poteſtas eccleſiæ alia ligare vel ſolvere, niſi quæ ſunt ſuper terram. Atque eo uſus prætextu Papa injuſte excommunicatum Henricum IV. non ſolvit. Sed nulla lex, nullus canon, nulla regula ſatis efficax contra cleri proterviam. Negligitur, contemnitur, quotieſcunque ſpes lucri. Diris mortuos devoveri olim Canones non paſſi. Et devoti tamen paſſim, poſterioribus inprimis ſeculis, cum ſuaſiſſet utilitas, & aucta cleri poteſtate ruerent cuncta in pejus. Semel legitur feciſſe id Gregorius Papa I. excommunicaſſe ſcilicet monachum ob inventam poſt mortem ejus apud ipſum pecuniam *cap. cum ad monaſterium ext. de ſtat. monach.* Quod ex dialogis ejus ſumptum *lib.* 4. *cap.* 4. Progreſſu temporis nihil crebrius. Ex libello Curiæ Provincialis, quæ Ultrajecti, oblato Cæſari Ann. 1536. 17. Maji. *Dan u waer dat in 't jaer* XXXI. *of* XXXII. *die onderſaten van Schalcwijck ende andere Dorpen den Hove van Utrecht claechden, dat by den geeſtelycken Officiers groote menichte van huyslieden recht voor Paſchen gedenuntieert wierden in den banne, onder die welck waren eenighe, die over* X. *of* XII. *jaren doot geweeſt hadden. Welcke denunciatie veel geſchiede* ad nullius inſtantiam, *dan alleen om den Fiſcaal ofte Regiſter-houder t'gelt te doen hebben van der abſolutie ofte relaxatie tot naer Paſchen. Daer op den Procureur Generael gelaſt was informatie te doen, ende nae daer van den Hove gebleken was, ende datter met honderden alſo in den ban gedenuntieert waren &c.* Expreſſe id Cæſar jam vetuerat edicto Ann. 1533. 10. Febr. *Item datmen voirtaen niemant denuntieren*

ſal

ſal geexcommuniceert, by en ſy in levenden lyve, accederende daer toe t'verſoeck van partye. Sed non deſtiterat tamen clerus, ut Curia Provincialis ibidem ſignificat, *is mogelicken, dat den Paſtoren aldaer geſchreven macb ſijn, dat ſy op ſulcke denunciatien van banne niet ſouden achten, byſonder die gegeven waren tegens t'bevel van den Keyſer propter clauſulam irritantem &c.* Et tantum potuit apud clerum, quæ tam valide eum obſedit ſemper, inſatiabilis cupiditas

Immodici cenſus. Nam dives qui fieri vult,
Et cito vult fieri: ſed quæ reverentia legum;
Quis metus aut pudor eſt unquam properantis avari?

Cæterum abſolvit reum non eccleſia tantum ſed & Princeps. Quod fit cum jus utrumque & civile & Canonicum pœnam in reum ſtatuit, ut in reum homicidii, *t. tit. ext. de homic. volunt.* De cæde, de parricidio, & judex eccleſiaſticus & ſecularis cognoſcit. Sed judex eccleſiaſticus, cum pœnam in reum ſanguinis pronunciare non poſſit, anathemati tantum ſubjicit, ſed perpetuo anathemati, à quo non aliter poteſt rurſum abſolvî, quam in extremo demum vitæ halitu *can.* 22. *Syn. Ancyr. can.* 78. *collection. Martini Bracarenſis.* Secularis ultore ferro homicidas perſequitur §. 5. *Inſt. de publ. jud.* ſi dolo hominem occiderint, *l.* 7. *ff. ad l. Corn. de ſic.* niſi eum occiderint ad vitæ defenſionem, aut pudicitiæ, vel ſuæ, vel liberorum ſuorum, *l.* 3. *§. pen. ff. ad l. Corn. de ſic.* Quo caſu abſolvuntur, ſed non alio tamen modo, quam Principis indulgentia, reſcripto

ſcripto, aut codicillis ejus manu ſubſcriptis *l. eum qui* 5. *C. ad l. Corn. de ſic. nov. Valentinian. de homicid.* Quod ſi miles quem occiderit, aut miniſter, ſeu viator, Ducis juſſu aut magiſtratus, crimen nullum committitur *can. miles* 23. *qu.* 5. *cap. paſtoralis* §. *quod vero ext. de off. jud. del.* ut nec committitur, ſi occidat quis ad vitæ defenſionem, aut ſi furem, aut latronem, qui ſe telo defendit, & cui parci non potuit ſine vitæ periculo, *l.* 4. *pr.* & §. 1. *ff. ad l. Aquil. l.* 9. *ff. ad l. Corn. de ſic. l.* 1. *C. Qu. unic. lic. ſe ſin. jud. cap. ſignificaſti ext. de homic. volunt.* Germanis pœna homicidii pecuniaria olim tantum. Tacit. *de morib. German. Luitur enim etiam homicidium certa armentorum ac pecorum numero, recipitque ſatisfactionem univerſa domus.* Nec alia fuit Gotthis, Alemannis, Francis, Friſiis, Bajoariis, Ripuariis. Lex Alemannorum *tit.* 29. & *ſeqq. tit.* 49. 68. & 79. Bajoariorum *tit.* 1. *art.* 8. & *ſeqq. tit.* 3. §. 13. & *ſeqq.* & *tit.* 18. Ripuariorum *tit.* 7. & *ſeqq.* & *tit.* 56. Friſiorum *tit.* 1. & *ſeqq.* Saliorum *tit.* 56. & 65. aliorumque. Add. Leg. Opſtalbomic. *tit.* 1. §. 7. & 11. & *ſeqq.* Et nec cædes facta ex inſidiis, imo nec parricidium apud eos capitale. Hereditas interfecti ablata tantum parricidæ, & bona ipſius omnia redacta in fiſcum. Lex Friſiorum *tit.* 19. *Siquis patrem ſuum occiderit perdat hereditatem quæ ad eum pertinere debebat.* Add. *conſtit. Henrici II. Imp. tit. de parricid.* Lex Ripuariorum *tit.* 15. *Siquis ingenuus ingenuum Ripuarium interfecerit, & eum cum ramo cooperuerit, vel in puteum, ſeu in quocunque libet loco celare voluerit,*

luerit, quod dicitur Mordritus, DC. ſolidis culpabilis judicetur, aut cum LXXII. juret. Lex Longobard. *tit.* 5. *de Morth. Siquis homicidium in abſconſo perpetravit &c.* Non tanti tum homicidium. Delictum leve, non atrox. Nam & levius quam furtum. Lex Saxonum *tit.* 2. *§. 6. Si mordrum totum quis fecerit, componatur primo in ſimplo juxta conditionem ſuam. Cujus mulcta pars tertia &c.* Eadem *tit.* 4. *Qui caballum furaverit capite puniatur.* Add. leges Angliorum *tit.* 1. Bignon. *ad Marculf. lib.* 1. *cap.* 18. Luebat ære adhuc homicida, multis ſaltem in locis, cum furem quinque ſolidorum capite puniri voluit Fridericus Barbaroſſa *lib.* 2. *feud. tit.* 27. *de pac. tenend. §. ſiquis ult.* Et diu certe id obtinuit. Etiam Ultrajecti. Statutum Ultrajectinum Ann. CIↃ. CCC. LXXIII. *In 't jaer onſes Heeren* 1373. *des maendachs op Palmdach, overdroech de Raet out ende nieuwe, waer ymant van onſen Borgheren, die enen man dootſloege die gene Borger en waer, die zel leggen in den toern ſes weken langh, ende daertentends niet uten toern komen, hi en hebbe eerſt den Raet van der Stadt ſekerhede gedaen na der Stat rechte, den doden te ſoenen bi den Rade van der Stat, ende dan van den toern komen in hembde ende broeke voer der Stadt klocken, ende den Rade vergiffeniſſe bidden, ende der Stàt beteringhe doen van ſinen broecken, daer die minſte broecke af weſen ſal* 25000 *ſteens &c.* Neglectum ſic jus divinum. Neglectum etiam Romanum, donec tandem utrumque per univerſam Europam, malitia hominum abundante, quamvis ſerius receptum.

TITULUS XIII.

DE

Sepulturis.

CRemabant corpora defunctorum non condebant Romani *arg. l.* 2. §. 8. *& l.* 8. *ff. de relig. & ſumpt. fun.* Ovid. *Amor. lib.* 3. *eleg.* 7,

Ille tui vates operis, tua fama, Tibullus,
Ardet in extructo corpus inane rogo.

Idem 4. *metam.* 4.

Quodque rogis ſupereſt una requieſcit in urna.

Unde & Taciti illud de Judæis, ut aliquid ſingulare; *Corpora condere quam cremare ex more Ægyptio.* Idem de Poppæa *annal.* 15. *Corpus non igni abolitum ut Romanus mos &c.* Nec veteris tamen inſtituti id, nec poſtquam paſſim receptum, duravit diutius, quam uſque ad Magnum Theodoſium, ſub quo corpora rurſum condita, ut eſſet id tanquam pignus futuræ reſurrectionis *can. non æſtimamus* §. *corpori* 13. *qu.* 2. Plin. 7. *hiſt. cap.* 54. *ipſum cremare apud Romanos non fuit veteris inſtituti: terra condebantur. At poſtquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc inſtitutum. Et tamen multæ familiæ priſcos ſervavere ritus: ſic in Cornelia nemo ante Syllam Dictatorem traditur crematus.* Vid. Hier. Mag. 3. *miſcell.* 10. Nec intra urbem in templis ſed extra eam Romani in prædiis ſepeliebant, *l.* 5. *ff. de ſepulchr. viol. Cuj.* 13. *obſ.* 35. Et quiſque in

ſuo ſepeliebatur, §. 9. *Inſt. de relig. & ſumpt. fun.* In alieno non licuit, *d.* §. *l.* 2. §. 1. *ff. de relig. & ſumpt. fun.* Oſſa ejici rurſum poterant, ſi illata in alienum, ejici ſcilicet rurſum auctoritate Pontificum, *l.* 8. *ff. eod.* In urbe etiam ſi illata conſtituta erat pœna XL. aureorum *l.* 12. *C. de relig. & ſumpt. fun. l.* 3. §. 5. *ff. de ſepulchr. viol.* Ipſi Cæſares ſepulti extra urbem ad ripam Tiberis. Tacit. *lib.* 3. *annal. Nave ac mox Tiberi devectus auxit vulgi iras, quia navem tumulo Cæſarum adpulerat.* Soli Trajano ob magnitudinem virtutis, & ſingulari beneficio nonnullis ſtante Republica & in urbe id conceſſum. De Trajano Eutropius *lib.* 8. *hiſt. Inter Divos relatus eſt, ſoluſque omnium intra urbem ſepultus eſt.* Cicer. 1. *Tuſcul. quæſt. An tu egreſſus porta Capena cum Calatini, Scipionum, Serviliorum, Metellorum ſepulchra vides, miſeros putas illos?* Idem 2. *de legib. Claros viros credo, Tite, fuiſſe, aut eos, quibus hoc ante hanc legem virtutis cauſa tributum eſt, ut Poplicolæ, ut Tuberto, quod eorum poſteri jure tenuerunt, aut eos, ſiqui hoc, ut C. Fabricius, virtutis cauſa ſoluti legibus, conſecuti ſunt.* Add. Plutarch. *in Publicol. in fin.* Sed incrementum cum cepiſſet Chriſtiana religio, & ſervari religioſe admodum cœpiſſent Martyrum reliquiæ, uſtio paulatim deſiit, & condi corpora paſſim cœpta. Auguſtin. *lib. de cura pro mortuis cap.* 4. Roſweyd. *ad Paulin. carm.* 15. In cryptis id primum factum. Romæ in catatumbis ſecundo ab urbe miliari. Anaſtaſ. Biblioth. *in Adriano: Foris portam Appiam milliario tertio, in loco qui appellatur Catatumbas, ubi* corpus

Idem urbium conditoribus apud Græcos etiam datum, ut notat Pindari Scholaſtes: *οἱ γὰρ οἰκισταὶ*, inquit, *ἐν μέσαις ταῖς πόλεσιν ἔχουσι τύμβον*. *Nam conditores ſepulchrum habent in mediis urbibus.*

corpus beati Sebaſtiani martyris cum aliis quieſcit. Gregor. *lib.* 3. *epiſt.* 3. *Ad ſecundum urbis milliarium, in loco, qui dicitur Catatumbas.* Idem de *mirac. martyr. cap.* 71. *Hic in abdito crypta, ut paſſio declarat, martyres Ferreolus atque Ferrucio ſunt ſepulti.* Dein loca ad id deſtinata in externo templorum ambitu, quæ quod fideles ibi velut dormiant, *Joh.* 11. *verſ.* 11. *& ſeqq.* κοιμητήρια, *cœmiteria.* In externo, inquam, templorum ambitu. Nam in templis non ſtatim licuit. *c. nullus* 13. *qu.* 2. Optatus *lib.* 6. *Quid referam etiam illam impietatem de veſtra conjuratione venientem, quia ad hoc baſilicas invadere voluiſtis, ut vobis ſolis cœmiteria vindicetis, non permittentes ſepelıri corpora Catholica, ut terreatis vivos, male tractetis & mortuos, negantes funeribus locum.* Concil. Anglic. *p.* 45. *Decernimus etiam, ut nemo quempiam in eccleſia ſepeliat &c. & p.* 590. *Nemo in eccleſia ſepeliatur.* Mox quo quiſque eſſet propior Sanctorum reliquiis, quæ in eccleſiis ſub aris conditæ, in eccleſiis etiam ipſis. Nec ſtatim tamen in navi, in choro, aut ad majus altare, ſed in porticu, in atrio, in exedris eccleſiæ. Agobard. Lugdun. *de diſpenſ. rer. ecleſ. cap.* 15. Et magno honori id deputatum, ſi vel ibi id contigiſſet. Fr. de Roye *lib.* 1. *de jur. honorif. in eccleſ. cap.* 9. Senſim deinceps id factum, cum conſtantiam præſertim Præſulum expugnaſſet ambitio, ut ubique in eccleſia, & in quavis ejus parte, quivis mandati terræ, quos clerus dignos cenſuiſſet, dignos ſcilicet ex donis & in eccleſiam beneficiis, non ex vitæ ſanctitate. Nam vix pre-

tium id virtutis. Opum potius præmium & argumentum ſatis certum, poſtquam eo etiam infamis proceſſit cleri avaritia, ut non viros tantum illuſtres, ſed & quoſvis indiſtincte, obſcuro loco etiam natos, pecunioſos modo & opulentos, honoratiori loco humaret juxta cancellos, aut ad majus altare, ut in Synodo Andegavenſi eſt Ann. 1273. apud Bochell. *lib.* 3. *decret. eccleſ. Gallic. tit.* 18. *cap.* 52. Fr. de Roye *lib.* 1. *de jur. honorif. in eccleſ. cap.* 9. *& lib.* 2. *cap.* 2. Bart. *ad l.* 2. *C. de ſacroſ. eccleſ.* Et quiſque etiam, quantum potuit, unice id tantum egit, ut fato functus quam proximus eſſet Sanctorum reliquiis. Ambroſ. *ſerm.* 77. *Ideo à majoribus proviſum eſt, ut Sanctorum oſſibus corpora noſtra ſociemus, ut dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat.* Paulin. *carm.* 15.

Ut de vicino ſanctorum ſanguine ducat,
Quo noſtras illo purget in igne animas.

Reliquiæ, λείψανα τῶν ἁγίων, non corporis tantum partes, non cineres tantum aut oſſa, ſed veſtes etiam, ſudaria, crines, baculi, calceamenta, quæ & linteis obvolvebant. Lintea hæc, quæ & vela, *Sanctuaria* etiam & *brandea* apud Gregorium Magnum *lib.* 3. *epiſt.* 30. & Gregorium Turonenſem *de glor. martyr. cap.* 28. Magnæ credita hæc virtutis, & præſens adverſus hoſtes, adverſus morbos, remedium. Anſelm. Gemblacenſ. ad Ann. 1141. *Corpus B. Lamberti ad locum obſidionis juſſit deferri, ſic ſperans quod inchoaverat proſperari & accelerari.* Othlonus *de vita S. Bonifac. cap.* 26. *Audito tumultuantis turbæ impetu primo quidem*

quidem ad munimenti ſpiritualis aſylum confugit, ſumens videlicet Sanctorum reliquias &c. Monachus Sangallenſis *de geſt. Car. Magn. cap.* 4. *Cappam S. Martini, quam ſecum ad ſui tuitionem & hoſtium oppreſſionem jugiter ad bella portabant, ſancta ſua appellare ſolebant.* Vino, aqua, abluebant, cujus hauſtu putabant prorſus ſe reſtitutum iri priſtinæ ſanitati. Semper autem ad manum ſi urgeret neceſſitas. Et domi aſſervabant, & educebant ſepulchris. Foramen etiam in altari, feneſtra, aut feneſtella, per quam reliquias inſpiciebant, non quoties, aut quando vellent: ne crebra illa inſpectione in contemptum adduceretur plebs, ſed natali cujuſque die. Natalis autem dies, non quo quiſque erat natus, ſed quo paſſus deceſſerat. Græci vocant τελείωσιν, Latini etiam paſſim *diem depoſitionis.* Ambroſ. *ſerm.* 70. Euſeb. *lib.*4. *cap.*14. *παρέξει ὁ κύριος ἐπιτελεῖν τὴν τοῦ μαρτυρίου αὐτοῦ ἡμέραν γενέθλιον, εἴς τε τὴν τῶν προηθληκότων μνήμην, Dominus praſtabit, ut celebrem ejus martyrii diem inſtar natalis feſti recolamus.* Henricus Monachus de vita S. Germani *lib.* 4.

Hoc ſcitote prius mundo clareſcere nomen
Quattuor ante dies, hac ſunt natalia Sancti,
His martyr factus felici ſorte Calendis.

Cancelli porro fores erant feneſtratæ, quibus populus à clero, quibus navis eccleſiæ à ſacrario diſtincta. Sacrarium, in quo altare. Unde & vulgo altarium. Sanctuarium etiam alibi, ut & *Sancta ſanctorum.* Etiam Presbyterium, ut in *can. Sacerdotum de conſecrat. diſt.* 2. Excluſi hoc prorſus laici interjectis cancellis *cap.* 1. *ext. de vit.*

& hon. cler. Accedere ad eos licuit. Ultra autem non licuit. Honoratior, qui iis propior. Sozom. *lib.* 7. *hiſt. cap.* 24.

Et quia is honoratior, ubique autem magiſtratui etiam honor præcipuus, locus juxta cancellos ei, *Senatorium* vulgo dictus. Ibidem alius fundatori, & eccleſiæ εὐεργέταις, ut docet Ordo Romanus. Fr. de Roye *lib.* 2. *de jur. honorif. in eccleſ. cap.* 8. Sed poſtquam paſſim jam præpotens non hic ſubſtitit ſuperſtitio, verum temporis progreſſu & cancellos pervaſit. Et intra eos admiſſi primum, qui vel meritis ſublimes, vel fundatores eccleſiæ. Synodus Wigornienſis Anno 1240. *can.* 3. *Nec laici ſtant in cancellis, dum celebrantur divina, ſalva tamen reverentia patronorum, & ſublimium perſonarum.* Chaſſan. *catal. glor. mund. part.* 4. *conſid.* 80. Mox alii etiam quivis, ne qui ſepulti ibi illuſtres gloria ſanctitatis detrectarent ſic pro eo quem habebant ſibi proximum, intercedere apud Deum. Ita enim Auguſt. in *lib. de cura pro mortuis cap.* 4. *Non video*, inquit, *quod ſit adjumentum mortuorum, proviſus ſepeliendis corporibus apud memoriam Sanctorum locus, niſi ad hoc, ut dum recolunt ubi ſint expoſita eorum quos diligunt corpora, eiſdem Sanctis illos tanquam patronis ſuſceptos apud Dominum adjuvandos orando commendent.* Roſweid. *ad carm. Paulin.* 15. Sed & ultra progreſſi. Quæſita etiam veſtis, & ac ſi veſtis, quam non habet, Sanctitatem conferret, veſtitu etiam monachali, quem angelicum vocabant habitum, σχῆμα ἀγγελικὸν, quiſque in ſepulchrum exoptavit inferri. Græci Principes ſic illati poſterioribus

ſecu-

ſeculis, ut & Reges Hiſpaniarum, & paſſim alibi alii. Viri etiam illuſtres, nobiles, equites. Exempla ſunt infinita. Unum puto ſufficiet ex veteri teſtamento Gisberti van Hardenbroeck nobilis Trajectenſis, quod orditur is ita: *Dit is mijn Gijsbert van Hardenbroek Janſſoen uyterſte wille ende begeerte op mijn Huyſvrou ende Kynder, dat ſy my doen ſellen, als ick van eertrijck geſcheyden ben, ende wil ook dattet ſo geſchien ſal, ende indien ſy dat niet en doen, als nae beſchreven ſtaet, ſo begeer ick aen Godt van Hemelrijk, dat ſy nimmermeer deech noch teech en moeten hebben aen lijf noch aen goet, ter tijt toe, dat ſy dit nae beſchreven volbracht hebben, ende noch houde ick hier in mijn wil te vermeerderen of te verminderen, in een deels ofte geheel te veranderen, altijt na mijnre wil, ende geliefte. In den eerſten beveel ick Godt van Hemelrijck, Maria ſijn gebenedyde moeder, ende allen lieven Heyligen mijn ſiel, wanneer ſy van mijn lichaem ſal ſcheyden, ende mijn lichaem wil ick begraven hebben tot Utrecht in dat Minrebroeders Clooſter in 't Choor in mijn ouders graft, ende begeer mede, dat ſy my in Minrebroeders habijt willen begraven, ende geen pomperye van toortſen oft anders maken, dan mijn ſtichtelijk begraven, en die coſten van alſulken pomperye voor mijn ſiel om Gods wille geven willen. Item mede ſo begeer ick, dat men my hondert Sielmiſſen na wil laten doen, terwijlen dat mijn lichaem boven die eert ſtaet &c.*

Et hic quidem ſic ſepultus ob inſignem munificentiam, qua is uſus in Franciſcanos. Ratio alioquin ſepeliendi hæc: Sepulti Fratres & Soro-

res in eccleſia conventuali. In collegiata, in cathedrali, non niſi Canonici. In parochiali non niſi hi, qui erant intra parochiam. Alius nemo in his ſepultus, niſi datis pecuniis & ſpeciali Sacerdotis aut Collegii permiſſu. Charta Guidonis epiſcopi Trajectenſis apud Lindeborn. *notit. epiſc. Dav. cap.* 7. §. 1. *Concedentes Priori & fratribus ibidem, ut in loco prædicto liberam habeant ſepulturam ſepeliendi ibidem fratres & ſorores ſui Ordinis, ac ſuam familiam domeſticam &c. ac alios qui ibidem elegerint ſepeliri, ſalvo tamen eccleſiis parochialibus, de quibus ibidem ſepeliendi aſſumendi, jure ſuo & mortuariorum canonica portione.* Quiſque in ſua parochia, nequid lucri alioquin parocho præriperetur, mandandus erat terræ. Ex parochia in parochiam, niſi ſalvo parochi jure & ipſo aſſentiente, tranſlatio prohibita. *c. cum ſuper c. certificari c. in noſtra ext. h. t.* Charta apud d'Achery *ad Guibert. in not. p.* 821. *Quod ſiquis eorum Caſatorum alibi quam apud vos & nos ſepultus fuerit, jus noſtrum & veſtrum communibus expenſis & laboribus proſequemur, & emolumentum æqualiter partiemur bona fide.* Aliam habeo ineditam, qua datum à Franciſcanis jus ſepulturæ Ultrajecti in ipſorum eccleſia liberis Domini de Hardenbroeck, Ann. 1417. Nec eo aliter tamen uſi, quam poſtquam parocho, cujus lucrum id, ſatisfactum. Lucrum id olim certum, *cap.* 1. *cap. relatum cap. certificari ext. h. t.* Unde & portio *canonica.* Ultra quam vetitum quicquam inſuper adhuc exigi. Riculphus Sueſſionenſis epiſcopus ad calcem operum Hincmari *cap.* 18. *Sepulturas*

pulturas mortuorum eccleſiaſtica honeſtate & pietate unuſquiſque presbyter diſponat, & ne pro ſepeliendis mortuis xenia exquirat. Sed avaritia cum præpotuit, cum ſpreti canones & abjecti, tam ingens interdum lucrum, ut recidendum edictis. Gobelin. Perſon. *Coſmodrom. ætat. 6. cap. 70. Anno ejus tertio Conſules civitatis Paderbornenſis fecerunt ſtatutum, quod quicunque civis vir aut mulier in exequiis alicujus defuncti offerret plus quam ad unam miſſam, ſolveret conſulibus marcam argenti &c.* Attonis Epiſcopi Capitulare apud d'Achery *to. 8. Spicil. cap.* 14. *Queſta nobis eſt Nereida clariſſima fœmina, quod ab ea centum ſolidos pro filiæ ſuæ ſepultura fraternitas veſtra velit exigere, atque ei ſuper doloris gemitum majorem diſpendii ſtudeat inferre moleſtiam. Quod ſi ita ſe veritas habet, quia grave nimis, & procul nimis eſt à Sacerdotis officio &c.* Plerumque etiam, & id certum, non tam animæ defunctorum quam lucri habita tantum ratio. Alibi nec terra ad ſepulturam effoſſa, niſi prius eccleſiæ certo pretio perſoluto. Abominabilis conſuetudo, ut Honorius vocat Papa Tertius *c. abolendæ ext. de ſepult.* quam & prorſus abolevit *d. c. abolendæ:* Nec lucrum tamen ſuſtulit, aut in alterius injuriam beneficium conceſſit. Integrum ſacerdoti & ſartum tectum tamen jus. Pro ſepultura quod debetur ei etiam præſtandum. Sed neceſſe eſt de ea conſtet. Nam quod ab iis exactum etiam, qui religionem ingreſſi perinde ac à mortuis, cum mundo dicantur mortui, mera olim corruptela, quam & idem Papa prorſus ſuſtulit in *c. conſtituti ext. de regular. & tranſeunt. ad relig.* Mera hæc corruptela, quod

quia jure parochiali parocho obſtrictus parochianus, religionem hic non ingreſſus, nequid circa ſepulturam parocho lucri præciperetur, abſque ipſius conſenſu. Ciron. *ad d. c. conſtituti.* Unde & quia ex hæreticis nihil prorſus lucri, deleti ipſi, combuſti. Si ſepulti, effoſſi, & aut rogo injecti, aut ut diris devoti, ut eſca volatilium & ferarum abjecti. Cum excommunicatis paulo mitius interdum actum. Sepulti ſed non in templis. In templis nulli locus, niſi ſummi Pontificis, niſi cleri juratus aſſecla uſque ad ultimum vitæ halitum. In obſcurum, in vilem, in infamem, & miſerum, & locum non conſecratum delati extra ipſorum communionem extincti. Superiori ævo recepta Ypra ab Hiſpanis effoſſa eorum cadavera, qui renunciarant Papatui, & epiſcopi dein juſſu ad patibulum abjecta. Hooft *lib.* 20. *hiſt.* Loquens de novendecim, de quibus Dux Albanus, cum veniſſet in Belgium, Bruxellis ſumpſit ſupplicium Strada *part.* 1. *hiſt. lib.* 7. *Octo ex his,* inquit, *Catholice religioſeque, reliqui undecim, ut erant hæreſim complexi, pertinaciter obiere, eoque illorum cadavera humo contecta, horum vero, præter quatuor primariæ nobilitatis, ſtipitibus alligata ſuper affixis capitibus per agros relicta.* Ultrajecti, Amſtelodami, & in Belgio olim paſſim, extra urbem iis locus, qui vel manu carnificis, vel non ſumpta euchariſtia ſecundum ritus Pontificios, extincti vita conceſſerant. Miſerum id cœmiterium, *t'ellendige Kerkhof.* Idem *lib.* 5. *hiſt.* Ultrajecti extra portam olim S. Catharinæ.

Goffrid. Vindocinenſ. *lib* 3. *epiſt.* 38. *Auctoritate ſanctorum canonum firmiter tenemus, & nullatenus dubitamus, quia quibus vivis non communicamus, nec mortuis communicare debemus.*

TI-

TITULUS XIV.

DE

Privilegiis.

Et hactenus de iis dictum, quæ pertinent ad jus commune. Videamus de privilegiis. Quæ πρεσβεῖα etiam paſſim, ut τὰ πρεσβεῖα τοῦ θρόνου τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης in Concil. Chalced. *can.* 28. & φυλαττομένων τῶν πρεσβείων τῇ Ἀντιοχέων ἐκκλησίᾳ. *Servatis privilegiis, quæ eccleſiæ Antiochenæ tributa ſunt.* Privilegium nihil aliud, quam lex lata de ſingulis, qua irrogatur vel pœna, vel datur beneficium, *l. ult. ff. de legat. l.* 5. §. 3. *ff. de capt. & poſtl. rev.* Cic. *pro dom. An de peſte civis &c. licuit ferre tibi non legem, ſed nefarium privilegium?* Idem in Bruto: *T. Labieno tribuno plebis populum incitante, & rogationem in populum, privilegii ſimilem ferente.* Tacit. *lib.* 4. *hiſt. Abrogati inde Domitiano legem ferente conſulatus, quos Vitellius dederat. Franciſia* etiam, *Auctoritas*, ut apud Baluzium *append. ad Capitul. p.* 1410. *& ſeqq.* Miræum *lib.* 1. *don. Belg. cap.* 120. Privilegium eſt duplex, reale aut perſonale, *l.* 196. *ff. de reg. jur.* Perſonale eſt non tantum, quod huic aut illi in ſpecie eſt conceſſum, *d. l.* 196. *l.* 68. *ff. eod. l.* 1. §. 1. *ff. de jur. immun.* verum etiam quod conceſſum eſt certo generi perſonarum, ut quod clericis conceſſum eſt, quod coram judice ſeculari conveniri non poſſunt *cap. qualiter ext. de judic.* quod tributis ipſorum prædia onerari

rari non poſſunt, *nov.* 131. *cap.* 5. quod publica eis pœnitentia imponi non poteſt, *cap. quæſitum ext. de pœnit.* Balſamo *conſt. eccleſ. lib.* 3. *tit.* 3. Item perſonale eſt, quod datum huic aut illi ordini, quod ſtudioſis *auth. habita C. ne fil. pro patr.* quod pupillis *l.* 42. *ff. de adm. & per. tut.* quod monachis, cum præſertim eximuntur epiſcopi poteſtati, *c. omnes* 16. *qu.* 4. *cap. ult. ext. de ſtat. monach.* Quod perſonæ eſt conceſſum, huic ſcilicet aut illi, extincta ea extinguitur, *d. l.* 68. *d. l.* 196. Quod huic aut illi ordini, durat, quamdiu ordo *d. l.* 1. §. 2. *ff. de jur. immun.* Merul. *pract. civ. lib.* 1. *tit.* 4. *cap.* 3. Reale eſt ſeu Locale, quod rei ipſi cohæret, quod huic aut illi loco, civitati, provinciæ, eccleſiæ, aut monaſterio, *can. quædam §. quod ſcripſi* 35. *qu.* 3. *can. hinc eſt* 16. *qu.* 1. Et id cum locis ſit affixum, in eos tranſit indiſtincte, in quorum loca hæc poteſtate. Forſan tenent Canonici. Suffectis monachis ejiciuntur. Idem monachis jam jus, quod Canonicis pridem fuit. Et ſic ſimiliter ſe res habet, ſi quod ſæpius etiam factum è monaſterio, quod exemptum, ejectis monachis ob mores, aut ob vitæ turpitudinem, ob ſpretam regulam & abjectam, ex alio quod non exemptum ſubſtituantur rurſum alii, qui ſtrictioris ſunt vitæ. Idem enim prorſus ſubſtitutis privilegium, idem jus, quod ejectis. Quod ut clarius intelligatur verbo id tantum addam. Monaſteria quod attinet, idem omnibus olim jus. Libera omnia ab initio. In nullius aut laici aut epiſcopi poteſtate. Quod ad epiſcopum monachi omnes hactenus ſui juris.

Sub-

Subjecti ipſi non magis quam alii quivis laici. Abbatem tantum agnoſcebant. Duo inprimis vult ut fugiant, & ſummum iis hoc præceptum, epiſcopatus & fœminas, Caſſian. *lib.* 4. *de inſtit. renuntiant. cap.* 17. Sed poſtquam ſenſim cœperunt monachi ad ſacros ordines promoveri, vi illius promotionis, qui promovebant epiſcopi, jus aliquod conſecuti, ſed in promotum duntaxat. Concilium Arelatenſe III. *Rationis & religionis plenum eſt, ut clerici monachi ad ordinationem epiſcopi debita ſubjectione reſpiciant, laica vero monaſterii congregatio ad ſolam & liberam Abbatis diſpoſitionem pertineat.* Mox autem cum omnes ad ſacros ordines aſpirarent, in omnes etiam promiſcue idem prorſus eis jus. Atque ita cum libertatem quaſi ſervitus invaſiſſet, ejus deinceps recuperandæ etiam modi excogitati. Inter quos & exemptio. Exemptio eſt in monachis, quod in ſervis manumiſſio. Et utrumque eſt beneficium, *pr. Inſtit. de libert.* Lex Longobard. *lib.*3. *tit.* 1. §. 30. *De monaſteriis & Xenodochiis, quæ per diverſos Comitatus eſſe videntur, & regalia ſunt, ut quicunque ea habere voluerint, per beneficium domini Regis habeant.* Vid. du Cange *gloſſ. in Monaſteria.* Exemptio autem quidni? Cauſa exemptionis non alia magis frequens, quam frequens epiſcoporum vexatio & oppreſſio. Et ſic diſtincta hinc monaſteria in exempta & non exempta. Exemptis nihil eſt cum epiſcopo, ſolutis prorſus ipſius jugo. Et hinc libera etiam dicta. Goffrid. Vindocinenſ. 1. *epiſt.* 18. & 29. & 2. *epiſt.* 7. 9. & 27. Eximebat epiſcopus & eo etiam invito Princeps aut ſum-

mus

mus Pontifex *cap. auditis* 17. *cap. ſi diligenti ext. de præſcript.* Miræ. *Cod. piar. don. cap.* 50. 73. & 76. Fr. Florens *jur. Canon.* 3. *diſſ.* 11. Sed dixi latius de ea re ad Annal. Egmundan. *pr.*

Amittitur privilegium, ſiquis eo aut non utatur, aut abutatur, aut aliter, quam par eſt, utatur in grave alterius præjudicium, *cap. ſi de terra c. tuarum c. accedentibus c. ut privilegia ext. h. t. c. in audientia ext. de ſent. excomm.* Siquis ei renuntiet, *l. pen. C. de pact. can. quam periculoſum* 7. *qu.* 1. *cap. ſuborta ext. de ſent. & re jud.* Si qui dedit rurſum adimat, *arg. l.* 35. *ff. de reg. jur. c. cum contingat ext. de for. comp.* Et dare & adimere & ſiquid dubium & obſcurum interpretari ejuſdem eſt *d. l.* 35. *l.* 153. *ff. eod. l.* 2. *§.* 21. *C. de vet. jur. enucl. l. ult. in fin. C. de legib.* Beneficia quidem Principum pleniſſime interpretanda, ut actus valeat potius quam ut pereat, ſed ſalvo jure tertii, *l.* 3. *ff. de conſt. princip.* Strauch. *de ſtatut. th.* 46. Gerh. Feltmanni *ad d. l.* 3. Et ſic ſemper interpretanda, ne aut pereat jus commune, & in nihilum redigatur, aut tandem ex privilegio jus commune etiam fiat, *arg. l.* 35. *C. de inoff. teſt. cap. in his ext. h. t.* Deprehendi poteſt falſitas non ex anno tantum & die, ex manu ejus qui ſcripſit, verum etiam ex imagine, quæ ſigillo impreſſa eſt, ſi cognoſci non poſſit, ſi dicatur Pontificis, & faciem tantum habeat ad unam partem obverſam, quales vulgo in nummis videmus Regum & Ducum facies, cum in bullis Pontificum facies ex utraque parte æqualiter pateat, facies ſcilicet non Papæ, ſed facies Apoſto-

lorum

lorum Petri & Pauli : *Bulla noſtra, per quam totius negotia Chriſtianitatis aguntur, capitum ipſorum charactere præſignatur*, ait Innocentius III. *lib.* 1. *epiſt.* 233. Ciron. & Alex. Chaſſen. *par. h. tit. Sacros vultus* etiam vocat Innocentius *ibid.* quod impreſſo ſigillis oſculo honore ingenti & reverentia ſuſceptæ Papales bullæ, & non minori quam olim Principum. *l.* 1. *C. publ. lætit. vel Conſul. cap.* 5. *ext. de reſcriptis.* Cicero 3. *epiſt. fam.* 2. *Complexus ſum cogitatione te abſentem, epiſtolam vero oſculatus etiam ipſe mihi gratulatus ſum.* Paulus Diaconus *lib.* 14. *hiſt. Cum autem ſuſcepiſſet Imperatoris ſacram oſculatus eſt ſignaculum, quod habebat pectuſculum Imperatoris.* Iconem ori admovebant. Et hinc vulgo id adorare. Cicero de Herculis ſimulachro 4. *in Verr.* ut & *divin.* 9. *Uſque adeo*, inquit, *ut & rictus ejus ac mentum paulo ſit attritius, quod in precibus & gratulationibus non ſolum id venerari, verum etiam oſculari ſolent.* Hieron. *in Ruſin. Qui adorant, ſolent deoſculari manum, & capita ſubmittere.* Sacram purpuram adorare eſt eam ori admovere, *l.* 4. *C. de conſul. l.* 7. *C. Qu. milit. non poſſ. l.* 1. *C. de appar. præf. præt. l. ult. C. de princip. agent. in reb. l.* 2. *C. de primip.* Unde & oſculi illud genus vocant *Labratum* Gloſſ. Lat. Gr. *Labratum*, φίλημα βασιλικὸν, ἀσπαστικὸν βασιλέως, Cuj. 11. *obſ.* 27. Alibi icon ipſa, ſeu imago *labratum.* Theoph. ad Ann. v. Niceph. Phocæ : σὺν τῶν βασιλικῶν λαυράτων ἔστησαν Πρίσκου καὶ Δομεντζίας λαυρᾶτα, *cum imaginibus regiis ſtatuerunt etiam Priſci & Domentiæ labrata*, εἰκόνας, ut ibi habet Nice-

 phorus

phorus C.P. Nec in bullis tantum id ſervabant, ſed in nummis etiam & monetis. Ipſorum integritatem corrodere, aut minuere, ſcelus & crimen ingens. *Quodnam erit tutum*, dicit apud Caſſiodorum Theodoricus rex VII. *Var. ſi in noſtra peccetur effigie?* Ciron. 1. *obſ.* 14.

In noſtra, inquit, *effigie.* Quæ impreſſa ſtatim nummis, poſtquam Princeps ſumpſiſſet purpuram, ut poſtquam ſumpſiſſet purpuram, etiam ſtatua ejus ſeu imago in provincias * ſtatim miſſa, quæ & debita reverentia à populis tum ſuſcepta, culta, & adorata. Sic in actis ſecundæ Synodi Nicænæ: *Labrata & icones, quæ mittuntur ad civitates vel regiones obvii adeunt populi cum cereis & incenſis, non cera perfuſam tabulam, ſed Imperatorem honorantes.* Vitio id vertit Orthodoxis Philoſtorgius, qui Arrianus, in excerptis à Photio, *quaſi Conſtantini imaginem in porphyretica columna ſtantem ſacrificiis propitiarent, lucernis & incenſis*, λυχνοκαΐαις ϗ θυμιάμασι, *colerent, preceſque velut Deo allegarent*, ϗ ἀποτροπαίους ἱκετηρίας, *averruncatorias malorum ſupplicationes peragerent.* Nec immerito id vertit vitio. Nam nec placuit Hieronymo *tr. in Daniel. cap.* 3. *Statuam*, inquit, *ſive imaginem cultores Dei adorare non debent: Ergo Judices & Principes ſeculi, qui Imperatorum ſtatuas adorant & imagines, hoc ſe facere intelligunt, quod tres pueri facere nolentes placuerunt Deo.* Unde & tempus, quo imaginum adoratio prorſus vetita, etſi prout moris per provincias adhuc

miſſæ,

* Conſtantium magiſtrum militum, cum ob affinitatem, qua Honorio erat junctus, ſororem enim Honorii Placidiam habebat conjugem, conſors imperii ab Honorio eſſet factus, ſtatim etiam imagines ejus miſſas in Orientem ait Philoſtorgius *hiſt. eccleſ. lib.* 12. *cap.* 10.

miſſæ, *l.* 2. *C. de ſtat. & imag. Si quando noſtra ſtatua vel imagines eriguntur &c. adſit & judex ſine adorationis ambitioſo faſtidio &c.* Etſi enim cultus civilis potius quam divinus, vitio tamen humani generis, quod in deterius ſemper pronum, honor interdum nimius, & ſpeciem habens divini cultus, ab imperitis exhibitus. Anſam dedit, & nihil magis, ingens Principum ipſorum faſtus, dum quicquid Imperatorium, quicquid ipſis aut reſervatum, aut ab ipſis profectum, vocant ὑπερβολικῶς cœleſte etiam & divinum. Sic cœleſtia ſtatuta, *l.* 10. *C. de murileg.* conſulta cœleſtia, *l. nequis* 8. *de off. rect. prov.* oraculum cœleſte, *l.* 10. *C. de quadr. præſcr.* noſtra æternitas *l.* 2. §. 21. *C. de offic. præf. prætor. Afr.* per præſentem divinam generalem conſtitutionem, *l. ult. C. de bon. auth. jud. poſſid.* curatori divinæ domus, *l. ult. C. de quadr. præſc. divina* veſtis apud Corippum, & alia ſexcenta; *Subſtrictoque ſinu veſtis divina pependit.* Sic quod uſui Imperatorum ſepoſiti eſſent ob præſtantiam equi Cappadoces *divina* vocat *animalia* Vetus orbis deſcriptio olim edita à Gothofredo *cap.* 21. De Conſtantio Ammianus 15. *hiſt. Quo ille ſtudio blanditiarum exquiſito ſublatus immunemque ſe deinde fore ab omni mortalitatis incommodo fidenter exiſtimans, confeſtim à juſtitia declinavit ita intemperanter, ut æternitatem eam aliquoties aſſereret, & ipſe dicendo ſcribendoque propria manu orbis totius ſe dominum appellaret.* Juſtinianus imperii ſui annum undecimum incidere ait in ſecundum poſt conſulatum Beliſarii, *nov.* 47. ejuſque anni tabulas ibidem ita notari vult: *Imperii Juſtiniani*

diviniſſimi Auguſti & Imperatoris anno undecimo P. C. *FL. Beliſarii V. I N L. anno ſecundo.* Salmuth. *ad tit.* 2. *part.* 1. *rer. memor. Pancirol.* Equos autem, quos dixi, ſiquis dicat *palmatos*, de quibus *l. un. C. Th. de greg. dom. & l.* 1. *C. Th. de eq. curul.* ob palmas vel ſuas vel ſuorum genitorum felici curſu reportatas non multum, puto, erraverit. Nemeſian. *cyneget. verſ.* 240.

Cornipedes igitur lectos det Græcia nobis,
Cappadocumque notas referat generoſa propago,
Armata & palmis nuper grex omnis avorum.

Equi certe, qui Imperatori & exhibendis ab eo ludis ſpecialiter reſervati, Hermogeniani, Cappadoces, Siculi, aliis non conceſſi, niſi Principe annuente. Capitol. in Gordian. *Equos Siculos C. Cappadoces C. permittentibus Imperatoribus factionibus diviſit.* Unde & crimini datum Eutropio, quod cum Conſul fuiſſet factus, ejuſmodi animalibus præter fas fuiſſet uſus, quod ut ait Philoſtorgius *lib.* 11. *cap.* 6. ὁπόταν ὕπατος ἐγεγόνει βοσκήμασιν ἀπεχρήσατο, οἷς οὐδενὶ τῶν ἄλλων ἐξῆν μὴ ὅτι γε μόνῳ βασιλεῖ, *quibus nulli licebat uti niſi ſoli Imp.* Gothofr. *ad d. l. un. & ad d. l.* 1. Verum pergamus.

TITULUS XV.

DE

Diſpenſationibus.

DIxi de privilegiis. Jam de diſpenſatione quædam addam neceſſe eſt. Nam & jus id ſin-

ſingulare eſt, & quædam ſpecies privilegii. Nec aliud diſpenſatio, quam quæ ſuadente utilitate fit, aut ſi ſic cogat neceſſitas, juris provida relaxatio. *Provida* quod non paſſim, ſed cauſa cognita demum fiat, & ſic ut ſalvo canone & illibato, certo tantum in caſu, cum quo fit diſpenſatio, ejuſdem vinculo abſolvatur. *Aut ſi ſic cogat neceſſitas.* Nam duo inprimis conſideranda hic, neceſſitas & utilitas. Bernard. *epiſt.* 42. *Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt; ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt, utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.* Abſolvebant epiſcopi, & ſi revolvas jus priſcum, ſolis his diſpenſandi jus *can.* 12. *Nicæn. Concil. can.* 2. *&* 4. *Synod. Ancyr.* Phot. *Nomocan. tit.* 9. *cap.* 39. Sed poſtquam ſummus Pontifex ſibi totum id vindicavit, deſierunt deinceps epiſcopi eo uti, aut attentare id, niſi tantum in caſibus nominatim expreſſis, & quos ſatis accurate collegit Durandus *tr. de diſpenſ. epiſc.* Abbates nunquam eo uſi, niſi quantum ad corporales obſervantias duntaxat. Papa autem etſi diſpenſat prout vult videndum tamen ſecundum canones an ſic ſuaſit neceſſitas. Prælatus regularis, Prior ſcilicet vel Abbas, non profeſſus non poteſt eligi *can. presbyteros* 6. *qu.* 1. *cap. cum in magiſtrum ext. de el. & elect. pot.* In eodem officio non debet diſpar profeſſio eſſe *d. can.* Nec à quoquam exigendum, ut quod non didicit tamen doceat, *d. cap. can. officii ext. eod.* Ambroſ. *lib.* 1. *offic. cap.* 1. *Homines autem diſcant prius quod doceant,*

& ab illo accipiant, quod aliis tradant, quod ne ipſum quidem mihi accidit. Ego enim raptus de tribunalibus, atque adminiſtrationis infulis, ad ſacerdotium, docere vos cœpi, quod ipſe non didici. Sed ſi ita res exigat, à Papa poteſt tamen eligi vir præpotens & illuſtris, qui tueatur eccleſiam, *d. cap. officii, cap. cum ſingula §. prohibemus ext. de præbend. in 6. Prodigos diſpenſationum* Arnulfus Lexovienſis vocat *epiſt. 26. qui affectibus omnia largiuntur, nec offenſam rationis attendunt, dum hominum ſibi præcaviſſe videantur offenſam.* Et deinde etiam videndum divini an humani juris diſpenſatio petatur. De divino enim nemo diſpenſandi jus habet, *§. pen. Inſt. de jur. natur. gent. & civ. l. nihil 35. ff. de reg. jur.* De naturali etiam nemo *d. l.* Interpretandi habet Papa. Solvendi, abrogandi, aut diſpenſandi non habet. Cyprian. *epiſt. 67. pr. Præceptis divinis neceſſe eſt obſequia noſtra deſerviant; nec perſonam in ejuſmodi rebus accipere, aut aliquid cuiquam largiri poteſt humana indulgentia, ubi intercedit & legem tribuit divina præſcriptio.* Ziegler. *ad c. literas ext. de reſtit. ſpoliat.* Grot. *lib. 2. de jur. bell. & pac. cap.* 20. Scio arrogat ſibi Papa velut Deus poteſtatem, Philippi Hiſpaniarum Regis cum propriæ ſororis filia, Friſiæ reguli Ennonis cum fratris filia permiſſis nuptiis, ut videre eſt apud Grotium *annal.* 3. *in fin. & lib.* 3. *hiſt. pr.* Strad. *lib.* 7. *part.* 1. *hiſt.* Reydan. *lib.* 18. *hiſt.* Brant 1. *hiſt.* 10. *p.* 515. Plura in unum beneficia conferri non poſſunt. Cadit reliquis beneficiis, qui creatur Cardinalis, qui epiſcopus &c. *can. ſiquis 21. qu. 2.* Sed Papa

ſi ſic

ſi ſic vult, ſi diſpenſet, non cadit, *cap. cum noſtris ext. de conceſſ. preb. c. de multa ext. de preb. & dign.* Et exemplum inſigne eſt in Chron. Hirſaugienſ. ad Ann. 1242. *Innocentius Papa quartus Arnoldum in Archiepiſcopum Turonenſem confirmavit, & ut omnia beneficia eccleſiaſtica, quæ prius habuerat, retinere licite poſſet, pro menſa indulſit.* Nec ad ſeculum regreſſus datur, ſi ſemel votum proceſſit. Nec titulus quem quis nactus impune deſeri rurſum poteſt. Vid. *lib. 2. de Nobilit. cap.* 35. Sed ſi Papa id permittat, nihil obſtat, quin poſſit, ut Belgis datis in dotem cum Dux Albertus ducturus Hiſpani filiam Iſabellam. *Albertus*, inquit Grotius, *lib.* 7. *capeſſendo matrimônio imperioque iturus, prius indulgente Pontifice Romano Cardinali dignitate & Toletano antiſtitio ſe abdicans Archiducis habitu in publicum prodit. Pileum, ſacramque purpuram apud aram Divæ virginis ſacraverat, quæ Hallis colitur, Hanoviæ municipio.* Sic ad ethnicum prorſus morem. Horat.

——— ——— Vejanius armis
Herculis ad poſtem fixis latet abditus agro.

Presbyter non creatur, niſi annos habeat xxx. nec Diaconus, Subdiaconus, niſi annos xxv. Sed Papa ſi diſpenſet etiam minor admittitur *cap. un. ext. de ætat. & qual. & ord. præf. in* 6. De epiſcopo puero, cui Odalricus Aquenſis epiſcopus datus Coadjutor, vid. Frodoard. *ad Ann.* 728. *& lib.* 4. *hiſt. Remenſ. cap.* 18. 20. *&* 22. Conventrenſis epiſcopus cum quaſdam eccleſias impuberibus conceſſiſſet, non removit eos Papa, ſed diſpenſans interim commendavit eccleſiarum cuſtodiam

idoneis ad id clericis *cap. ex ratione de æt. & qual. præf.* Strauch. 2. *amœn.* 2. *cap. ult.* Ob conjugium quod cenſetur cum eccleſia contractum ab eccleſia ad eccleſiam tranſire epiſcopus non poteſt. Vetant Canones expreſſe id, ut Concilii Antiocheni apud Juſtellum *canon* 100. *Epiſcopus ab alia parœcia ad aliam ne tranſeat, nec ſe ſua ſponte ingerens, nec à populis vi adactus, nec ab epiſcopis neceſſitate compulſus, maneat autem in ea eccleſia quam ab initio à Deo ſortitus eſt, nec ab ea recedat &c.* Sed parum id ad Papam, cui licet quod vult, qui ſupra canones ſe extollit, qui jura omnia, ut ait ipſe, in ſcrinio pectoris ſui habet, *c. licet ext. de conſtit. in 6.* Poteſt tamen non obſtante eo ſi Papa ei poteſtatem det, *t. tit. de tranſl. epiſcop.* Ut in ſacris Eleuſiniis, priuſquam quis epopta, nemo fiebat myſta, ſic ſimiliter & juxta canones gradatim fit promotio & per temporis intervallum. Epiſcopus non creatur, qui non Presbyter primum fuit, ut nec Presbyter quidem quiſquam, qui non primum Diaconus. Cyprian. *epiſt.* 52. *Ad ſacerdotii ſublime faſtigium cunctis religionis gradibus aſcendit.* Hieronym. *in epitaph. Nepotiani: Fit clericus & per ſolitos gradus Presbyter ordinatur.* Gregor. Nazianzen. *orat.* 10. & in laudem Anaſtaſii: καὶ πάσαν τὴν τῶν βαθμῶν ἀκολουθίαν διεξελθὼν, ἵνα τὰ ἐν μέσῳ συντέμνω, τὴν τοῦ λαοῦ προεδρίαν πιστεύεται, *Cunctiſque eccleſiaſticorum graduum muneribus deinceps perfunctus, ut quæ media ſunt reſecem, populo præficitur.* Et id etiam convenienter inſtitutis Quiritum, *l. qui utiliter* 45. *pr. ff. de neg. geſt. l.* 14. *§. gerendorum* 5. *ff. de*

de mun. & hon. Sed ſi Papæ id videatur ſic parum Papa ad id attendit. Auctor hiſtoriæ Romanorum Pontificum, qui ſederunt in Gallia, in Clemente IV. *Dictus vero Papa demum ipſo inſtante & procurante Joanne Rege Franciæ &c. fecit Patriarcham Alexandrinum, & eccleſiam Remenſem ſibi perpetuo commendavit, & cauſa ipſam honorandi magis, ne forte à præmiſſis in poſterum poſſet reſilire, in propria nocte natalis Domini ipſum ad omnes ſacros ordines uno contextu ordinavit.* Sed de Papis poteſt dici, quod Tullius alibi eleganter: *Nec in rebus humanis quicquam bonum norunt, niſi quod fructuoſum ſit, & amicos tanquam pecudes eos potiſſimum diligunt, ex quibus ſe ſperant maximum fructum eſſe capturos.* Canonici in eccleſia, cui ipſi ſunt adſcripti, neceſſe eſt faciant reſidentiam. Alioquin & præbendam & ejus fructus amittunt. Sed excipe niſi Papa cum iiſdem diſpenſet, ut Honorius fecit Papa Tertius in *c. cum dilectus & c. ad audientiam ext. de cleric. non reſid. in 5. Compil.* Sic votum neceſſe eſt ut voti reus exſolvat, niſi Papa diſpenſet, niſi votum remittat, aut id mutet in jejunia, in preces, orationes, aut pecuniariam quantitatem *cap. eccleſiæ ext. de vot. & vot. redempt. ead. Compil.* Quibus nulla natalium, nulla morum honeſtas ſuffragatur, ad ſacerdotium non poſſunt admitti, *c. admittuntur diſt.* 54. Sed ſi Papæ id videatur ſic, admittuntur nihilominus *can. naſci can. Apoſtolica diſt.* 56. *cap. ex tua ext. de fil. Presbyt.* Ciron. *parat. eod.*

TITULUS XIV.

DE

Appellationibus.

Appellatio eſt querela non acquieſcentis ſententiæ inferioris judicis, *l. 2. ff. de appell. l. 1. C. de temp. appell. c. placuit 2. qu. 6. Cuj. par. ff. eod.* Gōris *adverſ. tr. 3. part. 2. tit. 29. pr.* A ſententia appellatur *l. 1. & t. tit. ff. & C. de appell.* Secundum jus Canonicum à quovis etiam decreto, quo quis putat ſe gravatum. *cap. paſtoralis ext. de jur. patr.* Appellatio gradatim fit *l. 21. ff. eod. l. nemo 4. C. de juriſd.* Ordinat. Polit. *Cam. Imp. part. 2. tit. 29. pr.* Juſtell. *ad Cod. can. eccleſ. Afric. cap. 78.* Cuj. 2. *obſ.* 33. Donell. 28. *comm. n. 7.* Gail. 1. *obſ.* 119. *n.* 2. Appellatur ſuperior. Idem ab eodem appellari non poteſt *l. 1. §. 1. ff. Qu. à qu. appell. junct. l. 3. ff. de offic. ej. c. mand.* Nec mandans à mandatario, nec ſuperior omiſſis mediis. *c. dilecti 66. ext. h. t. c. Romana ſext. eod.* Mynſ. 1. *obſ.* 67. *&* 2. *obſerv.* 4. Imb. 1. *Inſt. for. 23. lit. a.* Neutrum tamen tam firmum, quin exceptio adhuc detur. Nam jus Canonicum ſi reſpicias moris ut & delegans appelletur à delegato, *cap. ſi delegatus ext. de offic. & pot. jud. del. in 6.* & ſuperior omiſſis mediis, ſi ſit medius inhabilis, & ſemper Papa & indiſtinctè, ſive is habilis ſit, ſive non *can. ſiquis veſtrum & ſeqq. 2. qu. 6. cap. per tuas ext. de ſent. excomm. cap. antiquo ext. de privil. cap. ut debitus ext. h. t. cap.*

ſuper quaſtionem ext. de offic. & pot. jud. del. c. cum cauſam c. dilecto ext. de appell. in 5. *Compil.* Ciron. *par. eod. &* 2. *obſ.* 3. Superior dixi appellatur. Delegans dixi à delegato. Nam & judex pedaneus ſeu datus dicitur delegatus, etiam alibi electitius, *can. ſi autem* 2. *qu.* 6. A judice autem dato appellatur qui eum dedit, *l.* 1. §. 3. *ff. de appell.* Ciron. 2. *obſ.* 2. Superior etiam appellatur. Si ſuperior non ſit, neceſſe eſt victus acquieſcat. *Trabale* id tum judicium ut ſupremum deinceps manſurum ratum firmumque. Dictum eodem ſenſu in Concilio Toletano XIII. quo juſſio *trabalis* in novella Valentiniani & Theodoſii de *Judeis*, quæ cum ſummo rigore & ſeveritate exercetur. *Trabali juſſione decernimus, ut quicunque pollutis contaminatiſque mentibus in ſacrificio quolibet in loco fuerit deprehenſus, in fortunas ejus, in ſanguinem ira noſtra conſurgat.* Ciron. 2. *obſ.* 11. Si cauſa eſſet ſecularis à Scabinis majorum urbium fruſtra in diœceſi ad epiſcopum provocatum. Fruſtra in cauſa civili. Fruſtra etiam in criminali, ut dixi *lib. de jur. glad. cap.* 30. *n.* 18. Appellatio quidem juſta ab epiſcopo ad Primatem. Sed ad Papam ab epiſcopis appellatio olim nulla. Nec Papa ab iis potuit nec Princeps appellari, *l.* 8. *l.* 29. *C. de epiſc. aud. l.* 1. *C. Th. eod.* Regino *lib.* 2. *de eccleſ. diſcipl. cap.* 117. *Conſtantinus Imperator dicit: Pro ſanctis ac venerabilibus habeatur, quicquid epiſcoporum fuerit ſententia terminatum, nec liceat ulterius retractari negotium, quod epiſcoporum ſententia deciderit.* Canon. XCI. *Concil. Antioch. apud Juſtell. Cod. can. eccl. univ.*

Si-

Siquis à proprio epiſcopo depoſitus, presbyter, vel diaconus, vel epiſcopus à Synodo, auſus fuerit Imperatoris auribus moleſtiam afferre &c., is nulla venia dignus, neque ſui defendendi locum habeat, nec ſpem reſtitutionis expectet. Add. *ibid. can.* XCIV. Deferri quidem potuit appellatio ad Primatem. Phot. Nomocan. *tit.* 9. *cap.* 6. Potuit ad Synodum, ad plurium epiſcoporum vicinorum conſeſſum, & ab ea ad Concilium totius diœceſeos. Juſtell. *ad Codic. can. eccleſ. Afr. cap.* 19. Ad Papam non potuit. Etſi Papa ſuperior, judicandus tamen quiſque, epiſcopus etiam ab epiſcopis, intra ſuam provinciam. Codex *can. eccleſ. Afric. cap.* 28. μὴ ἐκκαλέσωνται εἰς τὰ πέραν τῆς θαλάσσης δικαστήρια, ἀλλὰ πρὸς τοὺς πρωτεύοντας τῶν ἰδίων ἐπαρχιῶν, &c. *non evocentur ad tranſmarina judicia, ſed ad primates ſuarum Provinciarum &c. Ad tranſmarina autem qui putaverit appellandum à nullo intra Africam ad communionem ſuſcipiatur.* Add. *ibid. cap.* 123. Finiendum ubi ortum unumquodque negotium. Unumquodque in ſuis locis. Ἅπαντα δήποτε πράγματα ἀναφυῶσιν, ταῦτα ἐν τοῖς ἰδίοις ὀφείλειν περατοῦσθαι τόποις. Codex *can. eccleſ. Afric. can.* 138. Ziegler. *de epiſc. cap.* 31. *n.* 19. Vetuſtiora ſi repetas fruſtra Papa olim aditus. Primus fuit Nicolaus Papa, qui I. ejus nominis, qui quo imperium per Europam proferret latius ſi poſſet, decretis nixus ſuppoſititiis, à Pſeudo-Iſidoro collectis & inventis, ſuſcepit appellationes etiam contra Conciliorum Provincialium decreta, & ut extaret exemplum, quod ſequerentur deinceps Papæ, epiſcopi Gallicani cum in Synodo Sueſſionenſi depo-

poſuiſſent Rothadum Sueſſionenſem epiſcopum, & non obſtante quod Papam, quod ſedem Apoſtolicam, inſtanter admodum appellaſſet, jam alium ei ſuffeciſſent, nihilominus tamen hominem potenter reſtituit, ad Carolum Calvum Francorum Regem legato miſſo Arſenio. De quo Annales Bertiniani perſtringentes non temere audaciam illam Papæ ſic ad Ann. DCCCLXV. *Circa medium Julium menſem in Attiniacum palatium Arſenius veniens Rothadum, canonice à quinque Provinciarum epiſcopis dejectum, & à Nicolao Papa non regulariter ſed potentialiter reſtitutum, ſecum reducens Carolo præſentavit.* Sic initio ſemel facto, etſi rei novitas non paucis diſplicuit, mordicus tamen Papa, quod ſemel nactus, defendit. Defendit ſaltem quamdiu potuit. Nam in Gallia jam ſecus eſt. Nec Archiepiſcopus nec Papa jam ab epiſcopo appellatur, verum protinus aut Rex aut Præfectus provinciæ. Bugnyon, 2. *de legib. abr. ſat.* 105. Alioquin olim Romam certatim undique appellatum, & quod præcipue hic conſiderandum omiſſo medio appellatum. Sic voluit enim Papa. Sedis Apoſtolicæ id vocans privilegium *cap. antiqua ext. de privil.* A Papa non appellatur. De omnibus Papa judicat, ipſe à nemine judicatur, velut Deus ſubjectus nulli. Ita ſcilicet Gratianus *c. ſi Papa diſt.* 40. Ita qui Papam ſtatuunt ſuperiorem Conciliis. Bellarm. *lib.* 2. *de Concil. cap.* 17. *& ſeq. & præl. Rom. controv.* 3. *part.* 3. *qu.* 4. Gretſ. *to.* 2. *defenſ. Bellarm. lib.* 11. *cap.* 4. Contra autem Æneas Sylvius, is nimirum qui poſtea Pius Papa II. Contra etiam Patres Concilii

lii Baſilienſis, à quibus quod Concilium, poſtquam acriter diſputatum, ſupra Papam concluſum, ut & quod indici id, & indici non tantum, ſed & ſine ipſius conſenſu & ſolvi poſſit & prorogari, & quod Papa ab eo de Papatu etiam dejici prorſus poſſit. Chronic. Carionis *ad Ann.* 1131. Scribens Æneas Sylvius ad Academiam Colonienſem,& arguens magno animo diſſentientium temeritatem, *Reſiſtendum eſt*, inquit, *quibuſcunque in faciem, ſive Paulus, ſive Petrus ſit, qui ad veritatem non ambulat Evangelii. Quam rem feciſſe per hos dies Univerſitatem veſtram gaudeo, hoc ſacro Baſilienſi Concilio, gaudemus omnes. Allatus namque ad nos eſt tractatulus quidam veſter, quo imperitiam vel verius dicam, temeritatem illorum arguitis, qui & ſubjectum generali Concilio Romanum Pontificem, & ſupremi judicii tribunal in eccleſia eſſe diffitentur, quos ſic vivacibus rationibus & ſcripturarum veritate premitis & retunditis, ut nec tanquam lubrici angues ſe evolvere, nec in aliquo cavillari aut ſibilare queant.* Quod errare poſſit Papa, & quod erret ſæpe in confeſſo eſt. Nec niſi ſpiret tyrannidem & jactet ſe velut Numen Papa ipſe id diffitetur. Hadrianus Papa VI. legatum mittens Noribergam ad Imperii Comitia Franciſcum Cheregatum per eum libere id confeſſus, *Nos ſcimus*, inquit, *quod in hac ſancta Sede jam annis aliquot multa fuerunt abominabilia, abuſus in rebus divinis, ſuperfluitas traditionum, & quod tandem omnia in deterius corruerint. Nec mirum eſt, quod infirmitas à capite in membra à Papis in minores Prælatos decivarit. Nos omnes hoc eſt, Prælati & Eccleſiaſtici,*

decli-

declinavimus, nec jam diu fuit aliquis, qui bonum operaretur. Vid. Paralipom. Abbat. Urſpergenſ. *p.* 351. Faſſus idem Bernardus ſermonem habens ad Prælatos in Concilio Remenſi ut & alibi in Commentariis ad Cantica Canticorum. Si erret ergo Papa, ſi aut dolo aut per errorem poſſit fieri, ut quem lædat, ut fortunis evertat, læſo & appellanti an non æquum ut ſuccurratur? Et ſi error ſit circa fidem, errantem quis efficacius quam Concilium reducat, corrigat? Utique æquabilius & juſtius ſe haberent res, ſi omnes ſic ſentirent, omnes ita loquerentur, ut accepimus locutum Gregorium Papam IV. cujus verba habet Gratianus *c. ſiquis* 2. *qu.* 7. *Siquis ſuper his nos redarguere voluerit, vel extra auctoritatem nos facere contenderit, veniat ad ſedem Apoſtolicam, ut ibi ante confeſſionem B. Petri mecum juſte decertet, quatenus ibi unus ex nobis ſententiam ſuſcipiat ſuam.* Non ad ſe eos vocat, quaſi in ſua cauſa futurus judex, quod abſurdum, *l. un. C. neq. in ſu. cauſ. jud.* Ad Sedem vocat Apoſtolicam, eccleſiæ ſcilicet Romanæ Concilium, conſeſſum. Et ſic *Sedes* diſtinguenda à Papa qui ei præſidet, ut non ſemel olim factum Baluzius docet ad Agobardum *p.* 118. *Ante confeſſionem*, id eſt, ante eccleſiam, per ſynecdochen. Nam *confeſſio* pars eccleſiæ. Quod ſi verum, quod dicunt, quod Papa ſupra Concilium, cur neceſſe eſt ergo, ut juret in Conciliorum decreta, & quid formula hæc ſibi vult, quæ in libro Durno Romanorum Pontificum, & quam adducit Gratianus *c. ſancta diſt.* 16. *Sancta octo univerſalia Concilia, primum Nicænum, ſecundum*

dum Conſtantinopolitanum, tertium Epheſinum, Chalcedonenſe quartum &c. uſque ad unum apicem immutilata ſervare, & pari honore & veneratione digna habere, & quæ prædicaverunt, & ſtatuerunt, modis omnibus ſequi & prædicare, & quæcunque condemnaverunt, ore & corde condemnare profiteor? Nec Papa eſt ſupra Concilium, nec Papa eſt, qui Concilium indicit, ſed Princeps, *nov.* 137. *cap.*4. Socrat. *in proœm. lib.* 5. *hiſt. Ex quo Imperatores Chriſtiani eſſe cœperunt, ex illis pependerunt res eccleſiaſticæ,* ἢ αἱ μέγισαι σύνοδοι τῇ αὐτῶν γνώμῃ γεγόνασι τε ἢ γίνονται, *& maxima quæque Concilia eorum arbitrio tum facta ſunt antea, tum hodieque ſiunt.* Euſeb. *hiſt. eccleſ. lib.* 10. *cap.* 5. *& lib.* 3. *de vit. Conſtant. cap.* 6. Socrat. *lib.*2. *cap.* 20. 29. *&* 37. Sozom. *lib.* 3. *cap.* 11. *& lib.* 4. *cap.*6. *& lib.* 6. *cap.* 7. Theodorit. *lib.* 2. *cap.* 4. *& lib.* 5. *cap.* 6. Hieronym. *epiſt.* 27. Fatetur id Papa ipſe ſupplex Principi ob id factus, & quidem precibus repetitis, ut indicat Concilium. Vid. Leonis I. Papæ *epiſt.* 9. 23. 26. *&* 35. Ziegler. *d. loc. n.* 38. *&* 84.

Ut paucis repetam quod dixi: Ex compromiſſo etiam ab epiſcopis appellatio olim nulla *d. l.* 8. *l.* 13. §. 2. *ff. de recept. qu. arb. l.* 1. *C. eod.* Ziegler. *de epiſcop. cap.* 31. *num.* 11. Citra compromiſſum ad metropolitam, & ab hoc ad Patriacham, ad Primatem, ad Exarchum, & à reliquis Patriarchis ad Conſtantinopolitanum, ad Præfectum etiam urbi, aut alium judicem ſecularem, niſi cauſa eſſet mere eccleſiaſtica, appellatum, *d. l.* 29. *pr. &* §§. *ſeqq. nov.* 123.

cap.

cap. 21. *& ſeq. l.* 20. *C. Th. quor. appell. non recip.* Jac. Gothofred. *ad l.* 11. *C. Th. de appell.* Ziegler. *de epiſc. cap.* 31. *n.* 8. *& ſeqq.* Ab his autem ſi legatur quod forſan Papa etiam aditus, ut ex ſpuriis aliquot epiſtolis contendit Gratianus paſſim *cauſ.* 2. *qu.* 6. id facti non juris. Ziegler. *d. loc. n.* 12. *& ſeqq.* Aliud enim Afris, aliud toti Orienti, aliud Gallis olim placuit. Et ne hodie quidem Gallis aliud quam olim placet. Vexationem id vocant, & quo nihil pernicioſius, præſertim cum & fieret omiſſo medio appellatio, Ivo Carnotenſis *epiſt.* 180. *&* 219. & Hildebertus Turonenſis ad Honorium Papam III. Agnovit etiam & perſtrinxit, & durioribus quidem verbis, Petrus de Ferrariis ICtus Papienſis, dum in Practica ſua, *quod ideo*, inquit, *providerunt, ut quæſtiones in Curiam traherent, & eorum avaritiam ſatiarent, quod tamen nunquam facient, quia clericorum animus & appetitus eſt anxius præ cæteris in pecuniis cumulandis contra honeſtatem communem & fidem Deo promiſſam, non attendentes, nec ſtudentes bonis moribus, nec ſcripturis tam divinis quam moralibus &c.*

Porro appellationis inprimis hic effectus, quod extinguat ſententiam, *l.* 1. *§. ult. ff. ad SCt. Turpil.* quod maneant omnia in ſuo ſtatu, nec quicquam tum innovetur, *l. un. ff. nih. innov. app. interp. c. dilectis* 55. *ext. de appell.* Ciron. *ad cap. veniens ext. de renunc.* Et hinc ſi poſtquam appellatum electio fiat nulla eſt, *cap. conſideravimus & cap. cum nobis ext. de el. & elect. pot.* Hinc & S. Bernard. *epiſt.* 205. *Nam quod poſt appellationem factam*

 ex-

extendiſtis manum ad res appellantis nec laudavi nec laudo. Sed nonnunquam ſecundum canones id & aliter ſe habet *cap. paſtoralis ext. de jur. patr.* Ad vacans aliquod beneficium præſentatus à patrono, & ab epiſcopo rejectus, ſuperiorem appellat. Appellatio dum pendet, patronus alium præſentat, & cum ea non obſtante admittit interim epiſcopus, & quidem recte, ut ait Papa *d. cap.* Non attenditur appellatio, ſi ex eo quod perperam aut contra canones fuit factum, aliquod nihilominus appellans vindicet ſibi jus, *cap. ult. ext. de jur. patr. ub.* Fr. de Roye. Et fruſtra interdum appellatur, ut quid ſi appellationi renuntiatum expreſſe, *l.* 1. *§.* 3. *ff. à quib. appell. non ſit.* aut quid ſi intra tempus præfinitum neglecta hæc, *cap. quod ad conſultationem ext. de ſentent. & re jud?* & contra nec neceſſe eſt interdum ut appelletur, ut quid ſi ſententia ſit nullius momenti, ſi in conſtitutiones & in leges impingat *l.* 19. *ff. de appell. l. un. ff. Qu. ſent. ſin. appell. reſc. cap.* 1. *ext. de ſent. & re jud?* A ſententia appellatur, *l.* 1. *& t. tit. ff. & C. de appell.* Ubi non eſt ſententia, nec appellatio etiam datur. Non eſt autem ſententia cum nulla eſt ipſo jure, *l. non dubium* 5. *C. de legib.* Nulla autem ipſo jure eſt, quæ lata eſt contra leges, *d. l. un. d. l.* 19. *d. l.* 5. Vulgo tamen mores, cum & ſemper poſſit quæri, an contra leges nec ne, non aliter id admittunt, quam ſi lata vel ab eo, qui erat judex incompetens, vel lata reo non citato, vel falſi procuratoris qui cauſam egit interventu. Rebuff. *ad conſt. reg. procem. gloſſ.* 5. *n.* 87. *& tr. de ſent. execut. art.* 7. *gloſſ.* 10. *n.* 8. Chriſtin. 1. *deciſ.* 348. *n.* 13.

Zypæ. *d. tit. verſ. pen.* Groenew. *ad l.* 1. *C. Qu. prov. non e. nec.* Waſſen. *pract. jud. cap.* 1. *n.* 10. Bugnyon. 1. *de legib. abr. tit.* 15. Appellatio etiam non recipitur, ſi periculum in mora eſt, *l. ult. ff. de appell. recip.* Nec recipitur, ſi fruſtratoria, ſi cauſa ſit nimis levis, & de calumnia ſatis conſtet, *c. qualiter ext. de jud. cap. pervenit c. paſtoralis, cap.* 36. 47. *&* 53. *ext. de appell.* Alioquin & id certum, quod non quantitas cauſæ, ſed gravamen locum appellationi dat, etſi cauſa non tanti, *cap.* 5. *cap. appellationibus* 11. *ext. eod.* Unde & propter gravamen ab interlocutoria; à qua vulgo non appellatur, *l.* 2. *ff. de appell. recip. l.* 2. *C. Quor. appell. non recip.* appellari tamen poteſt, ſi gravamen ejuſmodi, quod per definitivam reparari non poteſt, *d. l.* 2. ut ſi judex pronuntiet reum aut torquendum, aut in carcerem conjiciendum, ſi appellantem non admittat, aut ab eo appellatio pronuntietur deſerta. Nam & ejuſmodi pronuntiatio definitivæ habet vim. Fenzon. *ad Statut. urb. Rom. cap.* 176. *n.* 9. *& ſeqq.* Zyp. *jur. Pontif. lib.* 2. *tit. de appell. n.* 8. *&* 10. Bugnyon. *lib.*3. *de legib. abr. cap.*45. Felin. *ad rubr. de ſent. & re jud. n.* 11. Mynſing. 3. *obſ.* 36. A. Gail. 1. *obſ.* 138. *n.* 4.

TITULUS XVII.

DE

Officio Iudicis.

Officium judicis eſt ea facere, quæ judici ut judici facienda incumbunt. Iudex juris diſ-

ceptator eſt. Cujac. *par. C. de jud.* Et eſt vel ſecularis vel eccleſiaſticus judex. Eccleſiaſticus rurſum aut ordinarius aut delegatus. Ordinarius, qui diœceſi aut territorio præeſt ſuo jure. Delegatus, qui extra ordinem ad litem datus eſt decidendam. Utriuſque hoc officium, ne aliter judicet, quam conſtitutionibus eccleſiaſticis, legibus, edictis, & receptis regni moribus conſtitutum & proditum, *pr. Inſt. de offic. jud. l.* 19. *ff. de appell. l.* 13. *C. de ſentent.* & ſi pugnet reſcriptum Principis cum reſcripto Pontificis, ſequatur Principis, quod eſt fortius, nec, quæ regiis edictis vetitæ, inſcio patre & invito contractas nuptias confirmet. Injuſta alioquin ſententia eſt, & aut ipſo jure nulla, *l.* 19. *ff. de appell.* aut ut vult jus Canonicum, quod jam paſſim ſequuntur mores, tanquam ab abuſu appellari ab ea poteſt. Lantrecht *van Overyſſel part.* 1. *tit.* 19. *§.* 17. Coſtuymen *van Deventer part.* 2. *tit.* 18. Rebuff. *ad conſt. reg. procem. gloſſ.* 5. *n.* 87. *& tr. de ſent. execut. art.* 7. *gloſſ.* 10. *n.* 8. Bugnyon. 2. *leg. abr.* 125. *&* 5. *leg. abr.* 21. Zypæ. *notit. jur. Belg. tit. de appell. in fin.* Neceſſe eſt dicat, qui appellat, *Sententiam dico nullam, & ſiqua eſt appello.* Fenzon. *ad Statut. urb. Rom.* 1. *cap.* 189. *n.* 2. Caſus tantum excepti, ſi lata à judice incompetente, ſi lata reo non citato, & ſi falſus fuit procurator, qui cauſam egit in judicio. Chriſtin. 1. *deciſ.* 348. *n.* 15. Groenew, *ad l.* 1. *C. Qu. prov. n. eſt nec.* Waſſen. *pract. jud. cap.* 1. *n.* 10. Addunt Canoniſtæ, ſi ſententia contineat peccatum aliquod mortale, aut id quod contra fidem. Henr. Kalteiſen *de lib. prædic. verb. Dei apud*

Caniſ.

Caniſ. *to.* 4. *antiq. lect. p.* 116. Etiam judex eccleſiaſticus receptam formam judiciorum & bonam terræ conſuetudinem ut obſervet neceſſe eſt, *cap.* 3. *ext. de eo qu. mitt. in poſſ. cap.* 22. *ext. de accuſ.* Proſpiciat inſuper & attendat, ne aut non vocatum in jus aut non auditum condemnet. In jus vocatio enim initium eſt & fundamentum totius litis *can. vocatio* 5. *qu.* 2. Qua omiſſa quicquid actum & totus judicis proceſſus nullius momenti eſt, *l.* 7. *C. Qu. & quan. jud. cap. quoniam* 11. *ext. de prob. cap. ex literis* 4. *de reſt. in integr.*

Nec ſi actor vocavit ſufficit. Si non ſiſtat ſe contumax, neceſſe eſt judex etiam eum citet. Neceſſe, ut unice id ſemper caveat, ne legitimam defenſionem cuiquam præripiat, *l.* 13. §. 2. *C. de jud. l.* 1. *& t. tit. ff. de req. & abſ. damn. cap. ſciſcitantibus* 15. *qu.* 8. Deum hactenus imitando, qui nec primo omnium parenti Adamo eam abſtulit, dum eum vocat, ut defendat ſe, *Adam ubi es. Geneſ.* 3. *verſ.* 9. Neglecto eo, quicquid egit, nullius momenti eſt. Et nullius momenti, etiamſi id quod egit in rei favorem egit. Senec. *in Medea act.* 2. *ſc.* 2.

Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera,
Æquum licet ſtatuerit, haud æquus fuit.

Unde & Claudio objectum illud apud Senecam de morte Claudii: *Dic mihi, Dive Claudi, quare quemquam ex his, quos quaſque occidiſti, antequam de cauſa cognoſceres, antequam audires, damnaſti?* Plato in Demodoco apud Stobæum *ſerm.* 44. *μὴ δίκην δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς*, *Ne feras ſententiam priusquam utramque partem audieris.*

Rad. Forner. 5. *rer. quot.* 7. A. Gail. 1. *obſ.* 54. *n.* 7. Marant. 6. *part. de citat. prim. memb. jud. n.* 46. Scio caſus excepti ſunt. Et habet centum triginta Marant. *d. loc.* Habent alii adhuc plures. Chriſt. *ad ll. Mechl. tit.* 3. §. 6. *n.* 6. Menoch. 1. *arb. qu.* 17. Verum regulam jam propono. Ut addam caſus exceptos non eſt hujus inſtituti. Ivo *epiſt.* 219. *Præterea conſuetudinem Apoſtolicæ ſedis hactenus fuiſſe nec legimus, nec audivimus, ut ad delationem unius perſonæ quamlibet ſplendidæ ſententia daretur in abſentem præcipue, qui nec auditus fuerat, nec vocatus.* Joann. Sariſberienſis *epiſt.* 89. *Fuit ergo, ut dicebat, aut de facto, aut de jure, nulla ſententia, qua abſens condemnata eſt, non contumax, ſed incitata, cum conſtet ſententiam nihil habere fortitudinis, quæ contra ſolemnem ordinem judiciorum lata eſt.* Ut citentur rebelles, ut latrones, non neceſſe eſt. Anſelm. *Trib. Belg. cap.* 64. *§.* 3. Nec citatio olim ulla, nulla prævia defenſio, in occultis judiciis, Weſtphalicis, Vehmicis, de quibus jam dixi *lib. de jur. glad. cap.* 30. Qui judicia hæc exercebant, liberi Comites, *Frygravii.* Aſſeſſores, *Fryſcheffen, Vehmſcheffen.* Judicium ipſum *Fryding, Vehmding. Ding* idem quod judicium. Unde autem illud *Vehmding*, ſiquis quærat, peto, adeat *lib. de jur. glad. d. cap. n.* 4. A Carolo Magno inſtitutum, ad Weſtphalos compeſcendos, quorum tot annos pertinax & immanis rebellio, ad purgandam ſceleratis & ſeditioſis provinciam, affigendi patibulo ſine ullo eos proceſſu poteſtate conceſſa. Æn. Sylv. *Europ. cap.* 49. Fel. Faber. 1. *hiſt. Suev.* 7. Paul. Æmil. *lib.* 2. & 3. *hiſt.* Crantz.

lib. 2.

*lib.*2. *hiſt. Sax. cap.* 21. Freher. *tr. de occult. jud. pr.* §.13.*&* *ſeqq.* §. 25. *&* *ſeq.* Meibom.*Irminſ.Sax. cap.*12. In alia quidem omnia diſcedit Gryphiand. *de Weichbild. Saxon. cap.* 54. *&* *ſeq.* ad Carolum Magnum non referens originem hujus rei, ſed ad Comites-Weſtphalorum, poteſtate, ut vult, abuſos circa Ann. 1400. *d. cap.* 55. *in fin.* Sed non *αὐτὸν* tamen *κέκρουκε τὸν βατῆρα τῆς θύρας.* Nam & diu jam ante judicia hæc inſtituta, & à Carolo IV. poteſtatem etiam datam epiſcopis Trajectenſibus exercendi hæc, & creandi apud Salios in diœceſi Frygravios, ex diplomate ejus conſtat Ann.1361. quod habes *lib. de jur. glad. cap.*30. *n.* 3. ubi & diſerte: *plenam damus & concedimus, ac liberam &c. tenore præſentium &c. poteſtatem in terra ſive diſtrictu Twenthia & Salland ultra Yſelam verſus Weſtphaliam &c. Sedem liberam vulgariter* Fryſtul *nuncupatam liberorum Scabinorum, & Comites liberos* Frygravios *dictos creandi , habendi, conſtituendi, & obtinendi , & hujuſmodi judicium liberum ibidem per eoſdem juxta morem & conſuetudinem aliarum liberarum Sedium libere exercendi, ad fovendam pacem, & maleficos ac nocivos homines de illis finibus extirpandum &c.* Eſt etiam ejuſdem aliud apud Goldaſtum 1. *conſt. imp.* 1. *p.*344. quo duas Sedes ejuſmodi concedit epiſcopo & eccleſiæ Mindenſi Ann. 1354. *duas* , inquit, *liberas Sedes, quæ proprie & vulgariter Vemeding nuncupantur &c.*

Citatio ut ſit juſta, neceſſe, ut fiat ad rei domum, aut vicinis, ſi abſit *l.* 4. §. 5. *ff. de damn. inf. Inſtructie van den Hove van Hollant art.* 91. *Ampliatie art.* 8. *Coſtuymen van Utrecht rubr.* 5. *art.*1.

van Thiel. 2. *tit.* 1. §. 2. & 3. Si fugitivus, ſi latitet, ſi in locis agat longe diſſitis, ut fiat per edictum, per literas ad reum miſſas, & interdum, ſi res tanti ſit, per præconem etiam, per pulſum campanæ. Wielant *pract. civ. tit.* 2. *cap.* 4. Damhoud. *pract. civ. cap.* 54. Chriſt. *ad ll. Mechl. tit.* 1. §. 17. & *ſeq. n.* 13. Fenzon. *ad Statut. urb. Rom. lib.* 1, *cap.* 51. *n.* 3. & *ſeq.* Ut fiat per viatorem, niſi Dux ſit aut Princeps, qui more Regalis Curiæ per duos Principes citandus, ut ex conſilio Prudentum Arnoldus Dux Gelriæ Adolpho Duci Montenſi reſpondit, cum Adolphus de Ducatu ei Gelriæ moviſſet controverſiam, ut eſt apud Pontanum *hiſt. Gelr. lib.* 9. Ut de die fiat, non de nocte, & nec ante ſolis ortum, nec poſt ſolis occaſum, ut in legibus Scoticis eſt apud Skenæum. Ut fiat faſto die in diem faſtum. In feriatum ſi fiat, non tota eſt inutilis, ut voluit Imbert. 1. *Inſt. for. cap.* 13. ſed ſequens dies faſtus neceſſe eſt obſervetur tum, *arg. l.* 2. §. *illud etiam C. de temp. appell. c. cum dilecti ext. de dol. & contum.* Ex Actis Ultrajectinis: *In't jaer ons Heeren* 1403. *overdroech die Raet out ende niewe mit gemeene morgenſprake van allen gilden: In den eerſten ſullen die Boden, die de luden voor den Scepenen plagen te bieden, dagelicks dat volck bieden tegens den naeſten rechte, als men recht houdet, dat is te verſtaen, of men op den naeſten rechtdach geen recht en hielde, ſo ſoude dat bode ſtaende bliven tot den eerſten rechtdach, datmen recht hielde. Ende ſo wanneer datmen des ſmorgens geen recht en houdt, ſo ſullen die luden des avonts ten rechte comen, die daer des morgens gebeaen waren.*

ren. Add. Coſtuymen *van Amersfoort tit. Hoe men voor Schout en Schepenen procederen ſal. pr.* Coſtal. *ad l. 1. ff. de fer.* Rebuff. *ad conſt. reg. tit. de contum. art. 1. gloſſ. un. n.* 25. Si nefaſto fiat in faſtum exceptis Scotis, † qui rejiciunt, plerique eam admittunt. Fenzon. *ad Statut. urb. Rom. lib.* 1. *cap.* 58. *n.* 20. *& ſeqq.* Neceſſe etiam, ut ſi ſcripta, exemplum reo relinquatur, & quid ab eo reſponſum, quid dictum, aut factum, dein judici referatur. *Ampliatie van d'Inſtructie art.* 8. Chriſt. *ad ll. Mechl. tit.* 1. *§.* 7. *n.* 5. *& ſeq.* In quo creditur viatori, nec neceſſe eſt, ut hanc in rem teſtes adhibeat, *l.* 5. *C. de exact. tribut.* Vaſq. 5. *controv.* 24. Everhard. *conſ.* 778. A Gail. 1. *obſ.* 54. *n.* 4. Olim teſtes adhibebant. Etiam apud Francos. Wilhelmi Regis diploma Harlemenſibus conceſſum Ann. 1245. *Praeco non vocabit burgenſem ad judicium, niſi ad domum ſuam, coram duobus oppidanis, vel pluribus.* Lex Salica *tit.* 1. *in fin.* *Ille autem, qui alium* * *mannit, cum teſtibus ad domum illius ambulare debet, & ſic eum mannire debet, aut uxorem illius, vel quemcunque de familia illius, ut ei faciat notum.* Sed poſtea id ſenſim deſiit.

† Skenæ. *leg. Scot. lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 15.

* *Mannire* eſt citare. Lex Ripuariorum *tit.* 32. Capitul. Car. Magn. *lib.* 4. *§.* 25.

Deinde ut juſta ſit citatio, neceſſe eſt, ut contineat nomen judicis, qui citat, nomen & cognomen actoris & rei, cauſam ob quam ſit, locum & tempus. Coſtuymen *van Utrecht. rubr.* 5. *art.* 4. *van Amersfoort tit. van Citatien p.* 21. Chriſt. *ad ll. Mechl. tit.* 1. *art.* 19. Reſp. Holl. 3. *conſ.* 53. *n.* 22. Reſp. Ultraj. 1. *conſ.* 115. *pr.* Tempus certum ſit, neceſſe eſt. Ad diem incertum ſi ſit

facta non valet. Imb. 1. *Inſt. for.* 16. Quod ad locum, ut ſit tutus & non ſuſpectus, neceſſe eſt. Ad locum minus tutum, ad peſtilentem citatus, ſi non veniat, non peccat, munitus exceptione hac loci non tuti, *l.* 2. *§. ult. ff. de in jus voc. l.* 2. *ff. ſiq. caut. jud. ſiſt.* Chriſt. *ad ll. Mechl. tit.* 17. §. 3. *n.* 15. Moller. 2. *Semeſt.* 1. *&* 2. *Semeſtr.* 2. *n.* 2. Bouric. *de offic. Advoc. cap.* 14. Quam objiciet tamen fruſtra metu hoſtium ſe excuſans, cui hoſtes, ſi petiiſſet, petenti haud difficulter tutum iter præſtitiſſent, ut & fruſtra ſe excuſat aut vi tempeſtatum, aut latronum incurſu, qui cum poſſet, profectus citius, non incidere in procellas, in globos prædatorios, differre iter tantiſper maluit, donec malis circumventus prorſus ſiſtere id cogeretur, *d. l.* 2. *§.* 8. *ſiq. caut. in jud. ſiſt.* Anſelm. *Tribon. Belg. cap.* 68. §. 4. Merul. *prax. lib.* 4. *tit.* 34. *cap.* 3. Advijs-boek 1, *conſ.* 242. Excuſat morbus, ſi ſit ſonticus, *l.* 60. *ff. de re jud.* Non tantum morbus ipſius rei, ſed & patris aut avi, matris item, aut aviæ, patrui aut avunculi. Wielant *pract. civ. temp.* 3. *cap.* 2. *Lantrecht van t'Overquartier van Gelderlant part.* 2. *tit.* 7. *§.* 2. *n.* 15. Etiam medico vadato excuſationem dedit dignitas ægrotantis. Luc. 12. *placit.* 1. *§.* 3. Excuſat funus domeſticum *l.* 4. *§.* 4. *ff. ſiq. caut. jud. ſiſt.* etſi caſum habet ibidem Lucius, quo ob funus paternum filius non excuſatus à Parlamento Pariſienſi Ann. 1535. *§.* 3. Dixi *morbus, ſi ſit ſonticus.* Non vetus quartana, aut quod poteſt contemni vulnus, *l.* 1. *§.* 8. *ff. de ædil. ed.* Abſentia etiam excuſat, puerperium uxoris, peſtis, nuptiæ, captivitas,

vitas, & ſi de lite tranſactum ſit, *l.* 2. *pr.* §. 1. & *ſeqq. l.*4. §. 1. & §. 3. *ff. ſiq. caut. jud. ſiſt. Lantr. van Roermunde en 't Overquartier d. loc. van d'Oldampten lib.* 1. §. 40. Non quævis ſcilicet abſentia, ſed abſentia Reipublicæ cauſa. Lex Salica *tit.* 1. *in fin. Nam ſi in dominica Ambaſcia fuit occupatus, manniri non poteſt.* Et ſunt plures adhuc cauſæ,quarum Wielant meminit in praxi ſua *temp.* 3. *cap.* 2. *per tot. Sunnis,ſonnia,* cauſa ſontica,in legibus Germanorum. Marculf. *lib.* 1. *form. cap.* 37. *Ipſe nec veniſſet ad placitum nec ulla ſonnia nuntiaſſet.* Incertus Auctor *formul. cap.* 22. *Nec miſſum in vicem ſuam direxit, qui ullam ſonniam nuntiaret: & placitum ſuum neglexit, & jactivus exinde remanſit.* Vett. Gloſſ. *Sunnis, impedimentum. Siſonnia* apud Baldericum eſt 3. *Chron.* 42. *Eſſoniare* etiam dicunt, ut & *exoniare*, allegare impedimentum. Guilielmus Rothomagenſis Archiepiſcopus apud d'Achery *to.* 6. *Spicil. epiſt.* 42. *Archiepiſcopus vero ſive epiſcopus ſuper his non poſſet ſe exoniare, niſi haberet eſſonium proprii corporis, & ſi eſſonium proprii corporis haberet, tum loco ſui mitteret bona fide fideliorem & legaliorem.* Voces ſunt barbaræ, ſed originis Germanicæ. Dixerunt Belgæ etiam *ſumen*, & uſus Wielant ea voce eſt loco quem dixi, §. 1. *Maer d'Impetrant, die de daghinghe heeft laten doen, en is niet te ſumen, want hy perſoonlik komen, oft Procureurs ſtellen oft ſenden moet.* §. 3. *Siekte van Vader oft Moeder, ſiekte van Soon oft Oom &c. zijn goede ſumen na den ſtyle van den weerlicken Hoven, alſſer geen fictie noch bedroch en is &c. Jactivus* ſeu *jectivus*, qui citra ullam cauſam

ſam deſerto contumax vadimonio, ut in formula jam dicta. In Caroli Calvi Capitulis *tit.* 31. §. 32. *Mittat quiſque Comes miſſum ſuum, qui ipſa ſacramenta auſcultet, ne ipſi homines jectivi inveniantur.* Vid. ibid. Sirmond. Contumax autem is, qui ter citatus non ſiſtit ſe, *l.* 13. §. 2. *& ſeq. C. de jud. l.* 70. *& ſeqq. ff. eod. c. cauſam ext. de dol. & contum.* Alteſerr. *ad cap. cauſam ext. de conſtit.*

Officium judicis, ne abſentem & inauditum condemnet, *l.* 1. *ff. de req. vel abſ. damn. l. ea quæ C. quom. & quand. jud. l. meminerint* 6. *C. und. vi cap. inter quatuor ext. de major. & obed. cap.* 1. *ext. de cauſ. poſſ.* Salvian. *lib.* 8. *de gubern. Dei: Interfici indemnatum quemcunque hominem etiam* XII. *tab. decreta vetuerunt.* Auguſtin. *lib.* 1. *de civit. Dei: Vos appello leges judiceſque Romani, nempe poſt patrata facinora nec quenquam ſceleſtum indemnatum impune voluiſtis occidi.* Cuj. 4. *obſ.* 12. Alteſerr. *ad cap. bonæ memoriæ ext. de elect. & el. pot.* Abſentem & contumacem ſi condemnet, non peccat, *l.* 20. *ff. comm. divid.* Et eo pertinent exempla, quæ Ann. Robertus habet 1. *rer. jud. cap.* 10. Coriolanus quum non adeſſet ad ſtatutam diem damnatus eſt. Liv. *lib.* 2. *hiſt.* Camillus ſimiliter. Idem *lib.* 1. *hiſt.* Tribunis plebis rogantibus apud eundem plebs ſcivit *lib.* 25. *hiſt. Si M. Poſthumius ante Kalendas Majas non prodiiſſet, citatuſque eo die non reſpondiſſet, videri eum in exilio eſſe.* Item apud eundem *lib.* 26. *hiſt.* ubi ſermo de Bacchanalibus: *Conſules indici præmium propoſuerunt: Siquis quem ad ſe deduxiſſet, nomenque de abſentibus detuliſſet: qui nominatus profugiſſet, diem*

certam finituros, ad quem niſi citatus reſpondiſſet, abſens damnaretur. Concilium Duziacenſe *cap.*35. *Verum de trina commonitione ſacræ leges dicunt, quicunque tribus auctoritatibus judicis conventus, vel tribus edictis ad judicem fuerit provocatus, aut uno pro omnibus peremptorio, id eſt, quod cauſam extinguit, fuerit evocatus, & præſentiam ſuam apud eum judicem, à quo ei denunciatum eſt, exhibere noluerit, adverſus eum quaſi in contumacem judicari poteſt.*

Abſentem dico & contumacem, præſertim ſi ex iis, quæ acta, geſta apud judicem, quæ producta, & narrata, abunde ipſi de cauſa & jure partium jam conſtet, *d. l.* 13. §.2. ſalvo tamen, quod ſi contumax nondum lata ſententia cauſam dicat contumaciæ, & ſe petat reſtitui, recipiat ſupplicem & reſtituat, *l. ult. ff. de req. vel abſ. damn. cap. per tuas ext. de ſent. excomm. Inſtructie van den Hove van Hollant art.* 110. Bugnyon. 2. *de leg. abrog. cap.* 103. *in not.* Alteſerr. *ad cap. ex literis ext. de conſtit.* nec pro eo etiam, ſi perſpexerit meliorem eſſe ipſius cauſam, moretur ſententiam ferre, ita tamen ut, quamvis ferat, nihilominus ob contumaciam in expenſas condemnet, *d. l.* 13. §.2. *Inſtructie van den Hove van Hollant art.* 108. Nec mirum de expenſis. Ubi trina citatio, qui ad tertiam demum ſiſtit ſe, priorum ſolus expenſas ſuſcipit. Et generalis eſt regula, contumacem non audiendum, niſi ſumptu & expenſis ab eo prius refuſis. *Statuten van Frieſlant lib.* 3. *tit.* 3. §. 28. *& ſeqq. van d'Omlanden lib.* 2. §. 29. *van d'Oldampten* 1. §. 58. Menoch. 1. *arbitr. qu.* 36. Imb.

4. *Inſt.*

4. *Inſt.* 3. *lit. b.* Et ſi nec ad tertiam, rei quidem de qua quæſtio poſſeſſio ob contumaciam actori adjudicatur, ſed intra annum ſi reus veniat, & contumaciam ſuam purget, ſolutis prius expenſis, ex aſſe eam recipit, *l.* 8. *§. ult. C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *ann. cap. cum veniſſet ext. de eo qu. mitt. in poſſ. cap. quoniam* §. *ult. extr. ut lit. non conteſt. Inſtructie van den Hove van Hollant d. art.* 100. *Inſtructie van Hertogh Carel voor den Hove van Hollant van date den* 4. *Sept.* 1463. Joan. Saresberienſ. *epiſt.* 17. *Cum ergo cauſas appellationis præſente adverſario Rogerius allegaret, ſe ab epiſcopo Lincol. in eo contra rationem juris gravatum aſſeruit, quod abſens, inauditus, indefenſus, ſpoliatus eſt, contumacia ſibi impoſita, cum nullam unquam vocationem judicis contumaciter neglexiſſet. Præterea ſi contumax extitiſſet, poſſeſſionem ſuam intra annum venienti parato ſatisdare judicio ſiſti ſibi reſtituendam eſſe dicebat de jure legum, ſanctæ eccleſiæ Rom. conſuetudine, veſtigia cujus, ut juſtum eſt, Anglorum eccleſia imitatur.* Si *de cauſa* ipſi dixi & *jure partium* jam *conſtet.* Si non conſtet, non liqueat, nec abſolvet reum, nec condemnabit. Abſolvet eum ab inſtantia, ſed quod ad cauſam principalem neceſſe eſt dicat, *Non liquet*, eo interim, qui contumax, condemnato in expenſas, *l. Pomponius* 36. *ff. de re jud. Inſtructie van den Hove van Hollant art.* 108. *Coſtuymen van Utrecht rubr.* 6. *art.* 5. *van der Goude tit. van Comparuit ende Deffauten art.* 8. Aſcon. *in Divinat. Judices in ciſtam tabulas ſimul conjiciebant ſuas, eaſque inſculptas literas habentes, A, abſolutionis, C, condemnationis: Cum*

de

de alicujus capite agebatur, N. L. ampliationis: his enim literis ſignificabant, Non liquere. Add. A. Gell. 14. *noct. Attic.* 2. Briſſon. *de formul. lib.* 5. Romani tabulis in id uſi. Græci uſi lapillis. Ariſtoph. *in Veſp.*

Τηνδὶ λαβὼν τὴν ψῆφον ἐπὶ τὸν ὕστερον
Μύσας παρᾴξον, κἀπόλυσον ὦ πάτερ.

Hunc ſume calculum, inque poſtremum cadum
Mitte, atque iſtum abſolve connivens, o pater.

Sueton. *in Octav. cap.* 33. *Non tantum duas tabellas, damnatoriam & abſolutoriam, ſimul cognoſcentibus dedit: Sed tertiam quoque, qua ignoſceretur iis, quos fraude ad ſignandum vel errore inductos conſtitiſſet.* Ovid. 15. *metam.* 41.

Mos erat antiquis niveis atriſque lapillis,
His damnare reos, illis abſolvere culpa.

Tabulæ autem erant cereæ. Cic. 1. *in Verr. Ceratam unicuique tabellam dati cera legitima.* Petit. *ad ll. Attic. p.* 332. Curet porro etiam judex, quo expeditius tractetur res, ſcriptis omnia comprehendi *can. legum* 11. *qu.* 1. De libello res certa eſt, quod ſcriptus debeat offerri *cap.* 1. *ext. de libell. oblat.* Nam libellus ſcriptura eſt actoris continens intentionem, §. *tripli* 24. *Inſt. de act. l. amplius* 15. *ff. rat. rem hab.* Judicii partes ſunt tres, litis conteſtatio, cognitio cauſæ, & ſententia. In jus vocatio non eſt pars, ſed initium, ut dixi, *l. amplius* 15. *ff. rat. rem hab.* Litis conteſtatio eſt rei ſive cauſæ in judicium deductio per narrationem actoris & contradictionem rei. *l. un. C. de lit. conteſt.* Nec per ſe ſolus actor dicitur litem conteſtari, ſed conteſtari cum reo. Et petitionem

neceſſe

neceſſe eſt ut ſubſequatur reſponſio *cap. dudum* 54. *ext. de elect. & el. pot. cap. ult. in clem. de verb. ſign.* Poſtquam lis eſt conteſtata, neceſſe eſt judex accurate cauſam ipſam diſcutiat, & cauſa cognita & diſcuſſa, ſtrangulatis affectibus, & habens Deum ante oculos tandem ferat ſententiam, *l. 13. in fin. ff. de recept. qu. arb. rec. auth. novo jure C. de pœn. jud. qu. mal. jud.* Morn. *ad l. 13. in fin. C. de jud.* Ut ubi viget jus Romanum, ſi ſit cauſa criminalis, ferat intra biennium, ſi civilis, intra triennium *l. 13. §. 1. C. de jud. l. ult. C. ut intr. cert. temp. crim. quæſt.* Ubi contra Canonicum, quo & hactenus utimur apud nos, decidat cauſam, quamprimum poſſit. Nam tempus hic arbitrarium, *cap. venerabilis ext. de jud. in 5. Compil.*

Ferat autem non aliam quam libello conformem, *l. 18. ff. comm. div. l. ult. C. de fideic. lib.* ferat lingua uſitata, *l. 12. C. de ſent. & interl.* loco ſolito & deſtinato pronunciandis ſententiis, *l. 6. C. eod. l. 21. §. pen. ff. de rec. qu. arb.* in vivum ferat, non in mortuum; *l. 3. ff. de publ. jud. l. ult. C. ſi re. vel accuſ. mort.* niſi eo adhuc vivo concluſum jam in cauſa, etſi parum obſervatum id à Pontificiis in cauſa fidei, ut ex ſuperioris ſeculi hiſtoriis ſatis conſtat. Ex IV. Curiæ Provincialis Trajectenſis Memoriali. *Op den 29. Januar.* 1584. *is by den Hove gereſolveert, datmen wel mach pronuncieren pro & contra mortuum, mits dat het proces gefurneert, aut concluſum in cauſa by het leven van den overleden is geweeſt.* Obſervet etiam, ne ſententiam, quam ſemel tulit, dein mutet *l. 14. ff. de re*

de re jud. Emendare eam poteſt quod ad verba, ſi obſcura hæc. Quod ad ſubſtantiam non poteſt *d. l.* Fenzon. *ad Statut. urb. Rom.* 1. *cap.* 188. *in fin.* Ne judex quidem ſecularis eccleſiaſticum poteſt cogere, ut ſententiam, quam tulit, mutet, ut nec poteſt viciſſim eccleſiaſticus ſecularem, quamvis alter ab altero dicat perperam judicatum. Anſelm. *C. Belg. verb. Sententia §.* 2. Judex deſinit eſſe judex, poſtquam dixit ſententiam, *l.* 55. *ff. de re jud.* Ideoque aut appellandum, ſiquis putet ſe gravatum, *l.* 1. *& ſeqq. & t. tit. ff. & C. de appell.* aut adeundus eſt Princeps, *l.* 45. *§.* 1. *ff. de re jud.* ut factum apud Plinium 7. *epiſt.* 6. *Finem cognitioni quæſtio impoſuit, quæ ſecundum reos dedit. Poſtea mater adiit Principem; affirmavit ſe novas probationes inveniſſe. Præceptum eſt Serviano, ut vacaret finitam cauſam retractanti, ſiquid novi afferret.* Obſervet etiam, ut quantum ei poſſibile eſt ferat certam ſententiam, *§.* 32. *Inſt. de act. l. pen. & ult. C. de ſent. qu. pr. eo qu. int. l.* 59. *§.* 2. *ff. de re jud. l. quid tamen* 21. *§.* 3. *ff. de rec. qu. arb.* Anſelm. *ad edict. perp.* 18. §. 4. Ut de die eam dicat, & quidem mane, ſi poſſit, non medio horrore noctis, *cap. conſuluit ext. de off. jud. deleg.* ut tyrannice olim Simplicius apud Ammianum *lib.* 28. *hiſt. Anepſiam horrore medio tenebrarum audire diſpoſuit, quo tempore hebetari ſolent obſtrictæ terroribus mentes, ut inter innumera multa Ajax quoque Homericus docet, optans perire potius luce, quam pati formidinis augmenta nocturnæ.* Contra cum feciſſet Ellebichus magiſter militum judex datus in ſeditioſos inter cæteras ejus lau-

Poteſt ſupplere aliquid, ſi id fiat in continenti, quamdiu nondum de tribunali aut de loco diſceſſit. Reſp. *Holl.* 1. *conſ.* 290.

des & illud retulit Libanius *orat. ad Ellebichum. Hoc primum* , inquit, *gratificatur nobis* , *μήτε ἐν μέσαις νυξὶ , μήτε ἐν πρώταις ἀλεκτρυόνων ᾠδαῖς ἥκειν ἐπὶ τὸν θρόνον , ὡς αὐτῶν τε ἐν αὐτοῖς τῶν καιρῶν ἐχόντων εἰς ἔκπληξιν ἀφορμάς , quod non medio noctis horrore, aut ſub primum gallicinium tribunal ingreſſus eſt, eo quod hæc tempora terrorem animis injicere ſoleant.* Si poſſit dixi. Nam & certum , quod interdum non poteſt. Quid ſi moram res non ferat? Quid ſi partes diſceptando protrahant rem in noctem. Plin. 4. *epiſt.* 9. *Fecit enim hoc quoque , ut cætera , impudentiſſime , quod poſt duos , & conſulares & diſertos , tempus ſibi , & quidem laxius, vindicavit. Dixit in noctem , atque etiam nocte , illatis lucernis.* Vid. *t'Lantrecht van Overyſel* 1. *tit.* 9. §. 2. *van Selwert lib.* 2. §. 3. *van d'Omlanden* 1. §. 24. *van Weſtzaenden p.* 69. Fenzon. *ad Statut. urb. Rom. part.* 5. *cap.* 1. *n.* 2. Ut ita ſeſat, ut conſtet, abſolvat an condemnet *t. tit. C. de ſent. qu. ſin. cert. quant. prof.* aut ſi ſibi non liqueat juramento id affirmet *l.* 36. *ff. de re jud.* Seneca *epiſt.* 8. *Aut fer ſententiam , aut quod facilius in ejuſmodi rebus eſt , nega tibi liquere.* Ut non victum tantum victori , ſi victus temere litigavit , *l.* 79. *pr. ff. de jud.* ſed victorem etiam victo , ſi vicit abſens per contumaciam , in expenſas condemnet , *l.* 13. §. 2. *C. eod.* Wurmſer. *pract. quæſt.* 23. *cap.* 2. Abſens inquam per contumaciam. Nemo autem ejuſmodi , niſi qui ter citatus ſui copiam non fecit, *l.* 53. §. 1. *ff. de re jud. l.* 13. §. 2. *C. de jud.* Gunther. *lib.* 1. *v.* 632.

Quem

Quem tribus abſentem totius Curia regni
Cenſuit edictis in jus debere citari.

Idem *lib.* 3. *verſ.* 187.

Ne tamen Auguſto quicquam ſub Principe certo
Ordine non fieret, rurſus tribus eſſe citandos
Edictis Ligures juris ſuaſere periti.

Et hic & qui temere controverſiam alicui movit condemnandus ſic ut dixi, ſed non ſemper qui temere in expenſas univerſas. Pro re nata in earum ſemiſſem tantum, aut trientem, aut quadrantem duntaxat, ut ſi res ſit cum eo, qui junctus eſt nobis ſanguine, cum cognato, aut affine. Ab Hollandiæ tamen Curia etiam facta eo caſu compenſatio expenſarum, ut exemplum habet Neoſtadius *deciſ. Cur. Holl.* 1. Facta etiam idcirco à ſupremo Ultrajecti Reviſionis conſeſſu *Ann.* 1668. 29. *April. in cauſa van Henric van Zoudenbalch Dyckgraeff van den Leckendyck en Alard van Zoudenbalch nomine uxoris gedaechde.* In ſemiſſem facta condemnatio ab eodem conſeſſu *Ann.* 1647. 29. *Jul. in cauſa van Johan en Thomas van der Marck op en jegens Louys van Malapert Heere van Jutphaes gedaegde*, verbis his, quæ ſequuntur: *Ende alſo by de Impetranten niet ter goeder trouwen was geproduceert ſeker extract uyt den teſtamente, hebben wy de ſelve gecondemneert in de helft van de koſten van Reviſie, en de verdere koſten gecompenſeert, om dat den gedaechde is Stiefvader van de impetranten.* Et rurſum ab eodem Ann. 1650. 29. Maji *in cauſa van Louys van Malapert impetrant van Reviſie op ende jegens Johan ende Thomas van der Marck gedaechdens* verbis ejuſmodi: *Hoewel wy deſelve ten opſichte van*

de affiniteyt alleen in de helſte der koſten van die inſtantie hebben gecondemneert , ende de koſten van deſe inſtantie gecompenſeert , om dat de gedaechdens de ſententie van den Hove voor haer hadden. In ſemiſſem etiam condemnatus, qui conſilio fretus Advocati ad litigandum acceſſerat. Reſp. Ultraj. 2. *conſ. 6. in fin.*

Judici certe id obſervandum, cum condemnat in expenſas, ne in nimias condemnet, ſed in juſtas & moderatas, conſuetas vulgo fieri, & revera etiam factas, *cap. 5. ext. de dol. & contum. cap. 5. ext. de eo qu. mitt. in poſſ. cap. 1. in fin. ext. de ſequeſt. poſſ. & fruct. cap. 1. in fin. ext. de except. in 6.* Etiam obſervandum, ne in eas condemnet fiſcum. Seu vincat fiſcus, ſeu vincatur, ab expenſis immunis eſt. *Ordonn. van 't Hof van Utrecht tit. 2. §. 10. & ſeqq. Coſtuymen van Amersfoort tit. van Arreſten §. Item indien, van Antwerpen tit. 68. pr. van Caſſele art.* 129. Imbert. 3. *Inſt. for.* 1. Chriſtin. *ad leg. Mechl. tit. 1. §. 6. n. 9.* Morn. *ad l. 79. ff. de jud.* Berlich. 4. *concl.* 19. & 1. *concl.* 78. *n.* 11. Bouric. *captiv. cent.* 2. §. 6. & 29. Cum juſta eſt ipſi cauſa in reum criminis inquirendi, quamvis probationes ad condemnandum non ſufficiant, neceſſe eſt tamen, ut qui ſuſpectus, quas fiſcus fecit expenſas, ſolvat, ut cum quæſtio incidiſſet, & à Curia Provinciali Ultrajecti deciſum, & à Senatu Sabaudiæ, ut videre eſt apud Fabrum *tit. de fruct. & lit. expenſ. def.* 40. & *def.* 66. Non ſportulas tantum & honoraria, ſed ſumptus etiam in conficiendis & componendis ſcripturis, ratione temporis etiam habita, quod inſumptum in componendo.

nendo. Quod & Curiæ Provinciali Ultrajecti olim placuit. Ex quarto ejus Memoriali: *Op den 6. December 1583. naer den noene is in deliberatie geſtelt, of die Procureur Generael ſal winnen coſten, als een gevangen omme eenige merckelike redenen by ſententie van den Hove ſal werden gecondemneert in de coſten ende miſen van juſtitie, te weten of hy in taxatie van dien ſal mogen brengen vacatie binnen die Stadt gedaen, mitsgaders het maecken van ſchriftuyren, gelyck doen andere Advocaten ende Procureurs. Ende naer vele communicatien mitsgaders geſien t'gene by de nieuwe Inſtructie diensthalven geordineert wert, is by die van den voorſz. Hove gereſolveert, dat den voernoemden Procureur Generael in cas van alſulcke condemnatie, als boven, die voorſz vacatien ende ſchriſturen ſullen worden gepaſſeert als andere Advocaten ende Procureurs. Actum ten daghe voorſz., præſentibus Bruxelles, Heremale, Canter, Pauw, Ruyſch, Radelandt.* Sic tamen id accipiendum, ut & modus ſervetur, nec judex ultra quam oportet in quenquam liberalis ſit, vel vanum calculum admittendo, vel mendacem, & futilem, præter omnem æquitatem ſcripturis etiam admiſſis, quarum ſingulæ conſtant lineæ vix quatuor aut quinque literis. *Non poſſum profecto hic temperare*, ait Imbertus 1. *Inſt. for.* 51. *quin adverſus pragmaticorum quorundam rapacitatem invehar, qui & per ſe ipſos & amanuenſes ſuos ſanctiſſimam mercedis conſtitutionem violant. Quum enim regiis conſtitutionibus edictum ſit, in ſingulos verſus, ſeu lineas, tredecim elementa ſcribenda eſſe in foliis chartaceis, hac ſolertia, imo potius nequitia, id eludunt: nam uniuſcujuſque elementi figuram ita dilatant, ut unius lineæ ductus ſex*

tantum elementis concludatur. Qua arte nihil ut ſordidius, ita nulla res magis reipubl. nervos vireſque atterit &c. Cum juſta eſt, dixi, cauſa. Secus eſt, ſi aut conſtet de evidenti calumnia, aut niſi de incredibili & ingenti inſcitia pari cum impudentia & procacia conjuncta. Exemplum extat luculentum in fiſco Ultrajectino Abrahamo à Weſel *miſcell. exerc.* 3. Aliud ſiquis quærat, aliud adhuc addam ex Actis Ultrajectinis. Ann. 1530. *des Donderdaechs na St. Jan Baptiſt: In der ſaecken hangende voor den Schout, Burgermeyſters, ende Schepenen tuſſchen den Schout deſer Stadt van Keyſel. Majeſteyts wegen aenlegger ter eenre, ende Gerbrant van der Duyſt Deurwaerder deſer Stadt gevangen ende Verweerder ter andere ſyden, beroerende ſekere woorden, ende anders, die de Scout hem aengeſeyt ende in ſcrift overgegeven heeft, daer Gerbrant weder op geantwoort heeft, ſo als hy is een Borger ende onderſaet der Stadt van Utrecht, ende men ter waerheyt niet bewyſen en ſal als recht is, hy eenige Criminele feyten gedaen heeft. Ende gemerckt die Ordonnantie van Keyſerl. Maj. wegen den Scout, Burgermeyſteren, ende Scepenen onlanx overgelevert in een punt vermelt, dat den Scout niemant vangen en ſal, ten ſy informatie pracedente gegaen en ſy, ende dat hy daerom behoort coſteloos ende ſcadeloos op ſijn vrye voeten ontſlegen te ſyn, ende dat die Scout in den coſten, ſcaden, ende intereſſe gedaen ende te doen, behoorde condemneert te worden tot taxatie van Borgemeyſters ende Schepenen, die Schout ſuſtineerde ter contrarie. Gehoort by Borgermeyſters en Schepenen, dat partyen aen beyden ſyden hebben willen ſeggen, wyſen Borgemeyſters ende Schepenen voor recht, dat*

dat Gerbrant voorſz. op ſijn vrje voeten weſen ſal, ende dat die Scout ſijn coſten ende ſchaden tot taxatie van Burgemeyſters en Scepenen betalen ſal, Reſerverende &c. Si conſtat dixi. Nam probandum id, & probandum evidenter, *arg. l. ult. C. de prob.* Si non probet, qui id dicit, extra ordinem punitur, & interdum in expenſas. Chriſtin. *d. §.* 9. *num.* 1.

De eo interim ſatis conſtat, quod expenſæ debent ſingillatim & in ſcriptis declarari, minutatim etiam taxari, non ſimul & ſemel omnes, certa ſumma earum nomine actori adjudicata. Imbert. 1. *Inſt. for.* 53. *lit. b.* Standum etiam in dubio declarantis juramento, quod ad ſumptus ſcilicet ipſos, non quod ad ſumptuum quantitatem. Standum, quod ad id, quod quis contulit ſe in iter, quando item, & quoties, ſed non quantum ad ſummam, quam contendit ſe expendiſſe. Imbert. *ibid. lit. c.* Taxare eſt judicis, qui condemnavit, & ſi iniqua ſit taxatio, appellatio habet locum. Quæ locum etiam habet, ſi judex aut præter fas in expenſas condemnet, aut condemnet in immenſum, admittendo etiam delicatas, & quæ vergunt in luxum. Luc. 11. *placit. tit.* 16. *§.* 10. Peck. *de jur. ſiſt. cap.* 51. Bouric. *de offic. Advoc. cap.* 43. Verum tum cum appellatur, & taxatio ceſſat & executio. Appellatio enim, ut notum, extinguit ſententiam, *l.* 1. *in fin. ff. ad SCt. Turpil. l. un. ff. nih. innov. appell. interp.* Imb. 2. *Inſt.* 17. *lit. a.* Quod ſi judex ſit ſupremus, à quo fruſtra appellatur, Reviſio poteſt peti. *Ordonn. van den Hoogen Raedt pag.* 97. Quod ſi

 fiat

fiat appellatio, nihil interim innovandum, ſed ſuſpendenda eſt executio *d. l. un.* Si reviſio non item, *l. un. ff. de off. præf. prat. nov.* 115. *cap.* 5. Papegaey 1. *cap.* 5. Quo quamvis nihil certius, multis tamen in locis, cum appellatur a taxatione, executio non inhibetur. *Ordonn. van den Rade van Brabant art.* 629. Anſelm. *C. Belg. tit. van appellatien §.* 16. Quapropter curet condemnatus, nequid temere aggrediatur, ſed diligenter quid expediat, aut non expediat, perpendat. Temere enim ſi appellet, aut ſi petat Reviſionem, condemnandus in expenſas etiam hujus inſtantiæ, *l. properandum* 13. *§. ſin autem Cod. de jud.* Paul. *recept. ſent. lib.* 5. *tit. de meritis appellationum.* Petr. Jac. de Ferrariis *in ſua praxi in forma libelli de rei vindic. §. Item recte petitur, quod reus condemnetur in expenſis.* Bugnyon. *de legib. abr. lib.* 4. *cap.* 40. Statuta alioquin etiam mulcta, quam ſuccumbens incurrit, ſive ab eo temere quicquam factum, ſive non. *Ordonn. van den Hove van Hollant art.* 211. *&* 213. *van den Hove van Utrecht tit. van ſaken die by appel ten Hove comen art.* 2. *& tit. van Reviſie art.* 1. Concilium Duziacenſe *part.* 2. *cap. ult. in fin. Et ex interpretatione legis Valentiniani, Valentis, & Gratiani Auggg. ad Claudium: Lex iſta hoc dicit: Cronopium epiſcopum à multis epiſcopis fuiſſe damnatum, & ſtuduiſſe eum, ante judicium, ſententiam, quæ proferebatur, appellatione ſuſpendere; à qua ſententia, quia juſte prolata fuerat, appellare minime debuiſſet. In qua eum gravi mulcta, id eſt, 50. libris argenti addictum fuiſſe dicit.* Sainſo. *ad conſ. Turon. tit.* 15. *§.* 11. *&* 13.

Porro

Porro & illud obſervandum, ut aut dictet judex ſententiam, aut manu ſua ſcribat, & ſcriptam deinde ex periculo, ex tabella, pronuntiet, *l.2. & t. tit. C. de ſent. ex per. recit.* Et retinendum id *ex periculo.* Periculum idem quod libellus. Corn. Nepos in Epaminond. Cicer.*3.in Verr. tabulæ periculaque magiſtratuum.* Nec lectio ſollicitanda, nec mutandum *periculum* in *pariculum*, aut *breviculum*, ut multis docet Salmaſius *de mod. uſur. cap.* 15. *p.* 671. Retinent etiam Cujac. *par. C. d. t.* Lucius 11. *placit. ad tit. ff. de re jud.* aliique. Pronuntiet autem vel per ſe, vel per officium, aut actuarium, *d. l.* 2. Ado de S. Sabina: *Præfectus dictavit ſententiam.* Paſſio S. Maximiliani *in fin. Et decretum ex tabella recitavit.* Acta Sanctorum Phileæ & Philoromi apud Combefis: *His Præfectus auditis ex tabella in eos ſententiam dixit.* Cyprianus apud Pontium enarrans viſionem, qua martyrium prædictum ei: *Videbar mihi tribunali ſedentis tum Proconſulis admoveri. Is ut in me reſpexit annotare ſtatim in tabula cœpit ſententiam.* Velſer. *ad Paſſion. S. Afræ n.* 40. Imb. 5. *Inſt. for.* 19. Olim ipſe pronuntiabat. Sueton. *in Claudio cap.* 15. *De quodam etiam negotio ita ex tabella pronuntiaſſe creditur.* Tertullian. *Apologet. cap.* 11. *Denique quid de tabella renuntiavit illum Chriſtianum, cur non & homicidam?* Paſſio S. Cypriani: *His dictis decretum ex tabella recitavit.* Paſſio S. Criſpinæ apud Mabillon. *to.3. analect. in fin. Anulinus Proconſul ſententiam ex libello legit.* Hodie etſi id ab Actuario fit judex tamen ſubſcribit. Quod non novum ſed vetus eſt. Notitia judicati Ann. 1171.

Diff. Budæ. *annot. prior. in Pand.* Alciat. *diſpunct. lib.* 1. Rebuff. *ad l. quod. juſſit ff. de re jud.*

quam habet vir doctiſſ: Camillus Peregrinius ad *hiſt. Longob. Ut dictum, quod geſtum eſt, memoriam non effugiat, pro ſecuritate quoque civium Sueſſanorum, nos qui ſupra Alexander, & Joannes Capuæ judices hæc omnia in ſcripto redigenda tibi Petro nos commiſimus &c. Ego qui ſupra Alexander Judex. Ego Valerianus judex. Donatus judex. Ego Adenolfus de Patricio interfui. Ego Riccardus Citri Regius Comeſtabulus interfui.* Alia apud eundem, quæ paulo adhuc antiquior, Rogerio Rege Siculorum, & quinto anno Principatus Guilielmi filii ejus ſcripta: *Ne quæ ſuperius geſta ſunt oblivioni tradantur, præſens noſtrum ei exinde Judicatum emittere curavimus. Quod tibi præmemorato Philippo Notario præſenti in Actis deducendum commiſimus:*

Ego qui ſup. Tolomeus Judex.
Ego qui ſup. Petrus judex.
Ego qui ſup. Leo judex.
Ego Rogerius Not. & Curiæ Advocatus.
Ego Guilielmus Notar. & Advocatus interfui.
Ego Joannes Not. interfui.
Ego Gervaſius Notar. interfui.
Ego Petrus Notar. interfui.
Ego Pandulfus Not. interfui.
Ego Landulfus interfui.
Ego Joannes de Burgent. interfui.
Ego Jezolinus de Rocca interfui.
Ego Ra..... interfui.

Semper autem ex tabella. Sententia aliter pronuntiata nullius momenti eſt, nec ſententia meretur dici, *l.* 3. *C. de ſent. ex peric. rec.* Conſtitutiones Siculæ *lib.* 1. *tit.* 75. *Ab omnibus regni noſtri fidelibus,*

bus, quemcunque dignitatis gradum aut juriſdictionis obtineant, obſervari præcipimus, quod omnes ſententias diffinitivas in ſcriptis proferant. Quod ſi forte facere neglexerint, nullius momenti verbales & non ſcriptæ ſententiæ reputentur. Hincmari Laudunenſis Scedula epiſcopis & per eos Regi porrecta: *Sententia ſine ſcripto dicta juxta definitiones inviolabiles nec nomen ſententiæ habere meretur.* Hincmarus Remenſis *epiſt. 7. cap. 6. Et quia ſecundum ſacras leges ſententia ſine ſcripto dicta nec nomen ſententiæ habere merebitur &c.* Nec aliud placuit Canoniſtis *can. legum* 11. *qu.* 1. Alteſerr. *ad c. quoniam ext. de teſt.* Fenzon. *ad Statut. urb. Rom. lib.* 1. *cap.* 118. *pr.* Singulare illud jus eſt Præfecti prætorio, quod non ex ſcripto ſed verbo tantum dicat ſententiam *l.* 2. *C. de ſent. ex per. rec.* Caſſiod. de eo *6. var.* 3. *delicta provinciarum judicum punit, verbo ſententiam dicit*, ub Forner. Publice etiam id factum pro tribunali, aut alibi, loco ad id deſtinato *l. 6. C. de ſent. & interl.* ſed non in diverſoriis, in popinis, in ganeis, *l.* 21. §. *pen. ff. de recept. qu. arb.* Statuten van Frieſlant *lib.* 3. *tit.* 3. §. 2. Lantrecht van Overyſſel 1. *tit.* 1. §. 5. Vino in diverſoriis mens oppreſſa pervertitur. Nec ſperandum inter pocula quicquam æqui aut juſti. Unde & cautum jam olim, ut jejuni judices audirent cauſas, Lex Longobard. *lib.* 2. *tit.* 52. §. 4. & 11. Carol. Magn. Capitul. *lib.* 1. *cap.* 62. *in fin.* & quocunque quidem loco, ubi ſalva dignitate, ſalvo majorum more, ipſi id conſtituiſſent, *l.* 11. *ff. de juſt. jur. l. 6. C. de ſent. & interl.* Honeſto ergo haud dubie *d. l.* 11. Et ſi honeſtus ſit ſufficit.

Ut

Ut tribunal, non neceſſe eſt. Tribunal habet magiſtratus. Habet cui eſt juriſdictio. Judex datus non habet. Sedens is quaſi humi, & ad pedes magiſtratus, humiliori loco, officio ſuo functus. Unde & dictus pedaneus, Græcis χαμαιδικαστής. Sedens dico quaſi humi. Vulgo enim id ita factum. Sed ſtet an ſedeat nihil refert, *l.4. §. 1. ff. de interr. in jur. fac.* Cicer. *de clar. Orator.* *Si anguſte & exiliter dicere eſt Atticorum, ſint ſane Attici, ſed in comitium veniant, ad ſtantem judicem dicant: Subſellia clariorem & grandiorem vocem deſiderant.* Menoch. 1. *arb. qu.* 61. Tribunal locus editior, βῆμα idcirco Græcis, cui planus opponitur. Senec. 1. *de clement. cap.* 5. *Hæc tamen magnanimitas in bona fortuna laxiorem locum habet, meliuſque in tribunali, quam in plano conſpicitur.* Tribunal gradibus aſcendendum. Euſeb. *hiſt. eccleſ. lib. 8. cap. 9.* ἅμα γοῦν τῇ κατὰ τῶν προτέρων ἀποφάσει ἐπεπήδων ἄλλοθεν ἄλλοι τῷ πρὸ τοῦ δικαστοῦ βήματι Χριστιανοὺς σφᾶς ὁμολογοῦντες. *Simul ac priores damnati fuerant, aſſiliebant aliunde alii in editiorem locum ante Judicem erectum, Chriſtianos ſeſe confitentes.* Paſſio SS. Perpetuæ & Felicitatis: *Ventum eſt & ad me, & apparuit pater illico cum filio meo, & extraxit me de gradu, ſupplicans: miſerere infanti.* *Scalas* vocat Ammianus *lib.4. cap. 7.* Domitianum certe, quem is ait per ſcalas tractum præcipitem, throno ait deturbatum loquens de eo Philoſtorgius *hiſt. eccleſ. lib. 3. cap. ult.* Throno, id eſt, tribunali, quod Præfecto prætorio, cujuſmodi Domitianus, ſublime & excelſum. Caſſiodorus in formula Præfecti prætorio: *Tribunal tuum ideo tam excelſum factum*

ctum eſſe noveris, ut locatus ibi nihil humile abjectumque cogitares. Prudentius:

Fronte ſub adverſa gradibus ſublime tribunal
Tollitur.

Hodie dicitur de Rotula ſententia ferri, ſi civilis ſit. *Op de rol*, ut vulgo Belgice. Si ſit criminalis è feneſtris judicii. Rotula ſeu *Rotulus* ſcriptura eſt, ſeu libellus, cauſarum ordinem complectens, quæ deductæ in judicium. Rotula autem idcirco, quod in rotæ ſpeciem convoluta. Fortunat. *lib.*7. *carm.* 18.

An tibi charta parum peregrina merce rotatur.

Baldricus Burgulienſis apud du Cheſne *to.*4. *hiſt.*

In rotulo multi cum ſollicitudine quadam
Dicendi ſeriem ſemper metantur ab Adam.

Extant Rotulæ ejuſmodi ſeu chartarum volumina inter inſignia magiſtratuum, & extant bene multæ, in Notitia Imperii. Idem *Rota* alioquin, ſeu *Rotula*, quod Camera, ſeu Curia, quod locus judicii, ut obſervat Goldaſtus *to.* 2. *antiq. Alamann. part.* 1. *pr.* Unde & *Rotæ* deciſiones.

Sed quod dixi de diverſoriis, jam invaluit apud nos, ut in iis etiam, ſi non ſit locus commodior, præſertim ruri, dicatur jus, modo inter judicandum, & dum de cauſa cognoſcitur, potum hoſpes non promat. Diſerte id enim vetitum. *Lantrecht van d'Omlanden lib.* 1. §.24. *van d'Oldampten lib.* 1. §. 44. *& ſeq.* Sub dio an ſub tecto judicetur, nihil refert. *Lantrecht van Veluwe tit.*1. §. 8. Olim paſſim ſub dio, §. 2. *Inſt. de libert.* & ad arborem, ad quercum. Baluz. *ad Capitul. p.*998.

Gry-

Gryphiand. *de Weichbild. Sax. cap.* 66. In circo etiam, in ſtadio. Acta S. Marcelli Papæ: *Laodicius Præfectus Papiam & Maurum milites jubet ſibi præſentari in Circo Flaminio.* Acta SS. Coſmæ & Damiani: ταῦτα ἀποφηνάμενος δρομαῖος ὑπεξῆλθε τὸ στάδιον, *Quam ſententiam cum tuliſſet confeſtim ſtadio exceſſit.* Ad quercum in arbuſto olim Friſii judicabant, & conventus habebant publicos. Unde & leges Opſtalbomicæ. Quas olim Siccama edidit. Et nec plane id aut ubique per Europam jam deſiit. Aliud docet jus Velavicum *d. loc.* Aliud etiam Saxonicum. De feudis apud Saxones aliter quam ſub dio cognoſci non poteſt. Coler. 1. *deciſ.* 85. Weſenb. *de feud. cap.* 17. *n.* 7. Matth. Steph. 2. *de juriſd. part.* 1. *cap.* 7. *memb.* 6. *n.* 14. Gryphiand. *d. loc.* Sub dio etiam in Gallia, ut tollatur omnis metus & terroris ſuſpicio, Normanni adhuc cognoſcunt, ut teſtis eſt Argentr. *ad conſ. Brit. art.* 20. *gloſſ.* 2. §. 3. Verum apud pleroſque cum tempeſtas, cum pluvia, cum ardor ſolis, & metus hoſtium, impedimento eſſent ſæpe, & judicium diffinderent, quo tutius res procederet, quæſitæ ad id ædes. Templis etiam, locis ſacris, ut & atriis eccleſiarum abuſi ad id paſſim. S. Cæſar. *homil.* 8. *pr. Quanti enim nunc in plateis vel in atriis Baſilicarum litibus vel negotiis vacant?* Caroli Magni Capitular. *lib.* 4. *cap.* 28. *Mallus tamen neque in eccleſia neque in atrio ejus habeatur &c. Volumus utique, ut domus à Comite in loco, ubi mallum tenere debet, conſtituatur, ut propter calorem ſolis & pluviam publica utilitas non remaneat.* Caroli Calvi capitulare, quod Baluzius habet

bet in Append. ad Lupum Ferrarienſem *cap.* 7. *Ut Miſſi noſtri per ſingulas parrochias Comitibus & Reipublicæ miniſtris ex banno noſtro præcipiant, ne malla vel placita in exitibus & atriis eccleſiarum, & presbyterorum manſionibus, neque in dominicis vel feſtivis diebus tenere præſumant. Sed Comes convenientem locum conſideret, & inveniat, ubi ſtationem ad mallum tenendum conſtituat.* Add. ejuſd. Capitul. *tit.* 39. *in fin.* Utut autem id toties & repetitis edictis vetitum, prorſus tamen ex uſu hominum exſcindi vix potuit. Nam & Omlandi id in templis permittunt. *d. art. Sal oock de rechtdach niet geholden worden in de Herberge, dan in der Kercken oft op andere bequame plaetſen &c.* & Drentiæ ſummum tribunal templa, ut Gerh. Feltmanni tradit ad *l.* 1. *in fin. ff. de juſt. & jur.* Nec mirum de templis. Jus domi etiam dictum, etſi Seneca & alii quam maxime id deteſtati. *Quis ferret*, te inquit Seneca 4. *controv.* 25. *ſi in triclinio tuo judicium coegiſſes?* Et notum, quod jam olim, & ſuperiore adhuc ſeculo, in templis plebis Comitia, mercatus, forum, convivia, etſi non ſemel vetitum. Carmen Panegyricum Auctoris incerti in Berengarium Auguſtum, quod evulgavit Valeſius Ann. 1661. *lib.* 4.

Templa petit ductor poſt hæc, ubi fercula dono
Paſtoris digeſta nitent, Setina propinant,
*Ac (decet ut Regem) variant * tuceta miniſtri.*

* Regales epulas.

Siquis putet non in templo, ſed in Palatio templo proximo cœnam datam, ut Valeſius in notis ad eum locum, neſcio an admitti poſſit. De templo tantum ſermo eſt. De Palatio autem

non

non eſt. Etiam Ultrajecti eccleſiæ S. Bonifacii Palatium Præſulis olim proximum. Et tamen non in eo ſed in S. Bonifacii clerum excepit epulis ab eo inauguratus Henricus Bavarus epiſcopus. Ex Actis Ultrajectinis Ann. 1524. *des Woenſdachs na ſinte Matthews dach des Heyligen Apoſtels : Item 's anderen dages alſſe s' Donredags na ſijns Genaden incomſte dede ſijne Genade ene koſtelyke maeltijt van vleyſch ende viſch in de Kerk van Oudemunſter. Ende die Overſte out ende nye mitten Cameraers, ende ſommige van de Scepene, Raide, ende Dienaes ſaten aen de Zuytzyde van 't Cruyſwerk voer 't Capittel huys aen twee lange tafelen &c.* Tam parum memores tum canonum, quos oportuit eſſe ipſorum vindices. Audiamus quæſo XLII. eccleſiæ Africanæ: Ὥς τε ἐπισκόπους ἢ κληρικοὺς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ μὴ συμποσιάζεσθαι &c. *Ut nulli epiſcopi vel clerici in eccleſiis conviventur, niſi forte tranſeuntes hoſpitiorum neceſſitate illic reficiant, populi etiam ab hujuſmodi conviviis, quantum fieri poteſt, prohibeantur.* Et quod domi jus dictum adverſum mori majorum, adverſum & dignitati & majeſtati imperii, *d. l.* 11. Nec quicquam ad rem facit *l.* 4. *§.* 1. *ff. de interr. in jur. fac.* Nam jus dicitur etiam dicere, qui manumittit, qui adoptat &c. Manumiſſio autem poteſt & in tranſitu fieri, §. 2. *Inſt. de libert.* Quidni ergo & domi? Alii pro *ſi domi, non ſi domi*, reponunt, ut Hotom. 1. *obſ.* 22. quem tamen eo nomine reprehendit Cujac. 14. *obſ.* 11.

Curet deinde etiam judex, ne poteſtate abutatur, ne ſententiam executioni mandet extra territorium ſuum, *l. ult. ff. de juriſd.* Executio

tio pertinet ad loci judicem, ubi bona ſunt ſita, *d. l.* 1. *l.*15. §. 1. *ff. de re jud. cap. poſtulaſti ext. de for.comp.* Alteſerr. *ad d. cap.* Si alibi judicatum, alibi bona ſita, literis requiſitorialibus rogatus judex loci ſententiam exequitur, *d. cap.* Coſtuymen *van der Goude tit. van beleyſelen van executien* §. 11. Quod ſi victus ſe opponat, bene utrum an male, judex loci cognoſcet, niſi cauſæ ipſius merita oppoſitio concernat. Coſtuymen *van Roermonde part.* 5. *cap. ult.* §. 8. Ordonn. *op 't ſtuck van de juſtitie binnen de Steden ende ten platten lande art.* 27. Chriſtin. *ad leg. Mechl. tit.* 1. *art.* 30. *n.* 4. *& art.* 32. *in addit.*

Per miniſtros fit executio, viatores, oſtiarios. Sed ſi magni res momenti, ſi diſceptetur inter magnas & illuſtres perſonas, uni etiam ex Conſiliariis eam Curia committit. Chriſtin. *ad ll. Mechl. tit.* 1. *art.* 30. *n.* 12. Sajones erant Gotthis, Romanis etiam Curiales, qui eo munere olim functi, *l.* 39. *C. Th. de decur.* Ammian. Marcellin. *lib.* 27. *hiſt. Cum in negotio Maxentii cujuſdam Pannonii, ab executione a judice recte maturari præcepta, trium oppidorum ordines mactari juſſiſſet.* Athalaricus Rex apud Caſſiodorum: *Quod ſiquis in tantam raptatus amentiam &c. indulta executione Sajonum, ultionem ſentiat vigoris regii, qui obedire noluit cognitori.* Vita Joannis Gorziæ Abbatis apud Labbeum *to.* 1. *nov. Biblioth. Cuſtodibus hinc inde duodecim, quos ſagiones vocant, ſe deducentibus.*

Ex mandato exequuntur. Formula mandati hæc eſt: *t'Gerecht committeert ende authoriſeert Hans Verbrugge Stadts dienaer, omme d'executie in deſen ge-*

roert te mogen doen onder behoorlyck ſalaris. Actum den 6. Jul. 1608. Alia Ann. 1572. *De Preſident ende Raden 's Coninx t'Utrecht den eerſten Deurwaerder ofte Pander in den ſelven Hove hier toe verſocht Saluyt. Wy bevelen U daer toe committerende by deſen, dat ghy ten verſoecke van Heer Gerrit Anthoniſſen impetrant d'acte judicieel ende comdemnatie van dien in dato den* 12. *Mart.* 1572. *hier aengehecht van wegen Conincl. Maj. op ende wegen Gysbert Petersſen gecondemneerde ter behoorlycker executie ſtelt, reëlycken ende by feyten alſt behoort, mits daer van nemende uwen behoorlycken ſala is. Des te doene geven wy u volkomen macht ende auctoriteyt, bevelende allen Juſticieren, Officieren, Dienaren, ende Onderſaten der Conincl. Maj. dat ſy U t'ſelve doende ernſtelyck voerſtaan, obedieren, ende aſſiſteſteren. Gegheven t'Utrecht onder t'ſegel van juſtitie van den voerſz. Hove hier onder aen doen hangen op den* 27. *Mart. &c. By mijn Heeren die Preſident ende Raden s'Conincx t'Utrecht.*

Formula qua executio alibi fieri deſideratur, & qua ut fiat permittirur, exempli cauſa, hæc eſt: *Edele, Geſtrenghe, Erentfeſte, Hooch-geleerde, Wijſe ende Veorſienige Heeren, byſondere goede vrienden. Gysbert Peterſen die Cuyper, inwoonder deſer Stadt van Yſelſteyn heeft onlanksleden van ons verworven ſententie tot ſijnen voordeel jegens enen Jan Aelberts gearreſteerde, daer op hy Arreſtant ſijn declaratie van de gerechts coſten by geſchrifte heeft doen declareren, volgende die gerechtelijke taxatie aen deſe ingelachte requeſte geattacheert, die hy niet en ſiet ter executie te ſtellen, dan mits hebbende daer toe letteren requiſitoire aen U. Ed. die wy hem niet en hebben konnen weygeren, Be-*

geren-

gerende daerom, dat U. Ed. believe in faveur van juſtitie die voorſz. taxatie, die U. Ed. by deſen hier inne geleyt vertoont wort, ter behoorlijker executie te doen ſtellen. Ende ſullen U. Ed. der juſtitie daer mede vorderinge ende ons vrientſchap doen, die wy in gelycke ſake des verſocht ſijnde gaerne willen verſchuldigen. Kenne Godt almachtich, die uw W. in lange geſontheyt wil ſparen. Geſchreven t'Yſelſteyn den 8. *dach Febr.* 1559. *Onderſtont: Die Schout, Burgemeeſteren, Schepenen, ende Raedt der Stadt van Yſelſteyn, uw W. Dienaren ende goede vrunden. Onderteyckent:* Niclaes *van Helmont. De Superſcriptie was aldus: Edelen, Geſtrengen, Erentfeſten, Hoochgeleerden, Wijſen, ende Voerſienigen Heeren, onſen Heeren, den Preſident, ende Raden s'Coninex t'Utrecht, onſen byſonderen goeden Heeren ende vrunden.*

Op te marge van deſen ſtont geappoincteert: t'Hof van Utrecht achtervolgende die requiſitie van die vau den Gerechte der Stede van Yſelſteyn permitteert den eerſten Pander ofte Deurwaerder van deſen Hove om d'acte van taxatie van coſten hier aengehecht ter behoorlycker executie te ſtellen. Actum den 8. *Maert* 1559. *Ende was onderteykent:* G. Schrijvers.

Poteſt ſtatim etiam fieri poſt decem dierum lapſum, poſtquam jam extincta eſt appellandi facultas, & ſecundum jus Canonicum, quod multi ſunt qui ſequuntur, intra annum & diem ex quo lata eſt ſententia, aut quo quis latam cognovit *cap. ſi autem cap. plerumque ext. de reſcript. cap. quærenti ext. de off. & pot. jud. del.* Ordonn. *op't ſtuk van de juſtitie binnen de Steden ende ten platten lande van Hollant Ann.* 1580. *art.* 23. Coſtuymen

van der Goude tit. van Vonniſſen ofte Sententien art. 8. 13. *&* 16. *van Tiel part.* 2. *tit.* 16. §. 1. Rebuff. *de ſent. exec. art. ult. gloſſ. ult. n.* 26. *& gloſſ.* 11. *n.* 5. Guid. Pap. *deciſ.* 329. Alteſerr. *ad d. c. quærenti.* Bugnyon. 1. *de leg. abrog. tit.* 58. Idem obtinet in Hollandia, ſi ab inferiori judice proponatur pronunciatum. Si à Curia Provinciali executio debet fieri intra quinquennium. Si à Curia ſuprema intra decennium. Si à Scabinis Ultrajecti intra biennium. Poſtquam tempus id effluxit, novo rurſum reſcripto ſeu novis literis rurſum opus. Quas & facile obtinebit quis libello ſupplice impetratas, niſi ſpatium jam effluxerit annorum xxx. aut ſpatium ſaltem trientis ſeculi, poſt quod ſupplex non auditur. *Inſtructie van den Hove van Hollant art.* 118. *Ampliatie art.* 30. *Inſtructie van den Hogen Raedt art.* 263. Ex Actis Ultrajectinis 1. *Jun.* 1594. *Op huyden is by den Gerechte der Stadt Utrecht gereſolveert, dat van nu voortaen egeen ſententien ofte condemnatien van den ſelven Gerechte en ſullen verjaren dan na de expiratie van twee jaren te rekenen van date van deſelve ſententie oft condemnatie.* Coſtuymen *van Antwerpen tit.* 68. §. 19. Papegaey 1. *p.* 81. *& ſeq. & p.* 451. Hogerbeets *Korte inleydinge tot de practyk cap.* 8. *in fin.* Marant. *prax. de exec. ſent. n.* 54. Bugnyon. 1. *de leg. abr. tit.* 158. Waſſen. *pract. jud. cap.* 22. *n.* 1. Imb. 1. *Inſt. for.* 54. *lit. a. & b.*

Cum autem executio fit, ita fiat neceſſe eſt, ut victus ex ea capiat quam minimum detrimenti. Si aſſignet, in quod commode executio poſſit dirigi, etiam dirigi in id debet. eique interdicen-

dum.

dum, nequid deinceps de eo ſtatuat. *Inſtructie van den Hove van Hollant art.* 180. *in fin.* Papegay *part.* 1. *p.* 456. Si non aſſignet, aut aſſignet, quod victori non ſufficit, neceſſe eſt, ut ſervetur, quod præſcripſit *l.* 15. §. 1. *ff. de re jud.* Neceſſe eſt nimirum, ut capiantur primum mobilia. Si non ſint aut non ſufficiant, immobilia, & ex his allodialia primum, non feudalia. Feudalia niſi in ſubſidium capiuntur perperam & injuſte. Capienda primum adhuc jura ut & fructus feudorum *d. l.* 15. §. 1. Inſtructie *van den Hove van Hollant art.* 74. 79. *& ſeq.* Ordonn. *van 't Hof van Brabant* §. 587. Coſtuymen *van Antwerpen tit.* 68. §. 31. Moller. 2. *conſt. Sax.* 50. *pr.* Reſp. Holl. 5. *conſ.* 82. Ubique autem neceſſe eſt, ut hic æquitas dominetur. Pro modico, quod debetur, non debet capi res, quæ ingentis eſt pretii. Ordonn. *van den Hoogen Raedt art.* 266. Nec ob exiguam ſatis ſummam, etſi aliud non ſit, ſtatim diſtrahi debent prædia. Præſtat, ut vendantur prius fructus prædiorum, arbores, ſupellex ruſtica, & quæ in prædiis mobilia. Coſtuymen *van Poperinge tit.* 23. §. 7. *& ſeqq.* Et quod ad mobilia, abſtinendum, quamdiu fieri poteſt, ab iis, quæ condemnato ad victum ſunt neceſſaria, ab artificii inſtrumentis, à lecto, à ſtragulis, à vehiculis, ab aratris, à bobus aratoriis, niſi aliud præterea condemnatus non habeat. Libertates & Conſuedines conceſſæ villæ Ricomago ab Alſonſo Comite Pictavenſi fratre S. Ludovici apud d'Achery *to.* 11. *Spicil. art.* 18. *Item quod pro debitis non pignorentur veſtes quotidianæ alicujus, vel lectus*

ſuum in quo ipſe vel familia ſua jacuerunt, nec ferramenta, nec utenſilia aptamenta, cum quibus panem ſuum lucratur. Coſtuymen *van Antwerpen d.loc. van Audenaerde tit.* 7. §. 8. *van Cortrijck tit.* 1. §. 4. Rebuff. *de lit. oblig. art.* 2. *gloſſ. un. n.* 101. Ger. Feltmanni *de incluſ. animal. c.* 10. *pr.* Waſſen. *pract. judic. cap.* 22. §. 6. Nec arma militum debent capi, ut nec clerici breviarium, pſalterium, canon miſſæ. Coſtuymen *van Leyden §.* 132. *Manier van procederen voor 't Krijgsrecht art.* 29. *& ſeqq.* Rebuff. *tr. de lit. oblig. gloſſ. un. art.* 2. *n.* 206. *&* 118. Addit horas noſtræ Dominæ idem Rebuff. *d. tr. art.* 67. *gl.* 2. *n.* 16. *& ſeqq.* Addit libros Doctorum, ſcholarium, ſtudioſorum *ibid.* Ad quos niſi in ſubſidium manum mitti non oportet. *auth. habita C. ne fil. pro patr.* Dico niſi in ſubſidium. Nam & hoſpes pro expenſis, quas fecit in decumbentem, in ſtudia, in alimenta, & pro cubiculi penſione, donec ſibi ſatisfiat, retinendi eos habet jus. Rebuff. *d. loc.* Nec niſi ex magna cauſa, ne cogatur quis ad mendicandum, capiuntur reditus ad vitam annui, ſeu ut vocant vitalitii. Statutum vetus Ultrajectinum: *So wie lyfrenten heeft aen der Stat van Utrecht, en machmen niet aen panden, noch ymant overgheven, noch commer daer op maken, alſo langhe als hy leeft.* Salaria, mercedes, ſtipendia militum poſſunt capi, ſi aliud non ſit, modo tamen ex ſtipendiis bes militi relinquatur. Gerh. Feltmanni *ad l.* 8. §. 23. *in fin. ff. de tranſact.* In munus etiam, in officium, poteſt dirigi executio. Sed ſi munus non poſſit vendi, capiuntur tantum ipſius fructus.

fructus. Si poſſit, debet peti, ut victus eo ſe abdicet, & mox deinde id diſtrahatur, ut petenti ſic ſatisfiat *arg. l. commodis* 40. *ff. de re jud.* Gloſſ. *ad d. l. & ad cap. Odoardus ext. de ſolut.* Quod ſi domus ſit clauſa, ex qua pignora poſſint capi, ſumptu rei aperienda eſt. Nec ulla actio cum viatore eſt, ſi foribus effractis introiit eam vi, modo teſtibus adhibitis denuntiatum prius reo, ut aperiat eam ultro. Trajectenſe Statutum vetus: *Ende waer dat ſake, dat men ymant panden of leveren ſoude aen tilbaer goet, ende dat huys geſloten was, daermen die pandinge ende leveringe in doen ſoude, ſo ſullen die Schout ende Schepenen van der Heerlicheyt wegen dat huys open doen op des goets coſt, daer dat recht geſchiede, ende die pandinge ende leveringe doen, als recht is.* Imbert. 1. *Inſt. for.* 64. *lit. c.*

Verum ſi executor aut plus capiat quam oportet, aut ſi præter officium & minus rite procedat, ſi contumax mandati literas, quarum vi agit, non exhibeat, & ipſe in pœnam incurrit, Ordonn. *van den Hove van Utrecht tit. van executie van Sententien art.* 29. & intercedi non tantum, ſed ab omnibus quorum intereſt, quantum licite poteſt fieri, etiam poteſt reſiſti, *l. prohibitum* 5. *C. de jur. fiſc.* Officii enim tranſgreſſor, quatenus ſcilicet id excedit, cenſetur privatus, ut qui publica auctoritate prorſus hactenus deſtitutus *arg. l.* 1. *pr. l.* 9. *§.* 5. *ff. de public. & vect.* Roſeb. *recueil cap.* 33. Chriſt. *ad ll. Mechl. tit.* 7. *§.* 18. *n.* 9. Fenzon. *ad Statut. urb. Rom. lib.* 1. *cap.* 495. *num.* 6. *&* 14. Bouric. *de offic.*

Advoc. cap. 35. Sed excedat, nec ne, non privati cognitio eſt. Neceſſe eſt, judex id cognoſcat, *arg. l.* 13. *ff. Qu. met. cauſ. l. pen. ff. ad l. Jul. de vi priv. l.* 176. *ff. de reg. jur.* Et idcirco vix viator, niſi conſtet de injuria, ſatis tuto repellitur. Si conſtet, neceſſe eſt, ut mox cauſa reddatur judici, citato ad eum viatore. Coſtuymen *van Utrecht tit.* 15. §. 1. Roſeb. *d. loc. per tot.* Alioquin ſi non conſtet, & queratur tamen victus, neceſſe eſt, ut appellet. *Lantrecht van Overyſſel part.* 1. *tit.* 19. §. 12. Rebuſt. *de lit. oblig. art.* 1. *gl.* 12. *n.* 3. Ubi autem appellatum, ſi ſequatur inhibitio, executio ſtatim ceſſat. Quod exceptio etiam facit, ſi opponatur, quæ poſt ſententiam etiam poteſt opponi, ſolutionis, compenſationis, Scti Macedoniani, Vellejani, novationis, & tranſactionis. Ordonn. *van 't Hof van Brabant art.* 587. Chriſt. *ad ll. Mechl. tit.* 1. §. 32. *in addit.*

Quod ſi inter exequendum viator cædat condemnatum, eum pulſet, aut verberet, aut aliquam aliam contumeliam aut moleſtiam ei inferat, appellari non debet, ſed agendum eo caſu actione injuriarum. Imb. 2. *Inſt. for.* 1. *lit. a.* Contra ſiquis viatori, dum exequitur quod injunctum, reſiſtit, graviter punitur. Coſtuymen *van Utrecht tit.* 15. *art.* 1. *van Deventer* 2. *tit.* 19. §. 8. Idem Statutum vetus: *Ende waer dat ſake dat ymant den Scout ende Scepen, of horen Dienaer, dien 't bevolen wert, pantweringhe dede, te weten uten huſe te ſluten, of daer uyt te keeren, of die pande uter handt te nemen, of die geen pande genomen en wouden hebben, die ſoude verbeuren x. lb. tot be-*

hoef

hoef des Scouten ende der Scepen, ende enen nacht op 't vleyſchuys te leggen. Ende ſo wie dat enich van den Scout ende Scepen, of horen Dienren, uten huſe ſtieten, of ſcoven, die ſoude verboren x^{m}. *ſteens, half tot behoef der gemeenen gilden, ende half tot behoef des Scouten ende Scepen, ende enen nacht op 't vleyſchuys te leggen. Ende ſo wie dat ſloege of ſtake, dat ſoude men rechten mitten ſweerde aen ſijn lijf.*

Nemo hic exemplum adducat Petri Apoſtoli miniſtro ſummi Sacerdotis aurem gladio amputantis *Matth. cap.* 26. *verſ.* 51. Reliquit enim Petrus exemplum nobis, non quod bene, ſed quod male ab eo factum, propter quod etiam Chriſtus non laudat eum, ſed objurgat. Semel enim hoc admiſſo poſſe etiam vim vi à privatis defendi, quoties putant ſe affectos injuria à magiſtratu, omnia erunt ſeditionis & tumultuum paſſim plena, nec ulla amplius legum aut judiciorum auctoritas. Grot. *ad d. cap.* 26. Quæ tamen ut ſarta tecta & nunquam non inviolabilis ſit, requirit quies populorum. Unde & illud permiſſum, ut poſſit facinoroſus à viatore etiam interfici, ſi capi juſſus à magiſtratu perſequenti aut reſiſtat, aut per avia & abrupta ſe conjiciat in pedes. Imb. 2. *Inſt. lit. a.*

Et tantum datum eſt viatori, ea ipſi auctoritas. Ea paſſim etiam fides, ut quamvis unius vox nec condemnet nec juſtificet, *c. admonere* 32. *qu.* 2. *l.* 9. *§.* 1. *C. de teſt.* credatur tamen jurato de actu quodam legitimo ratione officii teſtanti *arg. l.* 1. *§. cura carnis verſ. quies ub. Bald. ff. de off. præf. urb. l. apparitores* 5. *C. de exact. tribut. l. ſiquis decurio C. ad l. Corn. de falſ. c. ad audientiam ext. de præſcript.*

Inſtr. van 't Hof van Hollant art. 117. *Keuren van Oudewater art.* 37. Chriſt. *ad conſ. Mechl. tit.* 1. *art.* 19. Peck. *de jur. ſiſt. cap.* 26. *n.* 4. Ant. Fab. *Cod. lib.* 4. *tit.* 10. *def.* 8. Mev. *ad jus Lubec. lib.* 1. *tit.* 1. *art.* 3. *n.* 10. *& ſeqq.* Merul. *prax. lib.* 4. *tit.* 25. *cap.* 6. Bouric. *de offic. jud. cap.* 6. Alteſerr. *ad c. cum dilectus ext. de elect. & elect. pot.* Bugnyon. 2. *de leg. abr. cap.* 80. Waſſen. *pract. jud. cap.* 1. *§.* 193. Advijsboek 1. *conſ.* 152. In quavis tamen cauſa, ne anſa detur delinquendi, ſimpliciter ipſi non creditur, non extra officium quid teſtanti, non ſi inter exequendum cæſum dicat ſe, aut verberatum, aut affectum injuria, niſi probet quod dicit, *arg. l. ult. C. de prob.* Ordonn. *van den Hove van Hollant van den* 7. *Jan.* 1577. Imb. 1. *Inſt. cap.* 54. *in fin.* Maſcard. *de prob.* 1. *concl.* 12. Gail. 1. *obſ.* 54. Rebuff. *ad l. un. pr. C. de jur. fiſc.* Merul. *prax. lib.* 4. *tit.* 93. *cap.* 3. *n.* 12. Creditur ſi dicat ſe domum rei adiiſſe fruſtra, non feciſſe eum ſui copiam, non reſpondiſſe ad interrogatum, non aſſignaſſe, in quod commode poſſit dirigi executio. Quo caſu bis terve citatur reus ut ſatisfaciat. Si contumax perſeveret, jubetur apprehendi, & in carcerem conjici. *Ordonn. van den Hove van Utrecht tit. van Gyſelinge art.* 1. *Coſtuymen van Utrecht rubr.* 14. *art.* 6. Statutum Ultrajectinum Ann. 1578. 28. Novemb.

In den eerſten dat voortaen die ſententien oft condemnatien inhoudende betalinge van penningen, als partye geen goederen en weet te becomen, daer aen ſy haer executie ſouden mogen dirigeren, ende dat die gecondemneerde naer voorgaende ſommatie in gebreke blijft

blijft te betalen, ſal die triumphant na de expiratie van ſes dagen na d'eerſte ſommatie den gecondemneerde andermael mogen doen ſommeren omme aenwijſinge van goede te doen binnen xxiv. uren, ende hem daer toe dach beteyckenen op de rolle.

Ende ſal den triumphant t'enden de xxiv. uren daer van blyk preſenteren op de rolle, alwaer die gecondemneerde deſelve aenwijſinge gehouden ſal weſen te doen, ende by gebreke van dien ſal jegens hem deffaut worden verleent, ende den triumphant verclaringe, dat hy ſijne diligentie gedaen heeft, om die goederen van den gecondemneerde te weten, ende egeen en weet te vernemen, daer aen hy volgens d'Ordonnantie ſoude mogen executeren. Ende ſal ten verſoecke van den triumphant apprehenſie verleent worden jegens den gecondemneerde, indien de ſommatie aen ſijn perſoon gedaen is. Roſeb. *Recueil. cap.* 34. *per tot.* Papegay 1. *p.* 187.

Nec refert mulier an vir ſit. Nam & mulier eo caſu in carcerem poteſt conjici. Neoſtad. *deciſ. ſupr. Cur.* 57. Ann. Robert. 2. *rer. jud.* 6. Et poteſt carceris infamia vix aliter evitari, quam ſi aut ſolvat quod debet, aut ſi non poſſit cedat bonis, *l.* 1. *C. Qu. bon. ced. poſſ.* Nam *Seurete* illud *de corps*, ut Practici vulgo vocant, ſingulare eſt beneficium, quod qui carcerem metuit non à Curia ſed ab Ordinibus petit ſupplex, impetrat autem difficulter, & ex magna demum cauſa. Et nec in cauſa tributi, nec contra rem judicatam. Vid. *Bell. jurid. caſ.* 59. *&* 65. *per tot.* Papegaey 1. *cap.* 47. Si aut bonis cedat, aut aſſignet, ex quo poſſit creditor ſuum conſequi, ſolet

ſolet confici inventarium, quo confecto ſubhaſtatio fit. Si non ſufficit, quod diſtractum, nec quicquam amplius appareat, tum ſi bonis ſuis ceſſit, vulgata regula habet locum, Inopia debitoris excludit actionem, *l. 6. ff. de dol.* Qui non habet, non poteſt dare, *c. olim ext. de reſtit. ſpoliat. l. nemo* 54. *ff. de reg. jur.* Si non ceſſit, ſed aſſignavit, quod non ſufficiens reperitur, & creditor tamen putet multa ab eo ſupprimi, quæ majoris momenti, nec bona fide ab eo agi, poteſt petere, & ſi petat, obtinebit non difficulter, ut donec contumax reſipiſcat, mittatur in carcerem, præparce ipſi in dies ſingulos conceſſis alimentis, certa cibi potuſque portione, & nihil ultra. Ordonn. *van den Hove van Utrecht d. tit. van Gyſelinge art.* 1. Roſeb. *d. cap.* 34. *art.* 5. *& ſeq.* Dico *nihil ultra*, quod vix receptum, ut amici adjuturi eum admittantur. Nec cum caſus incidiſſet à Scabinis Trajectenſibus admiſſi Ann. 1650. 10. Jul. *in cauſa van Jan Boon contra Roelof Keyſer.* Rigor tamen videtur nimius. Nec clementiæ horum temporum, ut videtur, conveniens, nec humanior, quam quo queritur ſecum actum Cyprianus *epiſt.* 88. *Ante dies octo, per dies quinque medios modicum panis accepimus, & aquam ad menſuram.* Vid. *d'Ordinantie, Regel, ende Inſtructie op 't ſtuck van de Cipiers ende Bewaerders van vangeniſſen apud van Leuwen in not. ad edictum, op de Criminele juſtitie, Ann.* 1570. *art.* 81. Rad. Forner. 3. *rer. quot.* 10. Aut de ſuo olim vivebat, aut ſi non eſſet, unde viveret, vivebat ſumptu creditoris, menſura quadam panis in dies ſingulos

con-

conceſſa. Sic XII. tabulis ſancitum, ut refert Gellius *lib.* 20. *noct. Attic. cap.* 1. *Si volet, ſuo vivito, ni ſuo vivit, qui em vinctum habebit, libras farris in dies dato. Si volet, plus dato.* Sed pro *libras* Fornerius legendum putat *libra. S. lib.* 1. *Select. cap.* 6: id eſt, libræ ſemiſſem, aut ſelibram, ut ait, adductis, ut id probet, Plutarcho in Camillo, & Notarum interpretibus, Valerio Probo, & Voluſio Metiano. Verum nec emendatio nec expoſitio ſatis placet. Conſtanter *libras* eſt apud Gellium, non *libra. S.* S. eſt quidem ſemis. Sed ubi id, quod *libra S.* ſit ſelibra? Et quæ quæſo conſtructio hæc? Servorum victus diurnus libra erat farris. Quidni ergo & debitorum, qui in carcerem conjecti, qui & inſtar ſervorum, *arg. l.* 12. *C. de obl. & act.* Quintil. *lib.* 3. *cap.* 10. *& lib.* 7. *cap.* 3. Salmaſ. *de mod. uſur. cap. ult. in fin.* Titinnius Gemina apud Nonium Marcellum: *Libram ajebant ſatis eſſe ambobus farris intritæ: plus comeſt ſola uxor.* Horat. 1. *Serm.* 5.

——— ——— ——— ——— rogabat
Denique, cur unquam fugiſſet, cui ſatis una
Farris libra foret.

Nec multitudinis vox obeſt. Sæpe ea pro ſingulari, ut ſingularis pro plurali, in jure & paſſim uſurpatur *l.* 16. §. 1. *ff. de teſtam. tut. l.* 28. §. *ult. ff. de leg.* 3. Præclare in hoc Auguſtinus *lib.* 3. *de conſenſu Evaagelistarum cap.* 16. cum interpretatur Pſalm. 2. ad eam partem, *adſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, Pluralem,* inquit, *numerum pro ſingulari poſitum in Actibus Apoſtolorum exponitur. Nam Reges propter Herodem, Prin-*

cipes

cipes propter Pilatum intellexerunt, qui teſtimonium Pſalmi adhibuerunt. & mox: *Sed quia & pagani ſolent calumniari Evangelia, videant quemadmodum locuti ſint authores eorum, Phædras, Medeas, & Clytemneſtras, cum ſingulæ fuerint.* Mornac. *ad l.9. §. 1. ff. ſiq. caut. jud.* Etſi nec libra conſtans ſemper apud omnes & immutabilis ſervorum portio. Duas etiam eis datas ſcribit Panciroſ. 1. *var. lect.* 64. Quæ & datæ reis criminum, *l. 9. C. de epiſc. aud.* Unde & non erraverit, ſiquis illud *libras* in XII. tabulis pro duabus accipiat, *arg. l. 12. ff. de teſtib. c. pluralis ext. de R. jur. in 6.* Nam & lex alicui ita dicta, *Illud facito in diebus*, nullo alio adjecto, impleri debet in biduo *l. 217. §. 1. ff. de verb. ſign.* Quod dictum ergo de ſelibra plane admitti non poteſt. Nam quod ad locum Plutarchi nihil prorſus ad rem facit. Locus eſt in Camillo *cap.* 44. *in fin.* ubi ait M. Manlio ob Capitolium ſervatum, Gallos cæſos & pulſos, ſelibram farris à ſingulis, quantum ipſi ſcilicet capiebant in iis rerum anguſtiis, ad victum quotidianum collatam præmium virtutis, ὅσον ἡμέρας ἕκαστος ἐλάμβανεν εἰς τροφὴν, σίτου μὲν ἡμιλίτρον ἐπιχωρείου &c. Quid hoc ad debitores alendos ſumptu creditorum?

Sumptu dico creditorum? Sic Decemviris non tantum, ſed & Belgis olim viſum. Wilhelmi Regis charta jura continens Harlemenſium Ann. 1245. *& poſt duas ebdomadas tradet judex debitorem in poteſtate illius, cujus debitor eſt. Itaque ille debitorem ſuum paſcet, non vexando corpus ipſius, & tenebit eum, donec ſecum componat, vel ſua debita ei perſolvat, vel remittat.* Unde & illud Terentii

Phorm.

Phorm. act. 2. ſc. 2. Mihi ſciunt nihil eſſe dices, ducent damnatum domum. Alere nolunt hominem edacem, & ſapiunt mea quidem ſententia. ubi ita Donatus: DUCENT DAMNATUM DOMUM. *Secundum jus ſcilicet, quo obarati, quum ſolvendo non eſſent, ipſi manu capiebantur.* & mox: *nam quod obaratis inimicum eſt, id paraſitus maxime optat, duci ab aliquo domum. Addidit autem,* DAMNATUM, *quaſi qui irrideat genus damnationis, in qua victor paſcere compellitur & paſcitur victus.* Verum poſtea ne carcer veniret in contemptum edictis varie proſpectum. Cautum olim Ultrajecti, nequis eſſet obſtrictus in ſingulos dies ultra quam ad nummi quoddam genus, quod non magni momenti, *een half out butkijn*, ut in veteri ſtatuto eſt: *Ende is 't dat hy &c. niet en voldoet, of die pandinge niet uyt en doet, of hem verantwoert als recht is, ſo ſelmen hem ter naeſter klocken ſijn borgerſchap ontnemen, ende daer en tends ſelmen hem in der Stat vangeniſſe leggen .... Ende of die lege knapen des mans niet machtig en waren, ſo mogen ſy wel te bate nemen, wie dat ſy willen, ſonder verbeuren, om 't recht te ſtercken. Ende alſo opgeleyt en ſel hy buten ſijn wederſake uter vangeniſſe niet comen, eer dat hy ſijn wederſake voldaen hadde. Ende die gene, die aldus opgeleyt worden, ſellen hem ſelven t'eten geven, ende hoers ſelfs coſt doen van hoers ſelfs goede, ende die geen goet en hadde, ſoude die geen, die hem hadde doen leggen, geven tot water ende tot broot elcs dages een half out butkijn, ende andere niet.* Hodie quantum detur videri de eo poſſunt civitatum ſtatuta. Vid. *d'Ordonn. van*

den

den Hove van Utrecht d. tit. van Gyſelinge art. 1. Ampliatie *van d'Inſtructie van den Hove van Hollant art.* 16. *Inſtructie van den Hoogen Raedt art.* 275. Roſeb. *Recueil tit.* 34.§. 6. *& ſeq.* Papegaey 1. *cap.*31.*n.*2. *& ſeq. & cap.*49.*req.* 14. Wielant *pract. civ. cap.*39. *n.* 2. *&* 3. Deſinam, ſi addidero repertorium, quod olim pictor ex cauſa æris alieni in carcerem conjectus de ſubſtantia ſua fecit, & juratus exhibuit, Ann. 1636. Nomen ipſi Jan Wycogen:

Eerſtlijk mijn eer, mijn conſt, mijn kleer,
En vijftich gulden 's jaers, niet meer,
So lange als mijn vrouwe leeft,
Sy jaerlijks te verteeren heeft,
Mijn reedtſchap om mijn te geneeren,
Mijn Prentbroek om te ſpeculeren,
Mijn inſtrumenten om my te vermaken,
Ter noot noch aen de coſt te raecken.
Want om mijn ſinnen te vergaren
Soeck ickze ſomtijts op de ſnaren
Een Leedcant, Plaeſterbedden goet,
Koſt meer als mijn lief weſen doet.
Noch eenige Hooghduytſche boecken
Om ſo mijn ſalicheyt te ſoecken,
Geweer om my te defenderen,
Mijn vyant met van 't lijf te keeren.
Myn imboel is kleyn in 't geheel,
Maer vloyen heb ick merckklijk veel,
Om dat het huys heet ſtaet in 't Zuyden.
Mijn roede gelt heeft niet te beduyden.
Mijn haen, mijn kuyckens, en mijn hennen,
Die mijn vrouw qualijk t'huys kan wennen.

Mijn

Mijn teeckeningen, ſchilderyen,
Verkoop ik, dies 't ſal weer bedyen,
Mijn perſpectiven in 't geheel,
Mathematiſche wetenſchappen veel,
Indien ick maer wat langh mach leven,
Sullen my rijklick de coſt wel geven.
Een dinck, mijn Heeren, was haeſt vergeten;
Mijn lapgereetſchap wilt dit weten,
Want ick veel liever ſchoenlappen wou,
Als dat ick noch gaen bedlen ſou.
Want ick kan lappen als een geeſt,
Acht jaer heb ick aen 't Ambacht geweeſt.
Mijn conſcientie wil ick niet beſmetten,
Maer teeringe naer myn neeringe ſetten.
Niemant en heeft met mijn te gecken,
Ick weet den teugel in te trecken.
Hoop hierom nu niet heel te bederven:
Soeck eerlijk te leven en ſalich te ſterven.

CAPUT XVIII.

Α'νακεφαλαίωσις eorum quæ dicta ſunt.

Libr. I.

Corpus juris Canonici ſequentibus libris conſtat, decreto Gratiani, quinque libris Decretalium Gregorii Papæ IX. ſexto Bonifacii, qui VIII. ejus nominis, quinque libris Clementinarum, & quinque Extravagantium. Vid. *lib. 1. tit. 2.*

Jus Canonicum eſt id, quod eccleſia conſtituit. Eccleſia eſt congregatio & cœtus fidelium. A ca-

 nonibus

nonibus ei nomen. Canones, regulæ eccleſiaſticæ.

Duplex eſt jus Canonicum, Publicum & Privatum. Publicum, quod ſpectat ſtatûm totius eccleſiæ. Privatum quod ſpectat utilitatem privatam.

Utrumque aut ſcriptum eſt, aut non ſcriptum. Scriptum eſt, quod expreſſe eſt ſancitum & in ſcripturam redactum. Non ſcriptum ſunt mores, qui uſu diuturno ab eccleſia obſervati. Scripti duæ ſunt ſummæ partes, Verbum Dei & Canones. Deſumpti Canones ex Conciliis, veterum Patrum ſententiis, decretis & decretalibus ſummorum Pontificum.

Concilium cœtus fidelium eſt & cleri & laicorum ad tractandum de fide & diſciplina eccleſiaſtica coactus ab eo, qui cogendi jus habet. Cogendi autem habet Princeps.

Ejus ſpecies ſunt quatuor, Oecumenicum, Nationale, Provinciale, & Epiſcopale. Vid. *tit.*2.

Decretales qui dicit epiſtolas ſubintelligit. Et hæ conſtitutiones ſunt ſummorum Pontificum. Quæ cum Papa etiam ſit Princeps, & non minus quam Imperator, uſurpans jus majeſtatis, juris vim etiam habent. Vid. *tit.* 3.

Sed quantum ad ſecularia in terris tantum eccleſiæ, non in terris Imperii. Quantum ad res fidei, & quæ ad animam noſtram attinent, in terris etiam Imperii, & ubique apud Pontificios. Apud nos, quatenus cum verbo Dei concordant. Et quod ad ea, quæ hujus ſeculi, quatenus mores recepti & ſtatuta permittunt, quatenus nulla noſtrorum Ordinum conſtitutio eſt contraria. *lib.* 1. *tit.* 4.

Nec

Nec majorem habet vim jus Pontificium non ſcriptum. Non ſcripti duæ ſunt ſpecies, Traditio & Conſuetudo.

Traditio eſt regula, quæ non ſcripta, ſed quæ tradita ſe diffundit per univerſam eccleſiam, & toto orbe cuſtoditur.

Conſuetudo aut generalis eſt & totius eccleſiæ; aut ſpecialis, & quæ tantum hanc aut illam concernit.

Conſuetudo ut ſervetur, neceſſe eſt, tria hæc concurrant, ut nitatur ratione, ut uſu temporis diuturni, ut nec fidem, nec ſacros canones, nec bonos mores impugnet. Vid. *lib.* 1. *cap.* 5.*

Ut juris civilis ſic & juris Canonici objecta ſunt tria, Perſonæ, Res, & Actiones.

Perſonæ varie dividuntur: Sunt vel ſervi vel liberi, vel ingenui, vel libertini, vel cives, vel peregrini, vel mares vel fœminæ, vel ſpurii, vel legitimi, vel ſui vel alieni juris, vel clerici, vel laici. *tit.* 6.

Clerici, qui divinis officiis deputati. Laici, λαικοὶ, qui de plebe, de populo. Λαὸς enim populus. Quod ad curam animarum ſubjecti clericis laici; Cæſares etiam ipſi, Reges, Principes, Magiſtratus. Quod ad juriſdictionem, imperium, obedientiam, ſubjecti laicis clerici. Ordines clericorum ſunt, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Exorciſtæ, Lectores, Oſtiarii. Ex his Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, dicuntur in gradu. Reliqui in miniſterio. Vid. *tit.* 7.

Fiunt clerici, non naſcuntur. Ordinantur, creantur. Et propriè quidem ordinantur majores cle-

rici, qui in gradu. Reliqui tantum improprie. Benedictio tantum iis fit, precibus interpoſitis, & facto crucis ſignaculo.

Ut juſta ſit ordinatio, requiruntur ſequentia: Ut fiat à Prælatis, quibus ea poteſtas. Ut non ſurtim aut clam fiat, ſed publice in eccleſia *c. Presbyteri c. quando diſt. 24. t. tit. extr. de eo qui furt. ord. rec.* Ut legitimo fiat tempore. Ut Princeps non adverſetur. Ut fiat gradatim, *t. tit. ext. de cleric. per ſalt. prom. can. 2. & 3. diſt.* 11. ut animo incorrupto, ad certum titulum aut miniſterium. Ut juſtæ ætatis ſit qui ordinatur, ut frugi, ut doctus, ut juſto thoro natus. Vid. *tit.* 8.

Epiſcopi vox eſt ambigua. In ſacris denotat non tantum eum, qui proprie eſt epiſcopus, verum etiam Primatem, Archiepiſcopum, Patriarcham, imo Papam etiam ipſum. Etiam Presbyteri epiſcopi olim dicti.

Epiſcopi olim officium fuit, curare gregem Dominicum, ad virtutem cohortari, monere, inſtituere, anxios conſolari, peccantes corripere, verbum Dei prædicare. Hodie eſt ordines celebrare, ſacris interdicere, indulgentias proponere, ſacrum chriſma conficere, ſignare eo baptizatos, eccleſias conſecrare, pollutas reconciliare. Cauſas etiam cognoſcendi, judicandi, decidendi, & legitimo dein modo exequendi iis jus. Etiam belli gerendi, & quidvis pro imperio ſtatuendi, agendi, ſi idem qui epiſcopus etiam Princeps ſecularis. Vid. *tit.* 9.

In ſua quiſque diœceſi officio ſuo functus, nonnullis tantum exceptis, qui ubique id exer-

cebant,

cebant, qui & ſedis incertæ, vagantes & ſine titulo. Βακαντίβυς Syneſius vocat *epiſt.* 78. *Vacantes* & *vacantivos* non inepte etiam dicas, ut milites vocat deſides, & qui procul à ſignis, Lampridius *in Severo. Jurejurando*, inquit, *conſtrinxit, ne quem adſcriptum, id eſt, vacantivum, haberet.* Scotos etiam vocat Concilium Cabillonenſe *can.* 43. vel quod σκόλιοι revera, obſcuri, vagi, incerti, vel quod nulli in Scotia diſtincti olim epiſcopatus. Obibant ibi epiſcopi ſuum munus ubique, nec propriam habebant ſedem, uſque ad tempus Regis Malcolmi III. ut ſcribit Hector Boethius *lib.*10. *hiſt.* Traditiones Friſingenſes in Salsburgenſi metropoli: *Soliti præterea Pontifices Romani legare homines perſæpe exteros magna & excellenti virtute, Corbinianos & Bonifacios puta, qui epiſcoporum munere ubique libere fungerentur.* Opponuntur *locales.* Concilium Valentinum *can.* 6. *Nec ullum Sanctorum ſacerdotum quiſpiam ordinet, qui localem ſe futurum primitus non ſpoponderit.* Ciron. I. *obſ.*13.

Ἄρχων eſt, qui primus eſt in ſuo ordine, Archiepiſcopus, Archipresbyter, Archidiaconus, Archiſubdiaconus, Archiacoluthus, de quo apud Luitprandum eſt *lib.* 6. *hiſt. cap.* 6.

Subjecti epiſcopi Archiepiſcopis, Archiepiſcopi Patriarchis. Archiepiſcopi ab epiſcopis diſcreti pallio & poteſtate.

Loquor de Latinis. Græcos quod attinet, nullum hactenus diſcrimen. Luitprand. legat. ad Niceph. Phoc. p. 186. *edit. Ann.* 1640. *effecit, ut cum ipſe tum ſucceſſores ejus abſque Paparum permiſſu palliis uterentur. Ex quo turpi commercio vituperandus*

perandus mos inolevit, ut non ſolum Patriarchæ, ſed etiam epiſcopi totius Græciæ palliis utantur. Quod quam abſurdum ſit, inquit, *cenſore opus non eſt.*

Pallium breve & rotundum. Circulus ex lana, ex panno candido & ſubtili, collum ambiens humeroſque, latitudine digitorum trium aut quatuor.

A Principe primum datum. Mox cum invaluiſſet tyrannis Papæ à ſolo Papa. Nec munus Papæ gratuitum. Grandi pretio comparatum. Vid. *tit.* 10.

Etſi autem ejuſdem loci unus tantum Antiſtes, variis tamen ex cauſis aſſumptus Coadjutor. Aſſumptus autem dupliciter aut cum futura ſucceſſione, aut ad tempus duntaxat.

Coadjutor tantum unus. Suffraganei etiam plures. Suffraganei, qui ſuffragium, ſeu qui opem ei præſtant, in cujus habitant diœceſi, epiſcopi eccleſiarum, ſed titulo tantum tenus, quæ à barbaris occupatæ. Vid. *lib.* 1. *tit.* 11.

Electio eſt unius de multis acceptio. Ab eccleſia univerſa primum facta indiſtincte. A clericis & à laicis, & à laicis etiam, qui de plebe. A plebe dein res ad Optimates deducta, & ab his ad cathedralium eccleſiarum Canonicos.

Aut juſta eſt aut injuſta. Ut ſit juſta neceſſe eſt, ut ad eam vocentur omnes, qui habent jus eligendi, ut fiat horis locisque electioni præfixis, poſt mortem & ſepulturam ultimi deceſſoris.

Viæ eligendi, ſeu modi olim tres, Scrutinii, Compromiſſi, & Spiritus Sancti. Vid. *tit.* 12.

Sed electio quidem cleri, confirmatio autem Papæ. Qui electus, non confirmatus, nec jus in re adhuc habet, nec adminiſtrandi poteſtatem. Habet

bet tantum jus ad rem. Confirmatio, cum acceſſit, jus in re demum habet, modo tamen non negligatur conſecratio, quæ petenda intra tempus expreſſum *tit.* 13.

Qui eligi non poteſt, ut qui alibi jam Antiſtes, qui ſpurius, qui laicus, qui ætatis illegitimæ, poſtulari tamen poteſt. Poſtulatio nihil aliud, quam unanimis petitio, per quam qui juxta canones ad dignitatem eccleſiaſticam admitti non poteſt, ad eam tamen ex gratia & ex diſpenſatione à ſuperiori admittitur *cap.* 23. *ext. de elect. & el. pot.* Vid. *lib.* 1. *tit.* 14.

Nefas autem ut qui electus, confirmatus deinde & conſecratus, eccleſiam rurſum deſerat. Deſeri rurſum non poteſt, non magis quam poteſt uxor. Poteſt tamen ex cauſa, ut ex cauſa etiam poteſt uxor. Hæc autem an ſatis juſta, neceſſe eſt Synodus Provincialis ut & Papa cognoſcat *c. dilecti ext. de renunt. in* 5. *Compil. ub. Ciron.* Vid. *tit.* 15.

Plebis cura & animarum commiſſa etiam Presbyteris. Et hi epiſcopis proximi. Nemo olim epiſcopus niſi Presbyter primum factus, ut & Presbyter olim nemo, niſi primum Diaconus. Archipresbyter eorum primus. Cuique olim eccleſiæ unus tantum Sacerdos, qui perinde ei affixus ut maritus uxori *can. neminem can. Sanctorum diſt.* 70. Sed cum numerus fidelium in tantum eſſet auctus, ut unus omnibus non ſufficeret, cuique adhuc alii in ſubſidium adjuncti, *lib.* 1. *tit.* 16.

Diaconus eſt miniſter. Miniſter pauperum, dum ſuccurrit iis, dum eleëmoſynas iis dividit. Sacerdotis, Presbyteri, dum ſilentium indicit, dum

exequitur imperata, dum ſedenti tantum adſtat, dum calicem ſacra facturo porrigit. Epiſcopi, dum juſſu ejus egenos viſitat, baptizat, fideles monet, inſtruit, ad fidem, ad pietatem, ad conſtantiam hortatur.

Hodie Archidiaconus, etiamſi ſit Presbyter. Olim non ita. Molan. 1. *de Canon.* 7.

Archidiaconus, qui in ordine erat primus. Qui & magnus miniſter. Eccleſiæ curabat opes. Ejus reditus diſpenſabat. In poteſtate ejus & ærarium, & univerſæ res ſacræ. Subdiaconi, qui Diaconos adjuvabant in ſacris. Archiſubdiaconus, qui inter eos erat primus, ad quem Archipresbyteri, ſeu Decani ruralis, officium ſpectabat. Unde & Henricus Scatter, qui in Actis Trajectenſibus Chorepiſcopus Trajectenſis, ſimpliciter alibi vocatur Decanus Trajectenſis. Decanus ſcilicet non chori, non collegii, aut Capituli, ſed certæ alicujus regionis. Χώρα enim regio. Certæ autem regionis in qualibet diœceſi Chorepiſcopus ſpeculator. Sublatum quidem munus, quod excederet paſſim, qui eo functus, officii ſui metas. Vid. *Damaſ. epiſt.* 9. Sublatum tamen non ubique. Saltem non Ultrajecti. Et quod nec alibi prorſus deſiit, ex Concilio patet Pariſienſi, quod habitum Ludovico & Lothario Imperatoribus, *cap.* 27. cujus inſcriptio eſt: *Ut Chorepiſcopi modum menſuræ ſuæ, qui in ſacris Canonibus præfixus eſt, non excedant.* Ex epiſtola etiam Leonis Magni LXXXVIII. ut opinor, id ſatis patet, quæ non damnat, ſed tantum admonet, ne arripiant ex iis quicquam, quæ eccleſiaſticis regulis ſolis reſervantur Sacerdotum principibus. Molan. *lib.* 1. *de Canonic. cap.* 32.

Aco-

Acolythi velut famuli ad lumina accendenda in eccleſiis obſtricti, *lib.* 1. *tit.* 17.

Canonici etiam clerici, & vel Presbyteri, vel Diaconi, vel Subdiaconi &c. prout quiſque huic aut illi ordini aut officio eſt adſcriptus. *Qui*, inquit Carolus Magnus, ad *clericatum accedunt, quod nos nominamus canonicam vitam, volumus, ut illi Canonici ſecundum Regulam ſuam vivant, & epiſcopus illorum regat vitam, ſicut Abbas monachorum.* Officium in genere eſt pſallere in eccleſia, diurnis horis nocturniſque preces ad Deum fundere. Et certæ ad id horæ. * De quibus Adalbero ad Berengarium Auguſtum:

Septenas liceat laudes proferre per horas.

Paſſim fratres etiam dicti, ut Molanus docet de *Canonicis lib.* 1. *cap.* 3. Vulgo in Seculares & Regulares diſtincti. Sed Regulares jam pauci. Cauſam habet Molanus *ibid. cap.* 18. Omnes ab initio propemodum Regulares, quorum victus communis *lib.* 2. *de Nobilit. cap.* 2. Unde & illud ſatis certum, quod a *canone*, id eſt, regula, non ab annua præſtatione, ſeu præbenda, quæ & *canon*, Canonici primum dicti. Præbendæ ſerius demum datæ, & poſtquam victus communis deſiit. Molan. *ibid. cap.* 5.

Regulares a monachis differebant in paucis *d. tit.* Sed monachi olim laici. Unde & Abbas cum monachis poſt oſtiarium collocatur, qui eſt infimus clericorum, *can. a ſubdiacono diſt.* 95. Vid. *tit.* 19. Inter clericos eos tandem Syricius Papa retulit *can. monachos* 16. *qu.* 1.

* Menſura etiam quædam vini, quo vox clarior redderetur. Quinque libras in dies ſingulos cuilibet juſſit dari Concilium Aquisgranenſe *Regul. Canonicor. cap.* 129. Mabillon. *præfat. ad ſecul.* 4. *Bened.* §. 165.

Ut quis ſuſcipi poſſit monachus duo inprimis requiruntur, exploratio & profeſſio, *ibid. tit.* 19.

Explorantur pulſantes, qui ſe petunt admitti. Petunt libello ſupplice, cujus aliquot exempla apud Mabillonium *ſecul.* 4. *Sanctor. ord. S. Bened. p.* 738. Vita S. Adalhardi apud eund. *d. ſecul. cap.* 9. *Certaminis campum ingreſſus pervenit ad cœnobium, ubi annuo pulſans voto tandem introivit portas juſtitiæ.* Vita S. Anſelmi Abbatis Nonantulenſis *ibid. cap.* 7. *Habuit namque hic Dei famulus ſub ſuo regimine monachos regulares* CIↃ. C. XLIV. *exceptis parvulis & pulſantibus, qui non conſtringebantur ad Regulam.*

Pulſatorium & Capitulum diſtincta erant loca. Capitulum ita dictum à Capitulo Regulæ, quod legi ibi antiquitus ſolebat poſt Primam. Unde & *Prima hora* apud quoſdam *Capitulum* nuncupatur, ut in Ordine Romano eſt.

Quicunque autem clerici, cum vitam ſoli Deo & ejus cultui conſecrarint, exemplo laicis neceſſe eſt præeant, & quantum poſſint contendant, ne vitam probris conſpurcent, ut conſpicui pietate & omni virtutum genere, à luxu, ab alea, a popinis, a ganeis, a vini uſu immoderato, a duellis, a pugnis, a ſpectaculis, venationibus, omni item turpi lucro, omni turpi conſortio, ſe totos abſtineant, & ſpretis quæ hujus mundi cœleſtia tantum curent. Unde & nec Medicis nec Advocatis licet eſſe *c. ult. ext. ne cler. vel monach. c. non decet ext. de vit. & hon. cler. in* 5. *Compil. c. ſuper ſpecula ext. ne cler. vel Monach. eod.*

eod. ub. Ciron. niſi Papa diſpenſet, *cap. tua nos ext. de homic. volunt. & caſ.* Imo nec maritis, nuptiis plane interdictis. Olim cœlebs ſi ordinandus caſtitatem promittebat. Maritus non item. *can.* 5. *Apoſtol. l. eum qui C. de epiſc. & cler.* Ciron. *par. qui cler. vel vovent.* Verum temporis progreſſu etiam ejus qui maritus ordinatio prorſus vetita.

Libr. II.

Res eſt quicquid nec ad perſonas nec ad actiones referri poteſt. Rerum varia diviſio eſt, *l.* 1. *ff. de rer, diviſ.* Res vel ſacra eſt, vel profana, vel divini juris, vel humani, vel corporalis vel incorporalis, & corporalis rurſum vel mobilis vel immobilis, & viciſſim incorporalis, aut mundana, aut ſpiritualis. Nec ſtatim quicquid ſacrum ſpirituale etiam poteſt dici. Nec poteſt, quod ſpirituale eſt, acquiri iiſdem modis, quibus reliqua acquiruntur.

Modi, quibus reliqua acquiruntur, ſunt hi: præſcriptio, donatio, legatum, fideicommiſſum, & ſuſceptio hereditatis.

Eccleſia præſcriptione & amittit rem & acquirit. Amittit eam ſpatio annorum XL. *cap. ad aures cap. illud cap. quia hoc ext. de præſcript.* excepta eccleſia Romana, quæ ſpatio demum annorum centum, *nov.* 9. *c. de quarta c. ad audientiam ext. eod.* Sed jus Romanum ſi ſpectes, exceptio hæc ſublata, ſublata etiam *nov.* 9. quam non levi de cauſa plerique etiam putant ſpuriam. Eccleſias Juſtinianus hactenus inter ſe exæquavit

nov.

nov. 131. *cap.* 6. per quam etiam ſublata *l. ut inter divinum* 23. *C. de ſacroſ. eccleſ.* Acquirit autem ſpatio, quo acquirunt privati *nov.* 111. *cap.* 1. Conſtant. Harmenop. *lib.* 1. *tit.* 3. *§.* 52. Requiritur bona fides, ſed requiritur ut adſit toto tempore præſcriptionis *c. ult. ext. de præſcript.* Et hactenus differunt jus civile & Canonicum inter ſe, *l.* 15. *§. ult. ff. de uſucap. l.* 48. *pr. ff. acq. rer. dom.* Wiſſenb. *& Dd. comm. ad tit. Inſt. de uſucap.*

Spiritualium rerum numero etiam eſt Sacramentum. Quod eſt ſignum divinæ gratiæ, inviſibilis ſcilicet gratiæ ſignum viſibile.

Pontificiis ſunt ſeptem; Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, ſeu Confeſſio auricularis, Extrema unctio, Ordo, & Nuptiæ. Reformatis tantum duo; Sacra Cœna, & Baptiſmus.

Baptiſmus eſt ſacramentum, quo per aquæ aſperſionem ablutio ſpiritualis a macula & reatu peccati ſignificatur, *lib.* 2. *tit.* 3.

Trina eſt aſperſio ob Trinitatis myſterium, *can. eodem modo de conſecr. diſt.* 4.

Senſim autem baptiſmo multa addidit ſuperſtitio aliena a vetere inſtituto. Walafridus Strabo: *Alii addiderunt in baptiſmatis ſacramento exorciſmos, alii conſecrationem fontium, alii ſalis &c.*

Sacra cœna eſt ſacramentum, qua dum panem & vinum fideles inter ſe dividunt, Chriſti corpus pro nobis fractum & fuſus ſanguis ſignificatur *lib.* 2. *tit.* 4.

Verſa in miſſam a Pontificiis, quæ neceſſe ut fiat

fiat mane, nec ante tertiæ tamen curſum, ea tantum excepta, quæ fit nocte natalis Domini. Ciron. *par. de celebr. miſſ.*

Ab unoquoque autem eodem die tantum ſemel ſolet fieri, *cap. conſuluiſti cap. te referente ext. de celebr. miſſar.*

Etſi nihil hic ſatis certi. Nam & miſſæ olim veſpertinæ, & ab eodem bis de die mane & veſperi etiam factum *c. convenit de conſecr. diſt.* 5.

Matrimonium eſt duplex, juſtum & injuſtum. Ut ſit juſtum jus Canonicum requirit tria hæc potiſſimum, ut contrahentes conſentiant, ut juſtam habeant ætatem, ut abſtineant ſe a vetitis & nefariis nuptiis.

Nefarias vocat nuptias, quoties aut cognatio aut affinitas intercedit.

Cognatio eorum neceſſitudo eſt, qui ex eodem deſcendunt ſanguine.

Et hi Hebræis & aliis paſſim *fratres* etiam dicti. Haimo *hiſt. eccleſ. breviar. lib.* 2. *cap.* 3. *Hic enim mos Hebræorum cognatos vel propinquos fratres dicere vel appellare.*

Affinitas eſt neceſſitudo contracta inter conjugem & alterius conjugis cognatos. Cuj. *par. ff. de grad. & aff.*

Cognatio autem triplex, naturalis, legalis, & ſpiritualis. Spiritualis baptiſmo, legalis adoptione, ſanguinis neceſſitudine naturalis contrahitur, *t. tit. ext. de cognat. ſpirit. t. tit. ext. de cognat. legal. t. tit. ff. de rit. nupt.*

Suſceptor ex baptiſmo ſuſcepto velut pater eſt, & huic ille eſt velut filius, Liutprand. 2. *hiſt.*

18. *in fin. Quem ſibi, quoniam ex ſacroſancto fonte filium ejus ſuſceperat, compatrem Rex effecerat.* Procop. *Arcan. hiſt. pr. Eum jamjam tranſmiſſurus in Africam Beliſarius divino lavacro luſtratum ſuis exceperat manibus,* καὶ εἰσποιητὸν ξὺν τῇ γυναικὶ ἐπεποίητο παῖδα, ἧπερ εἰσποιεῖσθαι χριστιανοῖς νόμος. *& una cum uxore ſua filium adoptaverat, ut Chriſtianis liberos adſciſcero mos eſt.*

Naturalis eſt in linea vel recta vel obliqua.

Recta eſt aſcendentium & deſcendentium. Obliqua eſt eorum, qui veniunt a latere. Linea eſt perſonarum collectio, quæ ab eodem ſtipite deſcendunt.

In recta matrimonium prohibetur in infinitum.

In obliqua prohibitio quarto gradu concluditur. Quarto autem excluſive, ſi jus Romanum reſpicias. Si jus Canonicum incluſive.

Gradus eſt nihil aliud quam perſonarum diſtantia.

Linea obliqua, ſeu collateralis, Canoniſtis eſt duplex, æqualis & inæqualis.

Æqualis cum uterque, de cujus quæritur cognatione, æqualiter diſtat a communi parente, Inæqualis, cum alter eſt ei propior, alter remotior.

In æquali hæc regula eſt: Quoto gradu alter a communi pareute diſtat, tot gradibus diſtant inter ſe. In inæquali hæc: Quoto gradu remotior a communi parente diſtat, tot gradibus diſtant inter ſe.

Gradus affinitatis etſi proprle non ſunt, ſunt ta-

tamen improprie, & hinc utimur regula: Quoto gradu matrimonium ratione cognationis prohibetur, eodem etiam prohibetur ratione affinitatis.

Et quia uxor & maritus una caro exiſtimantur, utimur etiam hac: Quoto quis gradu marito eſt conjunctus, eodem etiam eſt uxori, & Quoto gradu uxori, eodem etiam marito eſt.

Ut autem de eo conſtet, an quid nuptiis impedimento, cognatio an affinitas, neceſſe, ut nomina contrahentium prius publicè proclamentur.

Nec poſt contractas jam nuptias nimis facile eſt audiendus, ſiquis dicat injuſtas. Sed quid ſi proclamationes aut non interceſſerint aut non ſic ut oportet? Quid ſi alibi quam oportuit non innotuerint ei cujus intereſt? Et quid ſi in fraudem ejus, ad quam ducendam quis condemnatus jam? Æquum ut conſideratis, quæ conſiderari hic oportet, cuique ſuum jus ſartum tectum ſervetur.

Nihil temere hic agendum. Temere ſi fingatur cognatio vel affinitas, quod apud Pontificios ob tot prohibitiones & diverſas computationes graduum non difficulter poteſt fieri, non audiendus, qui aut tædio aut forſan pœnitentia matrimonium diſſolvi vult *c. relatum*, *c. inſuper c. ſignificante ext. qu. matrim. accuſ. poſſ.* Petr. Damian. *de contempt. ſecul. cap.* 29. *Siquis uxoriæ calamitatis incommoditate percellitur, ipſe vir falſæ conſanguinitatis lineam texit & inaudita proavorum nomina per multa argumenta confingit, atque ſimul quoſ-*

dam

dam in hujuſmodi allegationis teſtimonium advocat.

Proclamationes fiunt poſtquam facta ſponſalia, *lib.* 2. *tit.* 5.

Sponſalia mentio ſunt & repromiſſio futurarum nuptiarum, *l.* 1. *ff. de ſponſal.*

Deſtinare etiam dicunt. Idem id quod deſpondere. Junxit Paulus utrumque, *l.* 36. *ff. de rit. nupt. Tutor*, inquit, *vel curator adultam uxorem ducere non poteſt, niſi à patre deſponſa deſtinatave.* Supple *fuerit* ἀπὸ κοινοῦ. Mox enim ſequitur; *teſtamentove nominata conditio nuptiis ſecuta fuerit.* Sic legendum pro *conditione.* Ita & apud Ciceron. *de Aruſp. reſponſ. cap.* 3. *deſponſam & deſtinatam laudem alicui præripere. Deſtinare* inter cetera vincire etiam & alligare. Apulej. *lib.* 6. *lorum, quo fueram deſtinatus, abrumpo.* Plaut. in Rudente: *ſibi puellam deſtinat & jurejurando alligat.*

Futurarum nuptiarum, quia nulla ſunt de præſenti, ſi ſpectes jus Romanum. Si Canonicum contra eſt. Sed pugnant tum inter ſe definitio & diviſio.

Sponſalia de præſenti pro vero habent matrimonio, & tribuunt etiam eandem vim iis quæ de futuro, ſi accedat concubitus. Unde & tum perinde eſt uxoris an ſponſæ conſanguineam cognoſcas, *cap. diſcretionem cap. ult. ext. de eo qui cogn. conſang. cap. à nobis cap. duo ext. de deſponſ. impub. cap. per tuas ext. de condit. appoſ.*

Conſenſus facit ſponſalia, nec niſi mutuus diſſenſus, ſi ſpectes jus, quo jam utimur, ea rurſum diſſolvit, *arg. l.* 35. *ff. de reg. jur.*

Unde

Unde & ſi ponatur, quod quis duas deſpondit, præfertur prior poſteriori, niſi is qui deſpondit cum poſteriori jam coiit.

Proclamatio ut innoteſcat vel de Curia à magiſtratu fit vel in cœtu eccleſiæ, *lib.* 2. *tit.* 6.

Eccleſiæ ſunt ædes divino cultui conſecratæ. Nondum ſi conſecratæ opera ſunt tantum.

Conſecratio fit rite, dote inprimis conſtituta, & dum ponuntur fundamenta, fuſis ad Deum precibus, ut & crucis fixione, ſeu *σταυροπηγία*, *nov.* 67. Ciron. *par. de conſecr. eccleſ.* Eccleſia etiam paſſim titulus, & altare etiam ſimiliter, ob præſcriptum ipſis nomen martyris, cujus ibi reliquiæ.

Martyris dico. Sed nihil refert, an Confeſſor, an Martyr ſit. Etiam ſiquid Chriſti, aut matris ejus inferatur, ut eccleſia ſit ſufficit. Andr. Sylvius Marcianenſis 2. *Chron.* 14. *Apud Karrofium in Aquitania monaſterium ædificavit, in quo poſuit Domini præputium.* Vid. Hed. *hiſt. Vltraj. p.* 320. *& ſeqq.*

Ædes autem non tantum ſacra, verum etiam cœmeterium, ut & extra cœmeterium ambitus LXX. paſſuum. Cruces ambitum deſignabant. Anonymus Floriacenſ. *lib.*4. *de mirac. S.Bened. Cruces aliquantulum excelſas per gyrum cœmeterii poſuerunt, quas nemo ſuum perſequens inimicum tranſgredi audeat.* Et aſyli ibi jus, ſed vim tantum metuentibus, injuriam, ſævitiam, non noxiis, ſed innoxiis, *nov.* 17. *cap.* 7. *cap. inter alia ext. de immun. eccleſ.* Etſi eo non obſtante totum id, quod ibi ſacrum, ne excepta quidem æde, ad profanos etiam uſus, turpes etiam & illicitos à Pontificiis converſum.

tit. VII. Luitprand. *de vit. Pontific. cap.* 105. *ut Sacerdotes admoneant viros ac mulieres, qui feſtis diebus ad eccleſiam concurrunt, ne ballando ac turpia verba decantando choros teneant ac ducant, &c.* Ballare eſt vox barbara. Quid ſignificet ſatis patet. Docet etiam epiſtola Liciniani Carthaginis Spartariæ epiſcopi ad Vincentium Eboſitanæ inſulæ epiſcopum directa, occurrens inter Præſulum epiſtolas à Juliano collectas: *Meliuſque erat viro hortum facere, aut iter agere, mulieri colum tenere, & non ut dicitur ballare, ſaltare, & membra Deo benedicta ſaltando male trajicere, & torquere, & ad excitandam libidinem nugantibus cantionibus reboare.*

Non ſemel cautum, ne ex eccleſiis fiant horrea, *cap.* 1. *ext. de cuſtod. euchariſt. can. ſicut de conſecrat. diſt.* 1. Et ſæpe id tamen contigit ob repentinos tumultus, incurſus hoſtium, incendia. Anonymus Floriacenſis *de mirac. S. Bened. cap.* 24. *Ut vero moris agreſtium eſt, in adventu militum formidare, ruſtici omnia ſua ad eccleſiam convehunt, tam annonam, quam ſupellectilem.* Utcunque autem id contigit, ædes tamen manebat ſacra, deſinens demum ſacra eſſe, effuſo ibi per vim ſanguine, adulterio, incendio, *can. eccleſiis, can. eccleſia de conſecrat. diſt.* 1. ſepultura excommunicati, *cap. conſuluiſti ext. de conſecr. eccleſ.* altari fracto, disjecto *can. ſi motum de conſecrat. diſt.* 1. *cap.* 1. *ext. de conſecrat. eccleſ.* & ſi invaſerint eam hoſtes, *arg. l. cum loca ext. de relig. & ſumpt. fun.* Reconcilianda tum aqua benedicta & ſale ad id adhibitis, vino item & cinere *d. cap. propoſuiſti. can.*

ſigni-

ſignificaſti, ext. de adult. & ſtupr. Ciron. *par. d. t.*

Reparanda alioquin , quæ diruta , ſi ſuadeat populi concurſus, ſi ſolatium clericorum *can. decrevimus & ſeq.* 10. *qu.* 1. Utroque autem deſtituta , unienda potius proximiori , ſi epiſcopo videatur ſic , ut reſcripſit Gregorius Papa 1. *epiſt.* 3. *&* 2. *epiſt.* 35.

Deſtinata erat refectioni redituum quarta pars, ut & quicquid ſupererat ex portionibus clericorum *can. vobis can. conceſſo & ſeq.* 12. *qu.* 2. *cap.* 1. *&* 4. *ext. de eccleſ. ædif.* Exacta etiam in id decima , quæ & decima fabricalis. A Clemente Papa IV. Regibus Caſtellæ & Legionis conceſſa, quo fortius eccleſias tuerentur adverſus hoſtes, *epiſt.* 24. *&* 103. Ciron. *par. de eccleſ. ædif.* Æquum certe, ut curetur, ut ſartus tectus ſit ſemper locus, in quem ſtatis temporibus ad preces, ad eleëmoſynas, ad audiendum verbum Dei frequens plebs convenit, ne anſa alioquin præbeatur rerum novarum cupidis cœtum publicum deſerendi, & conventicula frequentandi, quæ odioſa adeo, & jam & olim tam frequenter prohibita. Habere domi Oratoria divini cultus cauſa pium, ſed habere hæc in injuriam & contemptum eccleſiæ nunquam non illaudatum. Et hoc eſt quod vult Canon 58. *Synodi Laodicenæ , non licere* ἐν τοῖς οἴκοις προσφορὰν γίνεσθαι, *in domibus propriis oblationes facere.* Idem eſt in *can.* 5. *&* 6. *Synodi Gangrenſis, can.* 5. *Synodi Antiochenæ, can.* 2. *Synodi Carthaginenſis, can.* 1. *Concilii Matiſconenſis.* Albertus quidam Gallus cum contrarium feciſſet cruces in campis ſtatuens, *publicas & anti-*

quas eccleſias relinquens, ut eſt in epiſtolis Bonifacii Moguntini & in *can.* 8. Concilii Romani ſub Zacharia Papa, cruces juſſu Concilii Sueſſionenſis, quod fuit ſub Pipino, disjectæ & combuſtæ. Ciron. 3. *obſ.* 8.

Quadruplex eſt eccleſia, cathedralis, collegiata, conventualis, & parochialis. Collegiata Canonicorum, Conventualis monachorum, Parochialis Parochi, Sacerdotis, Plebani.

Nec Plebani tantum parochia, ſed vox latius etiam ſumitur & diœceſin ſignificat. Sic Tranſiſulania parochia epiſcopi Trajectenſis. Vita S. Ludgeri apud Mabillon. *ſecul.* IV. *Sanctor. ord. S. Bened. part.* I. *cap.* II. *Rogavitque ut in confinio Francorum atque Saxonum ſecus fluvium Iſla plebi in doctrina prodeſſe deberet, rogavitque, ut ad locum illum ſe perducere juberet &c. Tunc Gregorius eo quod locus idem ad parochiam ſuam pertineret &c.* Add. *ibid. cap.* 20. *& ſeq.*

Dos eſt pecunia, vel quævis res alia, ad exhibendam eccleſiam & ejuſdem miniſtros.

Ad dotem decimæ etiam pertinent eccleſiæ & miniſtris ejus quotannis præſtandæ.

Majores aliæ, aliæ minores, quæ & vulgo minutæ. Majores ex tritico, avena, hordeo, ſiligine, & omni genere frumenti, ex fœtu pecudum, ex vino, ubi copia vinearum. Ferarum item & venationis, Miracula S. Huberti apud Mabillon. *to.* 9. *SS. cap.* 15. *Erat enim ab antiquo totius Arduennæ primoribus ex debito firmatæ conſuetudinis per ſingulas vices annuæ venationis primitias & decimas cujuſque generis ferarum beato Huberto perſolvere &c.*

Minutæ

Minutæ ex ſemine, ex leguminibus, ex arborum fructibus, hortorumque.

Etiam in veteres & novas dividuntur. Veteres quæ debentur ex agris ſemper excultis. Novæ novalium. Novalia agri, qui de novo ad culturam redacti.

Debentur variis ex cauſis. Vel inter vivos conſtituuntur vel in ultima voluntate. Traditione acquiruntur, legato, fideicommiſſo, ut & temporis præſcriptione. Qua & rurſum amitti poſſunt.

Vulgo vetita alienatio, nec niſi ex gravi cauſa & ex qua etiam eccleſiarum commercium admiſſa, *tit.* 8.

Idem primitiarum & oblationum etiam jus eſt. Oblationes ſunt dona, quæ aut clero, aut Sacerdoti, aut eccleſiæ conceſſa. Plerumque autem, cum quid dabant, imponebant altari.

Plerumque etiam quod oblatum in quatuor partes diviſum. Prima data Sacerdoti. Altera autem pauperibus. Tertia hoſpitum receptioni. Quarta fabricæ reſervata & refectioni eccleſiæ, *tit.* 9.

Et hinc ejuſmodi facultates, ut quos habebat ab officiis, amplis etiam eccleſia ornarit beneficiis.

Beneficium eccleſiaſticum eſt jus quod habet clericus pro officio, quod præſtat, quibuſdam rebus eccleſiaſticis utendi fruendi.

Et vel majus vel minus eſt. Majus cui dignitas, cui vis & poteſtas, & juriſdictio eſt annexa. Minus ſimplex adminiſtratio eſt.

Quædam etiam, quæ requirunt reſidentiam, quædam non.

Quæ requirunt reſidentiam, plura in unum ſimul conferri non poſſunt. Ut

Ut uni una tantum uxor, ſic uni unus tantum titulus, unus tantum epiſcopatus, una tantum eccleſia, una item præbenda.

Verum ſeculi tandem vitio etiam aliud obtinuit, *tit.* 10. Unde & illud Luitprand. 4. *hiſt.* 3. *Contra jus faſque Veronenſem, Tridentinam, Mantuanam, commendavit illi, ſeu, quod verius eſt, in eſcam dedit eccleſias.* Paſſim cum invaluiſſet id, Concilium Tridentinum rurſum vetuit expreſſe, ne plura darentur uni, *ſeſſ.* 24. *cap.* 17. Non felix ſed infelix eſt, qui plura poſſidet beneficia, ut ſententia Molani eſt *lib.* 3. *de Canonic. cap.* 4. *Qui plures ſunt in beneficiis, plures erunt quoque*, inquit, *in pœnis inferni ibid. ſeq. cap.* Ut nanciſcatur quis beneficium canonica inſtitutio neceſſe eſt præcedat.

Neceſſe eſt ut is conferat, qui conferendi habet jus, ut vacet beneficium, ut gratis id conferatur, Laico ut conferatur neceſſe ut clericus primum fiat. Et ut fiat non ſufficit. Neceſſe, ut ſit idoneus, ut legitima ei ætas, ut ſit nulli obnoxius, & nec ſervus, nec adſcriptitius, ut juſto thoro natus, ut pius, ut literatus.

Et ut efficax ſit inſtitutio, neceſſe etiam, ut certo ritu fiat miſſio in poſſeſſionem.

Duplex eſt collatio libera & neceſſaria. Libera eſt, cum beneficium collator confert cui vuit. Neceſſaria cum confert ad nutum præſentantis. Qui præſentat patronus.

Et hinc jus patronatus. Jus quod competit fundatori in eccleſia quam exſtruxit & dotavit in ſuo.

Duplex autem jus id reale & perſonale. Reale, quod

quod prædio, quod glebæ, aut poſſeſſioni, a fundatore eſt adſcriptum. Quod patrono aut ejus liberis, aut cui id patronus expreſſis verbis adſcripſit, vocatur perſonale, *tit.* 12.

Modi, quibus beneficia amittuntur, ſunt hi: mors, profeſſio monaſtica, matrimonium, delictum, & renuntiatio ſeu ceſſio.

Ceſſio ut ſit efficax, neceſſe eſt, ut fiat ultro, citra aliquam impreſſionem, citra dolum aut metum.

Ut abſque pretio fiat gratis. Simonia eſt alioquin, niſi duo de beneficio aut præbenda contendant, & alter alteri aliquid det, ut a lite deſiſtat. Qui caſus exceptus eſt *cap. dilectus* 27. *ext. de Simon.* Ciron. *par. eod.*

Vulgo etiam requiritur, ut cedens dies aliquot adhuc vivat poſt ceſſionem jam factam.

Et interdum etiam ut accedat Superioris permiſſus, *tit.* 13.

Quod ſi is qui ceſſit aſſumatur rurſum in Capitulum, eundem locum, quem habuit, non poteſt rurſum vindicare, ſed neceſſe ut poſtremum occupet, iis ipſi prælatis, qui poſtea acceſſerunt, *cap. pen. ext. de elect. & el. pot. cap. ex insinuatione ext. de ſimon.*

Ceſſio autem non præſumitur. Nec quiſquam creditur beneficium, unde ei quotannis reditus, contempſiſſe ut rem nihili, *l.* 25. *pr. ff. de prob.*

Ampla enim beneficia, & vel magis vel minus ampla pro opibus eccleſiarum.

Opes in prædiis, in auro, in argento, in cenſu conſiſtunt.

Cenſus variis ex cauſis præſtitus, pacti ſcilicet,

 con-

contractus, donationis, legati, aut cujuſvis ultimæ voluntatis.

Ab eccleſiis etiam præſtitus ex his cauſis eccleſiæ.

Etiam à donatario. Et facta interdum donatio, ut donatarius quid quotannis præſtaret eccleſiæ. Manumiſſio etiam ita facta, ut manumiſſus præſtaret quid. Sic Henricus, verbi gratia, Comes Lovanienſis Reſwendem puellam, ut in veteri quadam charta eſt, manumiſit ea lege, ut monaſterio de Affligem quotannis ſolveret in altari duos denarios, ſex autem quotannis, poſtquam nubilis eſſet facta, duodecim cum vel ipſa vel aliquis ex ejus ſtirpe diem ultimum obiiſſet. Molan. *lib.* 3. *de Canonic. cap.*30.

Adſcriptitii etiam eccleſiis, qui quotannis præſtabant cenſum. Henricus Sanctus Imperator cœnobio S. Michaëlis apud Bambergam tredecim donatis curtibus de colonis adjecit ita: *Debita ſervitia aratrorum in tribus vicibus in anno, ovorum in Paſcha, caſeorum in Pentecoſte, pullorum in carniſprivio, & hebdomadalia ſervitia dicta noſtra eccleſia ab omnibus, ut condecet, impendantur. Cenſum autem ultimum, per quem utique omiſſa vel neglecta impenduntur ſervitia, jus videlicet capitale, à viris decedentibus optimum equum, vel ſi carent, optimam partem pecoris, & à fœminis induvias & exuvias tranſmitti ad eccleſiam ordinamus, ut cum famulis eccleſiæ in divinis ſervitiis communionem plenariam conſequantur.*

Extat cenſus deſcriptio monaſterii Centulenſis, quam fecit Henricus Abbas apud Mabillon. *ſecul.* 4. *SS.*

4. *SS. ord. S. Bened.* in elogiis Angilberti Henrici ſucceſſoris, cujus hoc eſt initium: Nam omnia ut deſcribam in præſentia non vacat: *In ipſa Centula habentur manſiones hominum ſecularium duo millia quingenta, unaquæque perſolvit denarios duodecim, pullos quatuor, ova triginta. Servitium domini Abbatis & Fratrum ſemper debent, ubicumque neceſſe fuerit: Molendina quatuor: unde redditur annona permixta ſexcenti modii, porcos octo, aucas duodecim. De mercato per hebdomadam* XL. *ſolidos, de commeatu per hebdomadam viginti ſolidos. Sunt ibi clibana tredecim, quæ reddunt unumquodque per annum decem ſolidos & panes trecentos, flatones in Litaniis unumquodque triginta. Cura animarum in porticu ſancti Michaëlis deſervit eleëmoſynis fratrum valens per annum quingentos ſolidos. Sepultura pauperum &c.*

Ad cenſum recte etiam referas ſervitia & miniſteria, quæ eccleſiis quotannis præſtita, ut in Chronico Andrenſi eſt ad Ann. 1214. *Eodem anno nobilis vir Jacobus de Niclas quandam decimam lini in Campania jacentem, à monaſterio Andrenſi dudum impignoratam in feudum recepit, & exinde Andernenſi Abbatiæ homagium fecit, recognoſcens in plena Curia, & in Parium ſuorum præſentia ſe ter in anno placitis Andrenſis Abbatiæ debere intereſſe, & ut veſtimenta ſacerdotalia conſuantur & abluantur ab ejus familia ſe debere operam dare, Abbate vero equitante, ſi invitatus fuerit, duo linteamina cum auriculari ad ejus lectum tenetur providere, eo poſtquam redierit ea lota recipere &c.*

Et ſæpe hinc de eccleſiis tot lites, tot rixæ.

Vita S. Anſegiſi apud Mabillon. *to.9 SS. cap.* 2. *præfatus dominus Anſegiſus Flaviacum monaſterium, quod ſitum eſt in pago Bellovacenſi, à domino Rege Carolo in precarium accepit.*

Etiam eccleſiarum quaſi quoddam commercium. Etiam pignori obligatæ, in dotem datæ, in emphyteuſin *tit.* 4.

Diſtractæ etiam non minus quam quæ in bonis habebant prædia.

Diſtractio enim quamvis vetita, ut apud Luitprandum *de vit. Pontific. cap.* 105. *in fin. irrefragabiliter affirmando inſtituit, ut nullus epiſcoporum vel ſacerdotum rem ſui tituli uſurpare aut alienare præſumat*, ex juſta tamen cauſa etiam ſæpius permiſſa, ut ſi cogat neceſſitas, ſi redimendi captivi, ſi pauperes exhibendi, ſi ſolvendum æs alienum, ſi ſterile prædium vendatur pluris, ut ematur fructuoſius, ſi deterius prædium eccleſia cum meliori permutet, ſi ædes diſtrahat collabentes, ſi periculum, ne divinum, ſi non fiat diſtractio, deſeratur ſervitium &c. *tit.*15. Molan. 1. *de Canonic.* 19. *in fin.*

Nulla eſt certe regula, quæ non habeat exceptionem. Nemo de eo dubitat, quin donatio ſit vetita. Sed quid ſi donetur quid, quod non magni momenti? Quid ſi ei, qui eccleſiæ utilitati deſervit? qui de ea bene meritus? Vid. Gregor. Magn. *lib.*2. *epiſt.* 18. *& lib.* 10. *epiſt.* 53. Molan. 3. *de Canonic.* 16. Quid ſi ad remunerandam alterius munificentiam? quod *charitatem* dicebant, & *charitatis cauſa* præſtitum, quo diuturnior memoria, & firmior eſſet in poſterum eccleſiæ poſſeſſio. Charta Willielmi Caſtellani S. Audomari apud Willelmum Abbatem Andrenſem ad Ann. 1199. *Confirmo etiam eidem Andrenſi eccleſiæ decimam de Elceka, quæ quondam per multorum partes diviſa*

nunc

nunc uniformiter Andrenſi eccleſiæ in eleëmoſynam eſt collata, partem videlicet cujuſdam Adelaidis, quam accepta charitate duodecim marcharum & dimidiæ in eleëmoſynam contulit...... Alteram nihilominus partem confirmo, quam Marcilius in eleëmoſynam contulit, accepta karitate ſex marcharum & dimidiæ: item partem Widonis de Gardino; & uxoris ſuæ Adelidis pro karitate novem marcharum & dimidia in eleëmoſynam collatam &c. Robert. de Monte in ſupplem. ad Sigebert. ad Ann. 1201. *Pro hac autem donatione Rogerus Torel accepit ab Abbate Alexandro nomine charitatis xxx. libras Andegavenſes & equum unum album &c. à Wilhelmo vero duorum militum veſtimenta &c.* Add. Orderic. Vital. *lib.* 5. *hiſt. p.* 576. & *ſeq.* Chronic. Virdunenſ. apud Labbeum *to.* 1. *nov. Biblioth. p.* 542. & *ſeq.* Juſta autem inprimis cauſa eſt, ut & ſtatim jam dixi, ſi ſubveniendum pauperibus, ſi redimendi captivi. *S. Exuperius Toloſæ epiſcopus*, ait Hieronymus *epiſt.* IV. *ad Ruſticum, viduæ Sareptenſis imitator, eſuriens paſcit alios, & ore pallente jejuniis, fame torquetur aliena, omnemque ſubſtantiam Chriſti viſceribus erogavit.* De S. Remberto eccleſiæ Bremenſis ſeu Hamburgenſis Archiepiſcopo, cum inter barbaros adhuc viveret, æqualis eorum temporum vitæ ipſius ſcriptor: *Ad redemptionem captivorum*, inquit, *pene cunctis quæ habebat, expenſis, cum multorum adhuc apud infideles detentorum calamitatem cernere cogeretur etiam ſacri altaris vaſa ob illos redimendos impendere non dubitavit.* Lytrum quindecim librarum cum Fauſtinus quæreret miles

les Merienſis eccleſiæ, ut duas ſuas filias liberaret captivas, graviter pro eo Auguſtinus ſcripſit ad epiſcopum Meſſanenſem, *cap.* 35. *Illud*, inquit, *fraternitas veſtra debet eſſe ſollicita, ut ſiquidem de prædicta eccleſia uſuale argentum eſt, ſuperſcriptam quantitatem accipiat: alioquin de ſacratis vos vaſis hac in re eam quam prædiximus quantitatem præbere neceſſe eſt. Nam ſicut omnino grave eſt fruſtra eccleſiaſtica miniſteria venundare, ſic iterum culpa eſt imminenti hujuſmodi neceſſitate res maxime deſolatæ eccleſiæ captivis ſuis præponere, & in eorum redemptione ceſſare.* De eodem Auguſtino Poſſidius in ejus vita *cap.* 24. *Nam & de vaſis Dominicis propter captivos, & quamplurimos indigentes frangi quædam & conflari jubebat, & indigentibus diſpenſari &c.* Molan. *lib.* 2. *de Canonic. cap.* 14.

Fabula eſt, & nihil aliud, quod ajunt Carolum Martellum ob conceſſas iis decimas, qui bello Saracenico fortem ipſi navarant operam, projectum in infernum. Commentum eſt monachale, ut ſcribunt ipſi Pontificii. Jo. Tilius in ſuis de Francorum Regibus Chronicis ad Ann. 741. Joan. Marius Belga Valencianenſis *lib.* 3. *Elucidat. Orient. & Occident. Gall.* R. P. Jacobus Gordonus Leſmoreus in ſua rerum geſtarum ſerie ad eund. Ann. 741. *De morte*, inquit, *& anima Caroli Martelli fabulam lege apud Baronium.* Legere eſt etiam apud Surium in vita S. Eucherii epiſcopi Aurelianenſis ad diem 20. Februar. ut & apud Gratianum ad *can. quia juxta* 16. *qu.* 1. Etiam decimæ res ſacræ, & quæ ad dotem pertinent eccleſiæ, ſed quæ in militum ſtipendia præſtat ut convertantur,

quam

quam ut una cum eccleſiis diripiantur à barbaris, & in uſum cedant hoſtium.

Patet interim, quod & clerus, etſi vetita negotiatio *c. quoniam & ſeq.* 14. *qu.* 4. *c. ſecundum ext. ne cler. vel monach.* contrahere tamen poteſt, & ſic tamen contrahere, ut ſi collegium eccleſiaſticum prorſus ſe abſtineat ab emptione immobilium, niſi Princeps permittat *tit.* 16.

Acquiſitio immobilium, etſi olim permiſſa, paulatim tamen dein vetita. Olim frequens donatio. Sed & illud non minus frequens, ut donator interim retineret rem titulo aut precarii, aut locati, aut uſusfructus, aut alioquin in feudum, in emphyteuſin, reciperet. Et hæc olim precaria.

Precaria à parte ejus, qui rem utendam rogabat. Præſtatia à parte ejus qui utendam danti rurſum dabat, *tit.* 17.

Contractus etiam libellarius in uſu olim paſſim. Dixi *ibid.*

Porro clericis diſponendi jus non tantum inter vivos, verum etiam in teſtamento. Excipi tantum debent monachi, qui nec habent quicquam nec acquirunt, non magis quam mortui. Ingreſſi enim monaſterium ſtatim cenſentur mortui. Et id tamen ſuccedit, ſiquid habent de facto. Reliqui autem habent, etſi filiifamilias, & activam & paſſivam teſtamenti factionem.

Iidem ab inteſtato ut propinquis ſuccedunt; ſic propinqui ſuccedunt ipſis.

Actio eſt jus perſequendi in judicio, quod ſibi debetur.

Judicium eſt legitima cauſæ diſceptatio ex parte actoris & rei, litis finiendæ gratia. Vel

Vel civile eſt vel criminale, vel privatum vel publicum, vel eccleſiaſticum vel ſeculare.

Vierſchaer Belgice etiam vocant, quod conſtet quatuor perſonis, judice, actore, reo, & actuario, vel, ut alii, judice, actore, reo, & Prætore, ſeu ut barbare Balivo. Marchant. in *Fland.* Boxhorn. *theatr. urb. Holland. in deſcript. Amſtelod.* Kilianus *in voce Vierſchaer*. Coram his dum diſceptatur res, vocatur, *geſpannen vierſchaer*. Virſcara bannita, ut in legibus eſt villæ de Arkes ab Abbate S. Bertini conceſſis Ann. 1231. apud d'Achery *to.* 12. *Spicil. cap.* 20. *Qui virſcaram bannitam pugnando vel pugnare nolendo temere perturbaverit, tres libras emendabit.* Banniri dicitur judicium, quoties id exercetur. Weichbild. Magdeburgenſe *art.* 16. §. 1. & 3.

Tres ſunt inprimis qui judicium conſtituunt judex, actor, & reus.

Græcis actor διώκων, reus φεύγων, Latinis fugiens *l.* 48. *ff. de jud. l.* 13. *§.* 2. *C. de jurej. propt. cal. præſt.* Cur *fugiens* ſiquis quærat, ratio apud Guntherum eſt *lib.* 1. *verſ.* 630.

—— —— dudum poſſeſſa Ducatus
Perdere jura timens: nam cauſa ſemper in omni
Judicium ſpoliatus amat; qui poſſidet, odit.

Pulſare etiam dicitur actor, reus contra pulſari. Gloſſ. Græco-Lat. *Pulſat*, αἰτιᾶται ὠθεῖ. Eædem: *Pulſati*, κατηγορούμενοι, αἰτιαθέντες. Probum verbum & quod cum aliis tum Ciceroni uſitatum 5. *in Verr. Pro decima cum pulſatus à Venerio eſſet.*

Judex juris diſceptator eſt.

Eſt vel judex pedaneus, vel magiſtratus, vel arbiter.

Judex pedaneus tantum nudam notionem habet. Nuda notio & juriſdictio invicem opponuntur. *l.* 5. *pr. ff. de re jud. l.* 99. *ff. de verb. ſign.* Magiſtratui juriſdictio eſt. Juriſdictio eſt cauſas cognoſcendi, judicandi, judicatumque exequendi poteſtas.

Non poteſt judex pedaneus ſententiam exequi, quam tulit. Contra poteſt magiſtratus, *l.* 15. *pr. ff. de re jud.*

Arbiter eſt inſtar judicis, *l.* 1. *ff. de rec. qu. arb. Inſtar judicis*, quod ab arbitro appellari non poteſt, *l.* 1. *C. de recept. arb. l.* 27. §. 2. *ff. de rec. qu. arb. c. à judicibus* 2. *qu.* 6. A judice poteſt.

Judicii partes etiam tres ſunt litis conteſtatio, cauſæ cognitio & ſententia.

Litis conteſtatio eſt rei ſive cauſæ in judicium deductio per narrationem actoris & contradictionem rei.

Sententia eſt pronuntiatio judicis ſecundum quam vult litigatores à controverſia diſcedere.

Ut judex ſic & forum eſt vel competens, vel incompetens, vel eccleſiaſticum vel ſeculare.

Laici conveniuntur apud judicem ſecularem. Apud eccleſiaſticum clerici.

Secularis etiam publicus, *l.* 12. *C. Th. de epiſc. & cler.* Caroli Magni Capitula *lib.* 5. *cap.* 14. *Ut omnes juſtitias faciant tam publici quam eccleſiaſtici*, & *lib.* 6. *cap.* 106. *ut epiſcopus judices publicos commoneat.* Bignon. ad Marculf. 1. *cap.* 3.

Poteſt tamen à laicis judicis eccleſiaſtici juriſdictio prorogari.

A cle-

A clericis judicis ſecularis juriſdictio non poteſt. Et nec ſemper id procedit, quod qui laici conveniendi apud judicem ſecularem.

Cauſæ ſunt, quæ ad judicis eccleſiaſtici cognitionem tantum ſpectant, ut ſi ſit qnæſtio de nuptiis, de fide Catholica, de privilegiis, de decimis.

Forum alioquin quis ſortitur apud judices eccleſiaſticos & domicilii, & beneficii, & delicti ratione.

Ad locum contractus Canoniſtæ non attendunt.

Nec rei ratio aut poſſeſſionis conſtituit ſola domicilium, niſi quis & ibi ſit, ibi habitet, aut commoretur, *c. dilectus 29. ext. de reſcript. l. 17. §. ſola ff. ad municip. l. 2. C. ub. Sen. vel clariſſ.* Chaſſen. *par. de for. comp. tit. 2. & ſeq.*

Clericorum delicta ſunt vel gravia, vel levia, vel privata, vel publica, vel propria ipſorum, vel communia.

Si ipſorum ſint propria, ſiquid quod lædit fidem, quod pietatem in Deum, quod eccleſiaſticam diſciplinam, ad judicem eccleſiaſticum tantum ſpectat cognitio.

Si delictum commune, ſiquid quod mortem, quod ſanguinis pœnam ingerit, magiſtratus cognoſcit.

Anonym. Marcianenſ. ad Ann. 1226. *Hoc quoque anno*

Magiſtratus nimirum, quod quadam ſcilicet περιφάσι nihil clericis cum ſuppliciis. Nihil ipſis cum mundo, ut qui mundo jam dudum mortui. Sed hic

Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta.

Horrent ſcilicet ſanguinem, & non aliud tamen magis

magis ſitiunt. Armis ipſis interdictum, & arma aſſim tamen tractant. Non curant hæc quæ hujus eculi, & toti tamen iis merſi. Unde & illud Anonymi ad Berengarium Auguſtum:

Farier illectos ſtudiis Mavortis utrimque
Pontifices vereor.

Item illud *lib.* 4. *in fin.*

Pontifices unquam celebrent non rura deinceps.
Sic ſua jura tenent, ſi non ruralia curent.

Deviare id Adalberoni, cum ad Regem Rotbertum ait:

Deviet ille ſacer de ſede monaſticus ordo,
Uxores ducant pulcras & prælia tentent.

Verum ſæpius deviatum. Et quid notius tandem quæſo quam quod judex eccleſiaſticus magna cum ſævitia cognoſcit etiam de hæreſi, quod condemnat, quod condemnatum tradit brachio ſeculari, & quod hactenus magiſtratus ſervit ei ut viator, ut inſtrumentum ſævitiæ.

de mandato ſummi Pontificis &c. venit frater Robertus, de ordine Prædicatorum, & multos utriuſque ſexus examinavit de fide. Multos infideles conſumpſit flammis ultricibus, multoſque perpetuo carceri mancipavit.

Nec in clericum tamen ei jus, niſi poſtquam eſt degradatus *tit.* 3. *&* 4.

Accuſatio definitur, quod ſit criminis apud judicem ſolennis perſecutio vindictæ publicæ cauſa.

Solennis autem idcirco, quod neceſſe ut qui accuſat inſcribat in crimen.

Inſcriptio in crimen eſt libellus, quo quis eum quem accuſat, reum ait ſe peracturum, & niſi peragat eum reum, & probet crimen, quod accuſat, eidem pœnæ ſe ſubjicit.

Publica eſt accuſatio, §. 1. *Inſt. de publ. jud.* Cuivis competit ex populo, *d.* §. Sed ſunt qui

non poſſunt *tit.* 5. *l.* 8. *& ſeqq. ff. de accuſ.*

Qui accuſant, neceſſe eſt, ut accuſent per ſe. Per alium non licet, *d. tit.* 5. Luitprand. *de vit. Pontific. cap.* 39. *Leges ſeculi accuſatores præſentes exigunt, & non per ſcripta abſentes.*

Neceſſe etiam, ut qui accuſat, probationes habeat & argumenra, quibus reum convincat, *l. ult. C. de prob.* Optat. Milevit. *contr. Donatiſt. lib.*6. *Livore interveniente facile eſt iratis jactare, ſed ſemper dum intenditur crimen, neceſſaria probatio eſt.* Conſtitutio eſt, quæ adſcribitur Fabiano Papæ apud Luitprand. in ejus vita: *ut quicunque accuſationem per ſcripturam ſe probaturum eſſe fateatur, ſi non probaverit, quod objicit, pœnam, quam intulit patiatur.*

Probatio autem duplex, artificialis & inartificialis. Inartificialis, quæ neceſſariis argumentis fit. Artificialis, quæ inſtrumentis aut teſtibus.

Præſumptio non eſt probatio, ſed vim probandi tantum habet, ſi præſumptio ſit fortis.

Nec confeſſio eſt probatio. Nam non ſequitur neceſſario; Confeſſus eſt, ergo verum eſt.

Ei porro incumbit probatio, qui dicit, ſive is actor, ſive reus *l.* 2. *ff. de prob.*

Actor ſi non probet, reum judex abſolvit, niſi ea ſit cauſæ qualitas, & eæ facti ſint circumſtantiæ, ut decidi rem juramento judex æquum exiſtimet.

Jusjurandum eſt divini nominis aſſumptio ad id quod agitur vel aſſeritur confirmandum.

Species ejus ſunt tres: voluntarium, neceſſarium, & judiciale. Voluntarium eſt quod præſtatur ex mutuo conſenſu partium. Neceſſarium

quod

quod is cui delatum eſt refert. Judiciale, quod judex defert in cauſis dubiis, & cum inopia eſt probationum.

Juramentum præterea vel licitum eſt vel illicitum, vel ſimplex vel corporale.

Quod data manu fit, ſimplex eſt. Simplex etiam, quod quamvis proprie juramentum non ſit habetur tamen ac ſi eſſet.

Corporale quod tactis aris, quod ſacroſanctis Euangeliis, quod tactis fit reliquiis, aut capſis, in qua reliquiæ, aut quod duobus prioribus dextræ digitis erectis, *tit.* 6.

Quæ reliquiæ nihil refert modo tantum Sanctorum. Undique hæ conquiſitæ tutela hominum pecorumque. Et nequis iis deſtitutus furto etiam ablatæ. Et id pium olim furtum. Secta Sanctorum corpora, excuſſi dentes, abſciſſi ungues, dempti crines, aureſque. Et hæ etiam reliquiæ. Vid. Vit. S. Benedicti Abbatis Tironenſis *cap.* 62. Gregor. Turonenſ. *de vit. Patr. cap.* 6. *& ſeqq.* Quas quocunque tandem modo ut quis conſequi tantum poſſet cum mortuis miſere interdum actum. Andr. Sylvius Marcianenſis *lib.* 2. *Chron. cap.* 8. de S. Amando, *Cujus corpore*, inquit, *adhuc integro invento, cum ejus capilli & ungues, qui excreviſſe videbantur, illi praciderentur, & de ore ejus dentes adhibita forcipe extraherentur, ſanguis inde profluxit.*

Qui violat juramentum punitur pœna perjurii. Pœna eſt vel delicti vel fractæ fidei coercitio.

Duplex eſt pœna, extraordinaria, & ordinaria, pecuniaria & corporalis. Corporalis rurſum du-

 plex;

plex, capitalis & non capitalis. Capitalis, quæ mortem infert aut civilem aut naturalem. Non capitalis, quæ neutram.

Etiam judex eccleſiaſticus ad pœnam aliquam canonicam reum recte condemnat.

Vulgo etiam ad capitalem, quamvis id contra canones.

Verum iis ut ſatisfiat remittit reum condemnatum ad brachium ſeculare.

Cenſura etiam pœna eſt. Cenſuræ ſpecies non una. Sed potiſſimum tamen triplex, excommunicatio, interdictum, ſuſpenſio.

Excommnnicatio eſt, qua fidelium communione fidelis ejicitur.

Et vel major vel minor eſt. Minor privat tantum ſacramentis. Major omni communione ſubmotum diris devovet teum. De minori Philoſtorgius *lib.* 3. *hiſt. cap.* 14. *Ait etſi Arriani ſententiis differrent ab his, qui* ὁμοούσιον *prædicabant, attamen & precibus, & hymnis, & conſultationibus,* καὶ τῶν ἄλλων σχεδὸν ἁπάντων, πλὴν τῆς μυστικῆς θυσίας, *aliiſque ferme omnibus, præterquam myſtico ſacrificio, cum his communicaſſe.*

Major idem quod anathema. Major fit ab epiſcopo ſolenni quodam ritu, accenſis facibus, & extinctis, & in terram projectis.

Indigni habiti communione, quos fulmen hoc tetigiſſet.

Qui cum iis habebat rem, qui adibat, compellabat, juvabat cibo, vel potu, & ipſe excommunicatus, *tit.* 8.

Interdictum cenſura eſt, qua ſacris interdicitur certis

certis locis, provinciis, certo generi perſonarum.

Excommunicatio tantum ſontes feriebat. Sontes & inſontes indiſtincte interdictum, *tit.* 9.

Suſpenſio eſt cenſura, qua functione eccleſiaſtica interdicitur vel ad tempus, vel certo tempore non expreſſo donec reus reſipiſcat. Et vel pro parte interdicitur vel interdicitur in totum.

Depoſitio eſt cenſura, qua quis munere eccleſiaſtico, qua quis ordine & officio in totum & in perpetuum privatur & abdicatur.

Quod factum ſemper ſolenni ritu, *tit.* 10.

Quod ſi reus ſuſpectus ſit, nec contra eum adducatur tamen probatio ſatis fortis, ut ſe purget, admitti poteſt.

Purgatio autem duplex, canonica & vulgaris.

Canonica, quam probant canones, & quæ præſtito juramento fit. Vulgaris, quæ per prunas ardentes fit, per ferrum calidum aut ignitum, per duellum, per aquam.

Vulgaris quamvis vetita, paſſim tamen uſitata non laicis tantum, ſed & clericis. Loquens de controverſia, quæ Majori monaſterio cum quibuſdam in Gallia erat, vetus quædam Notitia apud Mabillon. *ſecul.* IV. *Sanctor. ord. S. Bened. p.* 765. *Tandem &c. poſt cauſæ ſuæ recitationem cartam monachi de libertate fœminæ protulerunt. Et quoniam neque lex, neque conſuetudo erat eis belli faciendi, hominem quendam ſuum tradiderunt, qui calidi ferri judicio cartam probaret eſſe veridicam.*

Nec ſemper facta hæc ubique. Certa interdum

loca expreſſe ad id deſtinata, ut de villa S. Nantulfi in veteri Notitia eſt apud Mabillonium *ſecul.* IV. *Sanctor. ord. S. Benedict. quod prædicta non ſolum ipſa ab omni prorſus exactione liberrima huc uſque perſeveraverit, verum etiam in tantum hujuſmodi privilegio omnes ceteras antecellit, ut de proximis circumquaque villis ad judicium calidi ferri portandum, & ad bellum campionum clypeo & baculo faciendum ex antiquitate ſemper illic accuſatores & accuſati conveniant, totaque cauſa ad ipſius villæ domini deferatur audientiam. tit.* XI.

Abſolutio eſt remiſſio aut relaxatio cenſuræ data aut conceſſa juxta formam eccleſiæ,

Abſolutio eſt pœnitentium, quos abſolvendi jus habet, qui cenſuræ illigavit.

Si delictum commune, etiam Princeps abſolvit. Si cædes, ſi parricidium, clerus ſolvit cenſura, pœna Princeps corporali.

Cædes leve olim crimen, & cujus pœna apud Barbaros pecuniaria tantum paſſim.

Etiam parricidium. Etiam cædes facta ex inſidiis, *cap.* 17.

Abſolutio autem data & vivis & mortuis.

Nam & mortui puniti. Etiam excommunicati.

Denegata ipſis ſepultura. Et ſiqui jam ſepulti, effoſſi, ejecti.

Sepultura olim in cryptis. Mox in cœmeteriis. Et tandem etiam in templis.

In quavis etiam eorum parte. Sed dignior quæ in choro. Dignior etiam quæ proximior Sanctorum reliquiis.

Monachorum ſepultura in eccleſia conventuali,

Cano-

Canonicorum in collegiata. In parochiali laicorum, qui erant intra parochiam.

In reliquis nulli locus, niſi meritis, beneficiis, prece, aut pretio impetraſſet, aut niſi lex fundationis expreſſe id dictaſſet. Pachalis Papæ diploma, quo jus Andrenſis eccleſiæ confirmatur circa Ann. 1110. apud Andr. Sylvium *lib.* 3. *Chronic. Sepulturam vero ejuſdem loci omnino liberam eſſe ſanciens, ut tam ſupradictorum Comitum progenies, quam Barones omnes, qui Pares Caſtelli vocantur, juxta votum ſuum & deliberationem ſuam ibidem ſepeliantur. Cæterorum quoque, qui ibi ſepeliri deſideraverint devotioni, & extremæ voluntati ſuæ, nullus obſiſtat.*

Veſtis etiam monachalis, quem angelicum vocabant habitum, ad ſepulturam quæſita, & ac ſi veſtis, quam non habet ſanctitatem conferret, certatim donis à moribundis & magno ambitu expetita.

A ſummis etiam Principibus. Prælati ipſi & Sacerdotes ſepulti ſacro cum apparatu. Archiepiſcopi cum palliis *cap.* 2. *ext. de uſ. & auct. pall.* Reliqui cum dalmaticis, cum planetis, cum togis. Veteres conſuetudines monaſterii Floriacenſis *cap.* 2. *Abbas mortuus poſt lavationem omnibus ſacerdotalibus veſtimentis induitur & virga paſtoralis in ejus dextro brachio ponitur.* Anaſtaſ. Biblioth. *de vit. Pontific. in Eutychian. Conſtituit, ut quicunque fidelium martyrem ſepeliret, ſine dalmatica, aut colobio purpurato, nulla ratione ſepeliret.* Vita S. Benedicti Abbatis Tironenſis *cap.* 62. *Exinde Paſtor extinctus indumentis ſacris, prout ipſius exigebat ex-*

cellentia, accurate exornatus, atque bacapulo decentiſſime palliato ſuperpoſitus &c. in eccleſiam eſt tranſlatus. Vid. Souchet. *ibid.* & Greg. Turonenſ. *de vit. Patr. cap. 6. & ſeqq.* Nec recens tamen mos hic, ſed Romanis jam uſitatus, Græcis, aliiſque. Livius *lib.* 34. *hiſt. cap.* 7. *Purpura viri utemur: prætextati in magiſtratibus, in ſacerdotiis &c. nec id ut vivi ſolum habeant tantum inſigne, ſed etiam ut cum eo crementur mortui.* Juvenal. *Sat.* 3.

Pars magna Italiæ eſt, ſi verum admittimus, in qua
Nemo togam ſumit niſi mortuus.

Gallis & Germanis quicquid olim carum cum iis ſimul ſepultum. Tacit. *de morib. Germ. Sua cuique arma: quorundam igni & equus adjicitur.* Cæſar *lib. 6. de bell. Gall. Omnia, quæ vivis cordi fuiſſe arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia.* Filiarum Stiliconis Mariæ & Thermantiæ, quæ Honorii erant ſponſæ, ſuperiori adhuc ævo Romæ effoſſa corpora, palliis aureis involuta. Utrique aureum diadema. Margaritæ adjacebant LIII. annuli aurei plures centum. Redactæ ex veſtimentis auri libræ LXXX. ut ſcribit Bullingerus apud Goldaſtum *epiſt. philolog.* 55. Nihil autem ſplendidius Caroli Magni ſepultura, de qua ita Andr. Sylvius Archi-Prior Marcianenſis, qui vixit ſeculo XII. *lib.* 2. *Chron. Corpus Imperatoris defuncti veſtibus imperialibus, & feſtivis induentes, auream coronam capiti impoſuerunt. Deinde ſuper auream cathedram quaſi vivum & judicem ſedere fecerunt; & ſuper genua ejus textum quatuor Euangeliſtarum aureis literis ſcriptum collocaverunt. In dextra malum, ſiniſtra vero ſceptrum aureum tenebat,*

bat. Catenulam etiam auream diademati conjungentes, & cathedræ aureæ, ſuper quam ſedebat, ne caput defuncti decideret, affigentes &c. ſcutum quoque aureum ante faciem ejus ſtatuentes &c. Addit vitæ ipſius Auctor enſe aureo accinctum, adjecta etiam pera aurea, qua Romam ſolitus ſe conferre. Vid. apud Pithæum:

Poſtquam uſtio paulatim deſiit, & condi rurſum cœperunt corpora, decenti quiſque veſtitu, Reges autem regio in ſuum locum illati. Superſtitio cum invaſiſſet, & loca ad id delecta, quæ iis quam proxima, qui cenſi olim ſanctitate, & veſtitu monachali, cui virtus adſcripta, quæ ipſi inerat baptiſmo, ad peccata eluenda nihil creditum fortius. Dixi nuper ad epiſtolam Andr. Alciati *p.63. & ſeq.* Ipſa etiam Chriſtina regina Sueciæ eo uſa, Franciſcano nimirum, & fune ex ordinis inſtituto inſigni gemmis & margaritis.

Cæterum fundatori ex ſingulari privilegio honoratior ſemper locus, *tit.* 13.

Privilegium nihil aliud, quam lex lata de ſingulis, qua irrogatur vel pœna, vel datur beneficium.

Privilegium eſt duplex, reale aut perſonale.

Perſonale eſt non tantum, quod huic aut illi in ſpecie eſt conceſſum, verum etiam quod certo ordini, certo generi perſonarum.

Reale eſt, ſeu locale, quod rei ipſi cohæret, quod huic aut illi loco, civitati, provinciæ *tit.* 14.

Ut vim habeat, ut valeat, neceſſe eſt, ut ſubſcriptum & ſigillis munitum ſit. Neceſſe etiam, ut ſubſcriptio habeat diem & Conſulem, *l.* 1. *C. Th.*

Th. de conſtit. l. 1. *C. Th. de reſcript. l.* 4. *C. de div. reſcript.* Ut *datum* habeat ſeu *datam*, *cap. eam te ext. de reſcript.* Datum tempus eſt, quo lex aut conſtitutio quæque prodiit, *d. cap.* Quod quo facilius hinc falſum poſſit detegi & evitari, adjici jam olim placuit, ut teſtis eſt Gloſſa ad *can. dicent* 25. *qu.* 2. Nec tamen uſquequaque id conſtanter admodum obſervatum, ut fidem faciunt Acta collationis Carthaginenſis. Nam cum ſuper reſcripto quodam Conſtantini Imp. controverſia moveretur Marcellinus Tribunus & Notarius, qui aderat, *Imperiale reſcriptum*, inquit, *cui deſit Conſul & dies, in dubium revocari non poſſe.* Quod Auguſtinus in Breviario collationis die tertio ſic refert, *Cognitor interlocutus eſt evidentiſſimis legibus definitum eſſe; Imperialia conſtituta, etiamſi Coſſ. non legerentur, in dubium non vocari.* Nec aliud placuit Juſtiniano; valere voluit reſcripta, quæ in Codicem ſuum retulit, etſi tempus non adjectum, *l. un.* §. 3. *C. de nov. Cod. fac.* Sed id nihil ad inſtrumenta. Nihil ad privilegia. Nihil etiam ad ea quæ eſſet poſtea editurus, *l.* 2. *l.* 4. *C. de div. reſcript. auth. quod ſi ſine C. de teſtam. nov.* 107. *cap.* 1. Fr. Florens *diſſ. tr.* 3. *de reſcript.* Unde & Francis diſplicuit omitti diem & Conſulem. Diſplicuit Longobardis, Alemannis, aliiſque. Lotharii Imperatoris Capitula apud Baluz. *to.* 2. *tit.* 5. §. 44. *Auditu comperimus in finibus Tuſciæ talia ſcripta eſſe prolata, quæ ſunt abſque menſe, & die menſis, de quibus volumus, ut ſi deinceps prolata fuerint nullum habeant vigorem.* Nec ſemper tamen, ut jam fit, annum notabant Domini, qui

aut

aut Cæſaris, aut Papæ, aut alterius cujuſvis Principis, indicaſſe contenti. Collectio nova formularum apud Baluzium XLIV. *Ego itaque Iſo immerens monachus rogatus ſcripſi & ſubſcripſi. Notavi diem Dominicum* IV. *Kal. Jun. anno* XIII. *regni Lodoici, ſub Odalrico Comite.* XLVI. *Ego itaque ille ſcripſi & ſubſcripſi. Notavi diem illum, illa data, anno illo illius Imperatoris, ſub illo Comite.* XLVII. *Notavi diem illum, in illa data, anno illo illius Imperatoris, ſub illo Comite.* In terris imperii nomen Cæſaris adſcribebant, ut & annum imperii ejus. Alibi Regis tantum, aut Principis, aut ſummi Pontificis. Quod ſi mortuus Imperator, & mentio mortis interdum facta, ut in charta Ann. 1204. quæ in Bibliotheca Sebuſiana eſt *cent.* I. *cap.* 89. *Anno Domini noſtri Jeſu Chriſti ab incarnatione ejuſdem* CIↃ. CC. IV. *tempore Innocentii Papæ Romanorum, Imperatore non exiſtente, die* XII. *intrante menſe Auguſti.* Charta apud Baluzium in Appendice ad Capitularia *cap.* 138. *Facta ſcriptura donationis ſub die* IV. *Idus Aprilis anno* II. *quod obiit Karolus filius Ludovici Regis, Chriſto regnante & Regem expectante.* Alia apud eundem: *Facta hæc carta confirmationis Kalendas Martias anno* II. *quo mortuus eſt Karolus Imperator, regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, nobis autem expectante Regem ab ipſo largitore.* Alia item, in qua hæc ſunt: *Facta iſta ſcriptura vindicio* IV. *Idus Decembris anno* II. *quod obiit Radulfus Rex, Chriſto regnante, Regem expectante.* In vetuſtis & ut patet in tribus his ultimis nulla mentio annorum Chriſti. Et nihil verius, ut videtur, quam quod

Nic.

Nic. Vignierius ſcribit in Chron. Burgund. *ad Ann.* 885. item quod Aventinus *lib.* 4. *annal. fol.* 461. ex Germanicis primum omnium Carolum Craſſum Imperatorem annos Chriſti addidiſſe, ejuſque exemplum paulatim dein reliquos ſecutos, deceſſores autem ſubjeciſſe tantum diem, indictionem, & annum imperii. Quod paſſim etiam à Papis factum, ut exempla ſunt infinita. Ita verbi gratia. *Datum Kalendis Maji, indictione* II. *anno* XI. *regni Domini Dagoberti. Actum Pariſius civitate feliciter, Amen*; apud Miræum *notit. eccleſ. Belg.* I. *cap.* 4. Item: *Facta eſt donatio* VIII. *Idus Septembris anno* XI. *regni Domini noſtri Clodovei Regis, Actum Aſcio villa Dominica publice coram ſtrenuis viris, quorum nomina cum ſubſcriptionibus vel ſignaculis ſubter tenentur inſerta &c.* apud eund. *ibid. cap.* 5. Similiter: *Datum Laterani per manum Joannis ſanctæ eccleſiæ Romanæ diaconi* V. *Idus:.... Indictione* XIII. *anno Pontificatus domini Paſchalis* II. *Papæ* VI. apud eund. *ibid. cap.* 123. Item: *Acta Maguntiæ* III. *Nonas Septembris, per manus Petri diaconi, Bibliothecarii & Cancellarii ſanctæ Apoſtolicæ ſedis, anno domini Leonis* IX. *Papæ* I. *Indictione* III. apud eund. *ibid. cap.* 127. Unde & modum inveſtigandi, utrum falſum ſit inſtrumentum, etiam hunc nonnulli tradunt, ſi indictio non congruat. Jo. Andr. *ad cap. inter dilectos ext. de fid. inſtrum. verb. indictionis.* Gryphiand. *de Weichbild, Saxon. cap.* 33. Inveniri tamen non nego, quæ & ante Carolum Craſſum annos Chriſti ſubſcriptos habent, verum pauca, diplomata, & quæ etiam ob hoc ipſum,

ut

ut parum probatæ fidei in falſi incidunt ſuſpicionem, ut & optime inter ceteros obſervavit Conringius *cenſ. diplom. Ludovic. cap.* 17.

Hodie nemo de eo dubitat, quin ne nullum ſit inſtrumentum, apponi debeat neceſſario annus & dies. Annus ſcilicet Servatoris noſtri, & in terris Imperii Cæſaris etiam ſeu Auguſti. Jac. Spigelius in Lexic. *verb. Imperator: Conſtitutio Divi Caſaris Maximiliani, qua anno a nato Servatore* 1512. *promulgata eſt apud Agrippinenſem Coloniam, & meo judicio politiore ſtylo digna fuiſſet, & proximum locum in Novellis a conſtitutione de Tabellionibus meretur, diſerte pracipit, ne, ut hactenus neglectum eſt, in locis ſacri Imperii nomen & annum Auguſti aut Caſaris in conſcribendis inſtrumentis omittant.* Add. *t'Placaet van de Staten van Utrecht nopende de qualificatie der Notariſen Ann.* 1606. 12. *Januar. art.* 8. Bugnyon. 6. *leg. abr. cap.* 5. Utrum autem falſum inſtrumentum nec ne ex ſcriptura etiam cognoſci poteſt, ſi ab eo negetur vel ſcripta vel ſubſcripta, ad quem id ipſum ſpectabat. Unde & quis ſcripſiſſet vulgo additum in inſtrumentis, ut apud Miræum *notit. eccleſ. Belg.* 1. *cap.* 48. *ego Oddo Levita, ad vicem Cancellarii, ſcripſi & ſubſcripſi.* Apud eundem *ibid. cap.* 4. *Gerardus Notarius, ad vicem Dadonis Cancellarii, recognovi.* Et notabilis relatio eſt ad Innocentium II. Papam pro monaſterio Rotenſi adverſus Vindocinenſe apud Baluzium 2. *miſcell.* ubi *n.* x1. quod omitti non debet: *Quod autem dicunt Andegavenſem epiſcopum feciſſe chartam eis in teſtimonium judicii & inveſtitura, magis videtur eis*

office-

officere, quam proficere, quia non fuit compoſita per eum, qui ante erat magiſter ſcholarum, cum in Andegavenſi eccleſia nulla charta de rebus ad Andegavenſem pertinentibus ſoleat recipi, niſi à magiſtro ſcholarum dictata & laudata fuerit. Addimus, quod charta illa non continet priores noſtræ eccleſiæ, quibus quæcunque charta caret, non tantum perdit auctoritatem, ſed etiam meretur calumniam.

Si Principis olim charta, vitium ejus ex atramento etiam potuit cognoſci. Uſus enim Imperator atramento purpureo, quod *encauſtum* vocat *l. ult. C. de div. reſcript. l. 9. C. de agric. & cenſ.* confectum ex cocti ardore muricis & triti conchylii, triti ſcilicet in pulverem, & ſanguini piſcis mixti, ut verba *d. l. ult.* interpretatur Pancirol. 1. *rer. memorab. tit. 2. Quæ & unica*, inquit, *in toto hoc univerſo eſt, quæ & confectionem encauſti doceat, & nomen etiam eidem imponat.* Coloris rubri hinc literæ, quarum mentio tam frequens. Emanuel Angelus apud Græcos cum imperium invaſiſſet. ἐρυθροῖς γράμμασι τὰς αὐτοῦ γραφὰς ἐπεκύρου. Michael Palæologus cum dixiſſet Imperatorem filium Andronicum, permiſit ut edictis rubris literis ſubſcriberet, δι' ἐρυθρῶν ὑπογράφειν γραμμάτων προςτάγματα. Niceph. Gregor. *lib. 4. hiſt. in fin.* Menſem autem & indictionem ut adderet non permiſit, *ibid.* Georg. Pachymer. *lib. 4. hiſt. cap. 24.* Anna Comnena *lib. 2. hiſt.* διὰ χρυσοβούλλου λόγου ταῦτα γίνεσθαι δι' ἐρυθρῶν βεβαιωθέντος γραμμάτων ἠτοῦντο. *Inſtiterunt ut diplomate purpureis literis ſcripto & bulla aurea munito illa ipſis confirmarentur.* Ubi bulla, ut patet, non eſt

ipſum

ipſum diploma, ſed ſigillum ex auro, quod ei aut annexum, aut ab ipſo dependens. Alibi per ſynecdochen etiam ipſum diploma eſt. Nec mirum. Etiam ſigillum interdum idem ſignificat. Princeps Capuæ Landulfus apud Angelum de Nuce ad Chronic. Caſinenſ. *lib. 2. cap. 2. Cum plumbea bulla noſtra iſtum præſentem ſigillavimus ſigillum noſtrum, & conceſſimus prædicto Abbati.* Ex Regiſtro Caſinenſi *ibid. Ut faceremus ei robuſtiorem ſigillum.* Petrus Siculus *hiſt. p.* 50. καὶ λαβὼν γράμματα τοῦ βασιλέως σιγίλλιον, *acceptis literis à Principe.* Conſtitutio Iſaaci Comneni: καθὼς καὶ ἐν τοῖς σιγιλλίοις τῶν παλαιῶν περικλητικῶν ἀναγράφονται. Ciron. *ad c. dilecta ext. de exceſſ. Prælat.* Plerumque autem ſigillum eſt. Willelm. Tyrius *lib. 20. cap. 26. Pactis hinc inde ad placitam utrimque conſonantiam redactis & ſcripto traditis utriuſque bulla ſignato.* Maſſe Marchiſia & Judiciſſa Calaritana apud Cironium in Notarum Appendic. ad 5. *Compil. juxta formam ab Apoſtolica ſede mihi expreſſam juramentum exhibui una cum viro meo fidelitatis debitæ, cujus formam & feriem Bulla regni noſtri bullatam &c.* Unde autem Bulla, ſiquis quærat dicendum, haud dubie a tumore. Unde & illud, *homo bulla.* Ant. Auguſtin. 2. *de emend. Gratian.* 1. *in fin. &* 2. *pr.* Imaginem enim habebat Principis dependentem aut nudam, aut thecæ incluſam ſeu tympano, ut paſſim videre eſt. Guilielmus Siciliæ Rex apud Robert. de Monte ad Ann. 1176. *Privilegium per manus Alexandri notarii noſtri ſcribi & bulla aurea tympano impreſſa roboratum noſtro ſigillo juſſimus decorari.* Aurea, *inquit*, bulla.

Aureæ

Aureæ erant magnorum Principum, ſi res magni momenti. Cereæ alioquin, plumbeæ, argenteæ &c. ut ad Annales Egmundanos dixi *cap.* 6. Liutprand. *legat. ad Niceph. Phocam p.* 155. χρυσοβέλλιον, *id eſt, epiſtolam auro ſcriptam & ſignatam mihi dederunt &c. Tulerunt & alias literas argento ſignatas &c.* Aureæ Ultrajecti in Archivis majoris templi olim quatuor aſſervatæ Henrici III. Conradi II. Henrici VI. & Friderici II. Hodie una adhuc ſupereſt Friderici II. Reliqua primum Goudam Caroli V. juſſu ob magnitudinem & ob auri ſpiſſitudinem in urbis arcem tranſlata, & rurſum deinde juſſu Ordinum Gouda Hagam Comitis in diplomatum Chartularium.

Nec ubique tamen Bullæ. Multi iis non uſi, crucem nomini aut præpoſuiſſe aut poſtpoſuiſſe contenti. Ingulfus Abbus: *Ante Normannorum adventum in Anglia chirographa firma erant cum crucibus aureis abſque ſignaculis, ſed Normanni cum cerea impreſſione per uniuſcujuſque ſpeciale ſigillum ſub inſtallatione trium vel quatuor teſtium conficere chirographa inſtituerunt.* Viſa autem ſigilla paulatim prorſus neceſſaria, quod ex his etiam deprehendi poſſit, cujuſmodi privilegium, & an genuinum nec ne. Etiam ex imagine quæ ſigillo impreſſa eſt, ut dixi jam ſupra *tit.* 14. Et quia tantum paulatim in ſigillis momenti, nec validum inſtrumentum, quod iis deſtitutum, paſſim deinceps etiam cœpit inter Notitiam & inſtrumentum diſtingui. Notitia nihil aliud, quam rei geſtæ narratio, adjectis, qui interfuerunt, etiam teſtium nominibus. Privatim hæc fiebat, & privata

vata auctoritate, & fiebat, quod vel res ſine ſcripto olim geſta, vel adhibito quidem ſcripto, ſed deſtituto ſigillis teſtium, aut non quidem deſtituto, ſed incendio, ruina, aut quovis caſu deperdito. Nam & de eo ſatis conſtat, quod non ſemper, quoties actum quid, redactum ſtatim in ſcripturam. Sæpe & teſtes ſufficiebant, qui quo diutius meminiſſent, per aurem tracti, ut jam dixi *lib. de probat. cap.* 5. Et tracti non tantum puberes, verum etiam impoberes. Lex Bajoariorum *tit.* 15. §. 2. *Siquis vendiderit poſſeſſionem ſuam alicui &c. poſt acceptum pretium, aut per chartam, aut per teſtes, firma comprobatur emptio. Ille teſtis per aurem debet eſſe tractus, quia ſic habet lex veſtra.* Lex Ripuariorum *tit.* 60. *pr. Siquis villam, aut vineam, aut quamlibet poſſeſſiunculam ab alio comparaverit, & teſtamentum accipere non potuerit; ſi mediocris res eſt, cum* VI. *teſtibus, & ſi parva cum* III. *quod ſi magna cum* XII. *ad locum traditionis cum totidem numero pueris accedat; & ſic eis præſentibus pretium tradat, & poſſeſſionem accipiat, & unicuique de parvulis alapas donet, & torqueat auriculas, ut ei poſtmodum teſtimonium præbeant.* Unde & teſtes dicuntur *Oerconden. Coſtuymen van Ypre tit.* 9. §. 1. *van Ooſtende tit.* 1. §. 4. *Ick Oorconde*, id eſt, *teſtor*, in charta, *Ann.* 1570. 4. *Octobr.* Comitis Hollandiæ Wilhelmi V. diploma quod Delfenſibus conceſſum Ann. 1346. *art.* 8. *Als een poorter of een uytbeems man hem onſculdich ſal maken van eniger ſaken mit eenre hant, ende ſijn ſelfs hant, ſo ſal hy hem te hans in rechte onſculdich maken, maer is*

dat ſake dat hy hem by oerconde onſculdich ſal maken, &c. & art. ſeq. Een ſimpel poorter die oerconde ſal dragen, die is ſchuldich daer toe te ſweren &c. Sæpe etiam in argumentum, & quo deinceps eſſet fortior rei geſtæ memoria, datum quid hoc aut illud, ut in Chronico Beſvenſi apud d'Achery *to.* 1. *Spicil. Et ut hac ſcriptio firma maneret in præſenti dederunt in recordatione huic Conventui, vir duos aſinos, & ejuſdem viri uxor* IV. *ſolidos ad reſtaurandam cellariam.* Sic quod oppidum de Coeverden ut ſuum ſe dedidiſſet epiſcopo Trajectenſi, notabile eſt, quod legi in Actis publicis Ultrajecti: *In teſtimonium declarationis Reinaldi de Coeverden, quod oppidum Coeverden ſpectaret ad epiſcopum. Epiſcopus Fredericus adſtans propinavit, & dedit communitati duodecim amas cereviſiæ, ut bene biberent, & præmiſſa memoriæ traderent. Unde & plebeji omnes læto vultu voceque jucunda reſpondendo clamarunt: Valeat generoſus dominus noſter Trajectenſis, mandatiſque ſuis parebimus, & in noſtrum Dominum egregie bibemus.* Notitia hæc & nihil aliud. Et plura habes exempla, ſi exemplis adhuc opus, apud Mabillonium in *Append. ad ſecul.* IV. *SS. ord. S. Bened.* & in Chronico jam dicto apud d'Achery *to.* 5. *Spicil.* Contra inſtrumentum ſolenni fiebat modo, & teſtium ſubſcriptione & ſigillis adhibitis. Qui ſigillis deſtituti, alterius ſigillo uſi, & quod uſi diſerte etiam in inſtrumento expreſſum: Charta Ann. 1252. *Ego Walterus quia proprium ſigillum non habeo utor ſigillo Giſelberti fratris mei, & ſigillis antedictis.* * Locum addam ſingularem ex epiſtola Willelmi

* Charta Ann. 1306. *In cujus rei teſtimonium præſentem literam tradidi dicto Capitulo ſigillo Dn. Johannis Inveſtiti eccleſiæ noſtræ de Zydwendervelde &c. quod præſentibus apponi rogavi, quia proprio ſigillo careo, communitam.*

Abba-

Abbatis Andernenſis, quæ ſimiliter Notitia eſt, apud Andr. Sylvium Priorem Marcianenſem *lib.* 3. *Chronic.* ad Ann. 1141. de fundatione monaſterii & donationibus ei factis: *Comes quoque Balduinus*, inquit, *ſuper aiſiamento in palude de Hottingham à nobis & noſtris ſucceſſoribus in perpetuum habendo, ſuper terris, ſylvis &c. ſuper quibuſdam eleëmoſynis in terra Boloniæ & de Merch ſimiliter collatis, pro eo quod allodia fuerunt, & eorum datores ſigilla non habuerunt &c. confirmari fecit. Alia quoque bona ad uſus monachorum ſuorum idem Dominus Gilebertus Abbas viriliter acquiſivit, & quædam acquiſita cambivit, & pro eo quod bonorum datores, ſive cambitores, tunc temporis ſigilla non habebant (non enim niſi terreni Principes ſigilla habere conſueverunt) acquiſita vel cambita ſcripto demandari curavit &c. Nullum autem ſcandalizet*, ejuſdem verba Wilhelmi ſunt, *ſi nos ejus qualeſcunquè ſucceſſores, & eccleſiæ Andrenſis fratres, velimus ejus ſcripta robur firmitatis habere, cum uſque hodie oculata fide videamus, & pro certo ſciamus per totam Italiam ſcripta Tabellionum, ſive laicorum, & ſigilla non habentium, in omni Curia, ſive ſeculari, ſive eccleſiaſtica, per quaſdam ſolum figuras firmitatem obtinere.* Vixit hic Willelmus ſeculo XII. Nec-uſquequaque id tamen verum, quod perſonas eccleſiaſticas negat uſas ſigillis. Contrarium ſatis conſtat, nec difficulter probari poteſt. Charta eſt apud Miræum Ann. 1086. Gerardi II. Cameracenſis epiſcopi *notit. eccleſ. Belg.* 1. *cap.* 108. quæ in fine habet ita: *Ut autem hæc rata & firma manerent, ſigilli mei impreſſione ſignavi,*

vi , & ſubſignatorum tam clericorum quam laicorum teſtimonio corroborare exiſtimavi. Signum mei ipſius Gerardi. S. Guidonis Præpoſiti & Archid. S. Mazelini Archidiaconi. S. Gerardi Archid. S. Alardi Archid. S. Guidrici Archid. S. Ansfrid Archid. S. Hugonis Decani. S. Guerinbaldi Scholaſtici. S. Guidonis Cantoris. S. Anſelmi de Ribodimonte. S. Joannis caſati. S. Odardi. S. Fulconis Vicedomini. Ibidem charta eſt Godeſcalci Nivellenſis Præpoſiti, qua confirmat quædam, quæ monaſterii S. Petri Gandenſis erant, circa Ann. 1073. ubi ſigna ſequentia: *Signum ipſius Abbatiſſæ Rikeſæ, S. Godeſcalci Præpoſiti, qui hæc decreta conſtituit, & in charta conſcribi fecit. S. Mathildis Præpoſitæ. S. Ruzelæ Decanæ. S. Gelæ Scholaſticæ. S. Ruzelæ Capellanæ. S. Hazechæ. S. Fredeſwindis. S. Rikeſæ. S. Griningardis. S. Remelini. S. Harfridi. S. Joannis &c.* Canonici Antverpienſes apud eund. *ibid. cap.* 135. in charta Ann. 1124. *Ut autem hæc rata & inconvulſa permaneant, ſigilli noſtri impreſſione, & teſtium ſubſcriptione, qui interfuerunt, & hoc donum dederunt, annotari curavimus. Ego Hildolphus Præpoſitus S. Mariæ, Anſelmus Canonicus, Bernardus Canonicus, Raduardus Canonicus, Otto Canonicus, Raduardus ſcriptor, Rogerius Canonicus, Hildevuinus parochianus.* Sic quod placet rurſum diſplicet. Nec eadem omnibus ſemper mens.

Porro amittitur privilegium, ſiquis eo aut abutatur, aut utatur aliter quam par eſt in alterius præjudicium.

Genus quoddam privilegii diſpenſatio etiam eſt.

Nec

Nec aliud diſpenſatio, quam quæ ſuadente utilitate fit, aut ſi ſic cogat neceſſitas, juris provida relaxatio.

Diſpenſat ſolus Papa. Olim etiam epiſcopi. Sed jam vix aliter quam in caſibus nominatim expreſſis *tit.* 15.

Papa autem ſi diſpenſet in alterius præjudicium, poteſt à Papa appellari Concilium.

Appellatio gradatim fit. Appellatur ſuperior. Superior omiſſis mediis appellari non poteſt.

Et poteſt tamen Papa. Ab epiſcopis Archiepiſcopus regulariter appellatur. Sed omiſſo eo etiam Papa. A Papa autem Concilium, quod eo multum ſuperius.

Nec id jus indicendi habet Papa ſed Princeps.

Appellatio poſtquam facta eſt, ſententiæ vis nulla eſt. Impeditur executio. Et manent omnia in ſuo ſtatu.

Et fruſtra interdum appellatur, ut quid ſi appellationi renuntiatum expreſſe? Quid ſi fruſtrationis cauſa & periculum in mora?

Et interdum nec neceſſe eſt, ut ulla fiat appellatio, ut quid ſi nulla ſit ſententia, ſi in conſtitutiones & in leges impingat? *tit.* 16.

Officium judicis eſt ea facere, quæ judici ut judici facienda incumbunt.

Judex juris diſceptator eſt. Et eſt vel ſecularis vel eccleſiaſticus judex.

Eccleſiaſticus rurſum aut ordinarius aut delegatus. Ordinarius, qui diœceſi aut territorio præeſt ſuo jure.

Delegatus, qui extra ordinem ad litem datus eſt decidendam.

Utriuſque hoc officium, ut non aliter judicet, quam legibus, conſtitutionibus, aut moribus proditum.

Ne aut non vocatum in jus, aut non auditum condemnet. Si non ſiſtat ſe contumax, neceſſe eſt, ut eum citet.

Citatio ut ſit juſta, neceſſe, ut fiat ad rei domum, aut vicinis, ſi abſit.

Ut fiat per viatorem, Ut de die fiat, non de nocte. Ut faſto die in diem faſtum.

Ut contineat nomen judicis, nomen & cognomen actoris & rei, cauſam ob quam fit, locum & tempus.

Officium quidem judicis, ne abſentem condemnet, ſed ſi abſens & contumax, ſi cauſa abſentiæ non poteſt reddi, ſi injuſta & illegitima, quin condemnetur nihil obſtat.

Contumax autem is, qui citatus non ſiſtit ſe.

Et is tamen ſi veniat, & contumaciam ſuam purget, ſi ſupplex petat ſe reſtitui, reſtituendus nihilominus, ſed quod ad cauſam principalem, non quantum ad contumaciam.

Curet etiam judex, ut ſi de cauſa non ſatis liqueat, nec abſolvat reum, nec condemnet, ſed cauſam ampliet, differat, non liquere pronuntiet.

Curet ut accurate diſcuſſa re univerſa, ſtrangulatis affectibus, & Deum habens ante oculos tandem ferat ſententiam.

Ferat lingua uſitata, & libello conformem, nec ſententiam, quam ſemel tulit dein mutet aut corrigat.

Loco

Loco ſolito eam ferat, conſtituto & deſtinato pronunciandis ſententiis.

De die ferat, non de nocte, & ferat certam ſententiam.

Abſentem non condemnet, niſi abſens ſit per contumaciam.

In expenſas cum condemnat, modum ſervet ix condemnando, nec iu eas condemnet fiſcum.

Curet ut expenſæ declarentur in ſcriptis, & minutatim taxentur, Taxare eſt judicis qui condemnavit. Et ſi iniqua ſit taxatio appellatio habet locum.

Etiam illud neceſſe eſt, ut aut dictet ſententiam, aut manu ſua ſcribat, & ſcriptam deinde ex periculo, ex tabella, pronuntiet.

Aliter quam ex ſcripto pronuntiata non valet, ut nec aliter quam ſi fiat id, ubi ſalva dignitate, ſalvo majorum more honeſte id poteſt fieri. Non in diverſoriis, in popinis, in ganeis.

Curet deinde etiam judex, ne poteſtate abutatur, ne ſententiam executioni mandet extra territorium ſuum.

Per miniſtros exequatur, dato eis eo nomine ſpeciali mandato, ſed ſic ut victus tamen capiat quam minimum detrimenti.

Ut ſervet ordinem præſcriptum *l.* 15. §. 1. *ff. de re jud.* nec pro modico, quod debetur, capi jubeat rem, quæ ingentis eſt pretii.

Ut abſtineat, quamdiu poteſt, ab iis, quæ condemnato neceſſaria ſunt ad victum.

Ut in executorem animadvertat, ſi graſſetur, ſi plus capiat, quam oportet, ſi præter officium

 & mi-

& minus rite procedat, ſi pulſet condemnatum; ſi cædat, ſi verberet.

Puniat etiam condemnatum, ſi viatori vim faciat, ſi cædat, ſi obſiſtat.

De bonis condemnati jubeat confici inventarium, ut in uſum creditorum ſubhaſtatio dein fiat.

Ut in carcerem eum mittat, ſi dolo agat & fraudulenter, ſi celet bona, ſi ſupprimat.

Nec carcere eum prius liberet, quam quocunque tandem modo ſatisfecit creditori, aut bonorum ceſſione, aut quavis alia ratione.

Flagris cædere debitorem, aut ut ſolvat tormentis adigere eum nefas.

Prorſus id inhumanum. Et ſatis acriter eo nomine Conſtantinum perſtringit Zoſimus 2. *hiſt.*

Quale autem ſit debitum, ut carcer habeat locum, civile an criminale, parum puto ad rem facit. Sed ex cauſa delicti, etſi quis proponatur pecuniariter condemnatus, ceſſio locum non habet. Qui non habet in ære, debet luere in pelle, *l.* 1. *§. ult. ff. de pœn. l. ult. ff. de in jus voc. l.* 7. *§.* 4. *ff. de juriſd. Inſtructie van den Hove van Hollant art.* 224. Fridericus Barbaroſſa apud Guntherum *lib.* 8. *in fin.*

——— cujus fortuna laborans
Non potis eſt auro pœnales ſolvere noxas,
Arctatum vinclis, gravioraque verbera paſſum,
Sedibus à patriis hunc quinquageſimus annos
Amoveat per quinque lapis.

Anſelm. *ad edict. perp. art.* 7. *§. ult.* Mev. *ad jus Lubec. part.* 1. *tit.* 4. *art.* 1. *n.* 2. Debet *luere* inquam

quam *in pelle*, niſi pœna ſit non nimis magna, id eſt, uſque ad duos aureos. Facile enim hæc condonatur, *l. ult. C. de mod. mulctar.* Imbert. *ench. verb. Pœna pecuniaria.* Et deinde etiam poſito quod delicti quis condemnatus propter ſumptus tamen litis admitti ceſſio adhuc poteſt. Mere enim civilis eſt condemnatio in expenſas, ut Mornacius judicatum ait à Parlamento Pariſienſi VII. *Decembr. Ann.* 1576. Vid. *ad l.* 178. *ff. de reg. jur.*

F I N I S.

RERUM INDEX VERBORUMQUE.

A.

Abbates Commendatarii. 194.
Abſolutio quid. 327, 452.
cui data & à quo ibid.
& quemadmodum olim facta. 329.
Accuſatio quid. 447.
an per alium poſſit fieri. 448.
Acolyshi quinam. 96.
Acquiſitio immobilium an clericis interdicta. 239. & ſeq.
Actionis ſpecies & nomen an neceſſe adhuc ut edatur. 261, 267.
Aditus proceſſionis. 207, 209. & ſeq.
Adorare quid. 351.
Adſcriptitii pars agri, & quaſi quadam acceſſio. 28. & ſeq.
Adſcriptitii eccleſiæ. 438. & ſeq.
Ætas quæ legitima ad conſequendum beneficium. 196
Affines quinam. 155.
Affinitatis an gradus. 156. & ſeq.
Ἀγάπη. 138. & ſeq.
Agenda quid. 152.
Agere quinam poſſint. 266.
Altaris palla. 140.
Altarium quid. 187.
Altare quaſtuoſum. 233.
Amortiſatio quid. 239.
Anathemati quando locus. 306.

Anathema maranatha. 307. & ſeq.
Anathematis vis. 308.
Andreas Sylvius Archi-Prior Marcianenſis. 465.
Annatæ. 220.
Apoſtolici quinam. 47.
Appellatio quid 306.
& quis ejuſdem effectus. 367. 389. & ſeq.
quando fiat fruſtra. 368. & ſeq.
& quid ſi temere quis appellet. 389. & ſeq.
à quo & ad quem fiat. 367.
ab epiſcopis an ad Papam. 361. 366. & ſeq.
an à Papa ad Concilium. 364. & ſeq.
an ab interlocutoria. 369.
an facta ad epiſcopum à Scabinis in diœceſi. 361.
an ab arbitro etiam fiat. 445.
Aqua-liberos explorare. 323.
Ara portatilis. 152.
Archiepiſcopi, Primates, & Patriarchæ diſtincti. 53.
Archipresbyter quis. 91.
an Archidiacono ſuperior. ibid.
Archidiaconi officium. 94.
Archiſubdiaconus. 422.
Arma clericis vetita. 109.
Articulus Smalcaldicus. 199.
Aſcenſa. 327.
Atramentum purpureum. 460.
Attitulatus. 191.
Audientia quid. 262.
Aul. Gellius explicatur. 411.
Azymus panis. 146.
Azymita. ibid.

Bacile

B.

Bacile quid. 188.
Ballare quid. 108, 432.
Banna nuptialia. 157. & ſeq.
Bannus Chriſtianitatis. 304.
Bannus Dei. ibid.
Bannus epiſcopalis. 303.
Bannire judicium. 444.
Baptiſma cur φώτισμα. 133.
Baptiſmalis eccleſia. 124.
Baptiſterium quid. ibid.
Baptizatis mutatum nomen. 106. & ſeq.
mutata etiam veſtis. 132.
Baptizandi cui jus. 131.
quo ritu id olim factum. 129. & ſeq.
ubi & quando. 130.
& an mortui etiam baptizati. 131.
Baptizatis quæ olim data. 135.
Baptiſmo multa addita. 426
Batinum quid. 188.
Benedictio. 139.
Benedictio nuptialis an vitiet nuptias ſi deſit. 158.
Beneficium quotuplex. 189. & ſeq.
Beneficia an gratuita. 437.
an uni plura poſſint dari. 436.
duobus eodem dato uter alteri præferendus. 196.
à quo & cui id conferendum. ibid. & ſeq.
Biblia legi olim vetita. 200.
Bonifacius Papa VIII. petra ſcandali & lapis offenſionis. 259.
Bulla quid. 460. & ſeq.
unde ita dicatur. 461.

Bullis Papæ principumque qui exhibitus olim honor. 351.
quot aureæ Ultrajecti. 462.
Brandea. 340.

C.

Cadaverum olim uſtio. 337. & ſeq.
Cancelli in eccleſiis. 33.
Canonum definitio. 11.
Canonica inſtitutio. 195.
Canonum quæ vis. 22. & ſeq.
Canonici clerici. 99.
Canonici honoris. ibid.
Canonici Capitulares. ibid.
Canonici conjuges. 205.
Canonici laici. 206.
Canonia. 226.
Canonici ſucceſſor quis. 223.
Canonici unde dicti. 423.
eorum officium. 100. 201. & ſeq. 422.
rauci, debiles, an admittantur. ibid.
an debeant per ſe ipſi officio ſuo fungi. 190.
inter Regulares & Seculares deſcrimen. 97.
vini quantitas iis data. 423.
Canonici Jubilarii. 101.
Cantus Metenſis. 153.
Capis, Capitiarius. 188.
Capſum quid. 33.
Capitulum quid. 99.
Carcer debitorum ex cauſa civili. 410. & ſeq.
Cardinalis Campagius. 128.
Carolus Martellus an in infernum detruſus. 442.
Cathedraticum, enthroniſticum. 221.
Cin-

Cenſure quid & quæ ejus ſpecies. 312. & ſeq. 449.
Cenſus eccleſiæ. 438. & ſeq.
Ceſſio beneficii an & quoties permiſſa. 222. & ſeq.
Ceſſio quotuplex. 226.
Ceſſio an poſſit fieri ſi pecuniariter quis condemnatus ex cauſa delicti. 470. & ſeq.
Chariſtia. 139. & ſeq.
Charitatis cauſa præſtitum. 446.
Chorepiſcopus quis & ejuſdem officium. 68, 95. & ſeq.
Chriſma quid. 133.
Chriſtina regina Sueciæ uſa habitu Franciſcano. 455.
Cimeline, Cimeliarchium, Cimilinum. 188.
Citatio ut ſit juſta quænam requirantur. 373. & ſeq.
an neceſſe ut cum fit adhibeantur etiam teſtes. 375.
an reo ejus debeat exemplum relinqui. idid.
Citatus ex quibus cauſis ſi non ſtiterit ſe excuſetur. 373. & ſeq.
Clementina. 5.
Clerici unde dicti. 34.
cur dicti etiam montes. ibid.
Clerici an ſubſint laicis an laici clericis. 35, 417.
Clericorum diviſio. 36.
Clerici etiam dicti viri docti & eruditi. 37.
Clerici an naſcantur. 39.
Clerico an neceſſe ut ſciat literas, ut eruditus ſit. 45. & ſeq.
Clerici minores. 91.
Clericus an feudi capax. 112.
Clericorum veſtitus. 113.
Clericorum corona. 114.
an poſſint Medici eſſe aut Advocati. 116, 201.
an cum fœminis converſari. 117.

eorum

eorum qui gradus. 89.
Clericorum nequitia. 195.
eorundem inſcitia. 197. & ſeq.
an poſſint tutores eſſe. 241.
an poſſint teſtari. 248.
an poſſint inſtitui. 250.
an ſcribere heredem quemcunque. 248.
eorum heres ab inteſtato. 256.
Clericorum quod forum competens. 269.
an ad judicem ſecularem in jus poſſint trahi. 270. & ſeq.
an à laicis accuſari. 287. & ſeq.
an contractum inire & an ex contractu conveniri cum effectu. 289. & ſeq.
Clericorum juramenta. 299.
eorundem officium. 424.
eorundem ſævitia. 446.
Clerus an negotiari poſſit. 443.
an acquirere immobilia. ibid.
an acquiſita alienare. 440. & ſeq.
Clerus avaritiæ & rapinarum convictus. 253.
Clericorum delicta. 276. & ſeq.
ipſorum Simonia. 283. & ſeq.
ipſorum avaritia. 287. & ſeq.
an liceat iis militare. 270. & ſeq.
eorum quæ arma. ibid.
non degradati an ſupplicio poſſint affici. 278.
Clericorum ſupellex à plebe olim direpta. 256.
Coadjutor quis. 64.
Cognati quinam. 155.
Cognati etiam fratres. 427.
Cognatio ſpiritualis. ibid.

Collatio beneficii quo ritu olim facta. 202.
Collatio quotuplex. 205.
Colles, montes. 34.
Commendarum origo. 93. & ſeq.
Commendationes. 95.
Communio ſub utraque. 144.
quoties olim communicatum. 145.
Communio laica. 310. 316.
Communio peregrina. 316.
Concilium quid. 11.
ejus quot ſpecies. ibid.
indicendi id cui jus. 12. & ſeq.
cui jus præſidendi. 14.
Condemnatio in expenſas quando fiat & quomodo. 383. & ſeq.
Confeſſio pars eccleſiæ. 365.
Confeſſionis quæ vis. 292. & ſeq.
Confeſſio an probatio. 438.
Confeſſiones, martyria. 169.
Confeſſio auricularis an poſſit dici ſacramentum. 125.
Conjuratores. 320. 325.
Conſecratio epiſcoporum. 80. & ſeq.
Conſuetudinis quæ vis. 25. & ſeq.
quemadmodum probetur. 26. & ſeq. 290.
Contumax quis. 378, 384.
an evadere poſſit victor. 379.
an in integrum reſtitui, & reſtitutus an nihilominus condemnandus in expenſas. ibid. & ſeq.
Conventicula quam odioſa. 433.
Convivia in templis. 397. & ſeq.
Corona Papæ, quæ Regnum dicta. 16.
ingens ejus pretium. ibid.

Cor-

Corporale. 146.
Cruce contendere. 322.
Cuculla vis. 106.
Cujacii manuſcripta. 200.
Curatus, Cureyt. 172.
Curia Chriſtianitatis. 262.
Curia tradi. 218.

D.

Debitor an tormentis poſſit cogi ut ſolvat. 470.
an ex cauſa civili in carcerem poſſit mitti. ib.
Decanus ruralis. 422.
Decima piſcium, 181.
ferarum & venationis. 434.
Decimæ an præſtentur non deductis impenſis. 181.
quomodo conſtituantur, acquirantur, & amittantur. ibid.
certo pretio redempta. 182.
compenſari an poſſint. 181.
an alienari. 182.
Decimæ fabricales. 433.
Decimæ Saladinides. 182.
Decretalium collectiones. 7.
Decretales Raymundi cur citentur per extra. 8.
Decretales Bonifacii Papæ VIII. 9.
Dedicatio cui facta. 169.
Degradationis ritus. 316. & ſeq.
Deifici. 142.
Delatores inviſi. 289.
Denarius S. Petri. 18.
Depoſitio quid. 451.

Deſiderata. 138.
Deſtinare idem quod deſpondere. 430.
Deviare quid. 447.
Dextri, Dextrum, Dextrarii. 178.
Diaconi officium. 92. & ſeq.
Diœceſis, parochia. 171. & ſeq.
Diſpenſatio quid, & ex qua fiat cauſa. 354. & ſeq. 467
ejuſdem exempla. 356. & ſeq.
cui jus diſpenſandi. 355.
an de jure divino ulli illud jus. 356.
Divina animalia, divina domus. 353.
Domicilium quid. 276.
Dominicale. 150.
Dos eccleſiæ. 169.

E.

Eccleſia quid. 10.
Eccleſia inſtar navis. 34.
Eccleſiarum abuſus. 174, 432.
Eccleſiarum commercium. 175, 231, 440.
Eccleſia ab eo qui eam nactus an deſeri rurſum poſſit. 85. 191.
inter eam & epiſcopum quaſi quoddam conjugium. 85. & ſeq. 383.
Eccleſia baptiſmalis. 129.
Eccleſiæ conſecratio quo ritu olim facta. 167.
non dotata non conſecrata. 211.
Eccleſia quotuplex. 170.
Eccleſia olim nulla deſtituta reliquiis. 170.
Eccleſiarum emunitas. 177.
quæ matrix eccleſia. 192.

Eccleſiis quidvis olim dabant & eccleſias etiam ipſas. 231.
Eccleſiæ eccleſiis vectigales. 231. & ſeq.
Eccleſiis quod olim datum in quatuor partes diviſum. 233.
Eccleſiæ an poſſint diſtrahi. 234.
an prædia eccleſiaſtica. 234.
an in feudum dari, in emphyreuſin, an pignori obligari. 235.
Eccleſiæ & pia loca an neceſſario inſtituenda. 253. & ſeq.
Eccleſia quo ſpatio & acquirat rem & amittat. 425. & ſeq.
Eccleſia cur titulus. 431.
an & ambitus ejus ſacer. ibid.
cruces ambitum deſignabant. ibid.
ejuſdem reconciliatio. 432.
refectio ejus unde facta. 433.
Electio quotuplex & quot modis fiat. 74. & ſeq.
à quibus & quando. 70. & ſeq.
Electio & Poſtulatio qua in re differant. 82. & ſeq.
Electum an neceſſe ut Papa confirmet. 80.
Electitius judex. 361.
Ellebichus magiſter militum. 383.
Encauſtum quid. 460.
Engelbertus frater Ducis Cliviæ, Poſtulatus Trajectenſis. 83.
Enthroniſticum, cathedraticum. 221.
Epiſcopi regni Principes. 49.
Epiſcoporum officium. 51. & ſeq. 418.
eorum juriſdictio. 53.
Epiſcopi ſine grege. 67.

Epiſcopi cum eccleſia quaſi quoddam conjugium. 83.
Epopta. 358.
Equi palmati. 354.
Equus parochialis. 172.
Equi Cappadoces, Hermogeniani, Siculi. 353. & ſeq.
Eraſmus laudatur. 349.
Eſſoniare, Exoniare. 377.
Euchariſtia & cum mortuis ſepulta. 148.
Eulogia. 139.
Examen epiſcoporum. 78.
Excommunicatio quid & quotuplex & quis ejus effectus. 308. 450.
quo ritu hæc olim facta. 305. & ſeq.
Executio ſententiæ ubi fiat & per quos. 399.
quando fiat, & quæ formula, quæ ut alibi fiat deſideratur. 400. & ſeq.
quid ſi non ſit in quod commode poſſit dirigi. 410.
an poſſit debitor ex cauſa debiti etiam mitti in carcerem. 410.
conjectus in carcerem cujus alendus ſumptu. 410. & ſeq.
quantum dandum quotidie. ibid. & ſeq.
Exemptio quid ejuſque vis & effectus. 348. & ſeq.
Exoniare. 577.
Expectativæ an permiſſæ. 196, 223. & ſeq.
Expenſæ litis quænam juſtæ. 386. & ſeq.
an minutatim taxandæ. 329. & ſeq.
& taxatio ad quem ſpectet. ibid.
Exſacrare, reſacrare. 305.
Extrema unctio an ſacramentum. 124. & ſeq.

F.

Fictio & præſumptio quomodo inter ſe differant. 292.
Filiusfamilias an poſſit facere teſtamentum. 249.
an fideicommiſſo gravatus legitimam poſſit ſimul & Trebellianicam detrahere. 250.
Firma, Firmarius. 176.
Fiſcus an poſſit condemnari in expenſas. 386.
Fœminis an juriſdictio. 31. & ſeq.
an admittantur ad dignitates. 30. & ſeq.
an judices poſſint eſſe. ibid.
Forum duplex. 262.
ubi quis conveniri poßit. 275.
an in loco contractus. ibid.
Frater etiam dicitur ſororis maritus. 157.
Fratres ſportulantes. 229.
Fryding. 373.

G.

Gallina Æſopica. 251.
Gradus clericatus. 89.
Gradus quid. 187.
Gratianus quis. 6.
homo ſtupidus. 126.
ejuſdem decretum. 2.
in quot partes diviſum. 9.
an habeat juris vim. 2. & ſeq.
Gregorius Papa XIII. 7.

H.

Hæretici an ſepulti. 346.
an excommunicati. ibid.
Hæreticus qui regnum ſacerdotio dixit præferendum. 21.
Half out butkyn. 413.
Henricus IV. *Imp. relictus Spiræ inhumatus totum quinquennium.* 328.
Heres an teneatur ex delicto defuncti. 268.
Homicidii pœna pecuniaria. 335.
quando impune id committatur. ibid.
Homoligus, Homoligius, Homologus. 190.
Horæ Canonicæ. 100.
Hoſtia olim illata haris, horreis, alveariis. 150.

I.

Jactivus, jectivus. 377.
Imago Principum impreſſa nummis ſtatim poſtquam ſumpſiſſent purpuram. 352.
Immantatus. 55.
In jus vocatio an pars judicii. 381.
Inſcriptio in crimen. 285. 447.
Inſtitutio canonica. 195.
Interdicti origo. 315.
Joannes Semeca. 5.
Joannes Bavarus Alberti Ducis filius Poſtulatus Leodienſis. 84. 89.
Jubilarii Canonici. 101.
Judex quis & quotuplex. 262. & ſeq. 370.
Judex ſecularis etiam alibi publicus. 445.

Judex

Judex pedaneus etiam alibi electitius. 361.
Judicii quæ partes. 263. & ſeq. 381.
Judicium bannitum. 444.
Judicia quæ occulta, Weſtphalica, Vehmica. 372.
quando hæc inſtituta. 372. & ſeq.
Judicis officium. 369. & ſeq.
Judicis dati poteſtas. 363.
Judici eccleſiaſtico an inter laicos juriſdictio. 273. & ſeq.
Judicium quid & quotuplex. ibid.
poſſeſſorium cum petitorio an poſſit conjungi. 267. & ſeq.
quot judicium conſtituant. 266.
Juriſdictio quotuplex. 262.
Juriſdictio epiſcopalis. 53.
Jusjurandum quid & an ſpecies probationis. 294. & ſeq. 448.
quotuplex jusjurandum. ibid.
quid ſimplex & quid corporale. 296. & ſeq.
quodnam illicitum. 295.
Jusjurandum clericorum. 299.
Jurisjurandi quæ vis. 294.
cui id deferendum actori an reo. 319.
quo ritu præſtitum corporale. ibid.
quod factum contra juramentum, an poſſit alio juramento confirmari, ut ſubſiſtat. 296.
Jus domi etiam dictum. 397. & ſeq.
Jus patronatus in quibus conſiſtat. 207. & ſeq.
an vendi poſſit, an obligari, an in alium transferri. 212.
an tranſmitti in heredes. ibid. & ſeq.
quotuplex illud jus: 212. & ſeq. 216.

idem an individuum. 214.
cui id competat. ibid.
uxori datum an maritus id exerceat, an uxor. 212.
quænam requirantur ad jus id conſequendum. 210.
quemadmodum amittatur. 219.
Jus ſpolii. 255.

K.

Κανονάρχης. 101.
Koornthienden. 180.
Krytende thienden. ibid.

L.

Labratum. 351.
Laici utrum ſubjecti clericis, an clerici laicis. 417.
Laici clerici. 205.
Leges Opſtalbomicæ. 396.
Λειτουργία. 138.
Levita. 93.
Libellarius contractus. 245.
Libellaticum. 246.
Ligia reſidentia. 189.
Lingua laica quæ. 37.
Linea quotuplex. 156.
Lis quando dicatur pendens. 265.
Litem diſcingere. ibid. & ſeq.
Literati etiam dicti qui vel minime literati. 201.
Literæ requiſitoriales. 264, 399.
Litis conteſtatio quid. 381.

Ludi,

Ludi, chorea, in eccleſiis. 175.

M.

Mantum. 59.
Manualia. 204.
Manualis promiſſio. 321.
Manumiſſio ubi fiat. 398.
Maria & Thermantia filiæ Stiliconis. 454.
Martyria, confeſſiones. 169.
Maſſe Marchiſia & Judiciſſa Calaritana. 461.
Matrimonium an ſacramentum. 125. & ſeq.
cur clericis interdictum. 128.
Matrix quæ eccleſia. 192.
Mercatura, negotiatio, an clericis interdicta. 238.
Mette, de mette ſingen. 153.
Metus quis juſtus. 238.
Miniſteria. 149.
Miniſterii generalis vox. ibid.
Minoratum, Minorare. 244.
Minor annis XXV. *an habeat legitimam perſonam ſtandi in judicio.* 266.
Minutiæ poſſeſſionum. 244.
Miſſa unde. 140. & ſeq.
duplex, publica & privata. 150.
ab eodem eadem die niſi ſemel non facta. ibid. & ſeq.
Miſſa veſpertina. 143.
Miſſa horis matutinis fit. 145.
numerus miſſarum ingens. 152.
Miſſa an neceſſe ut in eccleſia ſemper fiat. ibid.
Modi acquirendi. 425.
Momentum, cauſa momenti. 268.

Monachi olim laici. 103. 248.
an quicquam acquirant. 103. 247.
mutatum ab iis nomen. 107.
tondendi eos modus. 115.
eorum veſtitus. 102. & ſeq.
eorum profeſſio. 105. & ſeq.
an poſſint facere teſtamentum. 247.
ſucceſſores eorum ab inteſtato. 248.
Monachi mundo mortui. 254.
intra tempus probationis deſerere ordinem adhuc poſſunt. 258.
Monaſteria quæ exempta. 348.
Montade quid. 177.
Montes, colles. 34.
Mortuis condita teſtamenta. 121.
Mutuum idem quod commodatum. 245.

N.

Negotiatio, mercatura, an clericis licita. 238.
Nicolaus Witſen Conſul. 135.
Nomen quinam mutent. 134.
Notio quid. 261.
Notitia quid. 462.
inter Notitiam & inſtrumentum diſtinctio. 464.
Novalia. 180.
Nummi conducti. 245.
Nuptiarum requiſita. 154.
an contrahi ab eo poſſint à quo poſſunt ſponſalia. 166.

Obla-

O.

Oblata quid. 142.
Oblationum quis uſus. 186. & ſeq.
cui hæ applicentur. ibid. & ſeq.
Oblationum diviſio. 435.
Oerconden. 463.
Officium nocturnum. 120.
Officium judicis. 467. & ſeq.
Officium epiſcopi. 418.
Officium Canonicorum. 201. & ſeq.
Opſtalbomicæ leges. 396.
Orarium quid. 95.
Ordinatio olim facta de gradu in gradum. 89.
Ordinatio ut juſta ſit quæ requirantur. 39. & ſeq. 418.
Ordo an ſacramentum. 124.

P.

Pallium quid & unde id confectum. 57, 419. & ſeq.
à quo & cui olim datum. 60. 419. & ſeq.
quid per pallium denotetur. 63.
Panes civiles, gradiles, populares. 204.
Papa etiam Rex imo & Rex Regum. 17. 19.
Papa Deus in terris. 15.
Papa etiam majeſtas. 17.
miſſus ad eum cenſus ex toto terrarum orbe. 18.
Papa idem quod Petrus. 19. & ſeq.
Papa Princeps ſecularis. 21.

vaſallus Papæ Imperator. 20.
Papa jura omnia in ſcrinio pectoris ſui habet. 358
an ſuperior Conciliis. ibid.
Papæ nomen quando proprium ſolius Papæ Romani. 48
Papæ olim quinam. 47.
Papa ſtupor mundi. 284.
Parochia quid. 171.
Parochia idem quod diœceſis. 434.
Parricidii pœna pecuniaria. 335.
Paſtellus quid. 40 220.
Patrini, ſuſceptores. 134.
Patronus & Advocatus an inter ſe differant. 208.
Peculiaritas. 105.
Peregrina communio. 316.
Phanon quid. 95.
Photii Nomocanon. 24.
Pitantia quid & unde. 230.
Plebanus, Papa, Parochus, Curatus, Paſtor, Synonyma. 89.
Plebs, Plebanus. 171.
Plebana domus. 193.
Plebanatus. idid.
Pœna quid & quotuplex. 299. & ſeq. 449.
Pœnitentia an ſacramentum. 124. & ſeq.
Poſtulatio quid. 82. 421.
Poſtulatitius gladiator. 84.
Poſtulati nummorum genus. 84. & ſeq.
Præbendati quinam. 205.
Præſentari quis poſſit. 215.
Præſentatio cui fiat. 214. 221. & ſeq.
cui facta an neceſſe ut præſentatum admittat. 215. & ſeq.

quo-

quomodo facienda & intra quod tempus. 215.
Præſentatus utrum habilis unde debeat cognoſci. 216.
Præſtitum pro mutuo. 245.
Præſumptio an probatio. 448.
Præſumptionis quæ vis. 291.
Presbyter & epiſcopus an differant inter ſe. 48. & ſeq.
Primitiæ quando præſtitæ. 185.
earum quæ quantitas. ibid.
Primogenitus quis. 213.
Principes ſacerdotum. 47.
Principum olim faſtus. 353.
Privilegium quid & quotuplex. 347. & ſeq. 455.
quid requiratur ut vim habeat. ibid.
an neceſſe ut adſcribatur etiam dies & Conſul. 456. & ſeq.
an addendum quis ſcripſerit. 459.
falſum utrum nec ne unde id poſſit cognoſci. 350. & ſeq.
quando id amittatur. 350. & ſeq. 466.
Probatio quid & quotuplex. 289. & ſeq. 448.
cui probandum. 294.
notoria an probentur. 301; & ſeq.
Probationis difficultas. 303.
Proba quid 324.
Proclamationum nuptialium effectus. 429.
Promotio ad ſacros ordines an gradatim facienda. 348
Pulſare eſt monachorum. 255. 424.
Pulſatorium quid. ibid.
Pulſare dicitur actor, reus contra pulſari. 414.
Purgatio quotuplex. 451.
Purgatio vulgaris. 323.
Purgatio canonica. 318. & ſeq.

Purgare ſe ſola manu aut manu propria. 325.
Purgationis ſpecies hodiernæ. 326.
Puſtulatum, Puſulatum. 85.
Pyxis, in qua hoſtia. 149.

Q.

Quatertemper. 40.

R.

Religio olim aſſerta ferro candenti. 324.
Reliquiarum quis cultus. 449.
Reliquiæ quænam. 240.
an remedium adverſus morbos. 344.
Remiſſa. 141.
Repertorium oberati. 414.
Rerum diviſio. 121.
Rerum eccleſiaſticarum alienatio an permiſſa. 440. & ſeq.
Res quando litigioſa. 265.
Reſacrare, exſacrare. 305.
Reus an conveniri poſſit in loco contractus. 446.
an in loco rei ſitæ. ibid.
Reviſio quando inſtituatur. 390.
Rotula, Rotulus. 395.

S.

Sacerdotis officium. 90.
Sacerdotis cum eccleſia quaſi quoddam conjugium. 91, 121.

Sacerdotis facultates. 43.
Sacerdos ſine titulo. 191.
Sacerdos localis. 192.
Sacerdotium an regno præferendum, an regnum ſacerdotio. 21.
Sacerdotium conductum. 314.
Sacra Eleuſinia. 358.
Sacræ cœnæ definitio. 123.
Sacramentum quid. 123.
Sacramentum an iterari poſſit. 206.
Sacramentales. 320. 325.
Sacramento contendere. 322.
Sacriſta, theſaurarius. 188.
Sacrorum librorum uſus qua pœna interdictus. 199. & ſeq.
Salvitas quid. 178.
Sanctuaria, brandea. 340.
Scholaſtici quinam. 204.
Scyphi miniſteriales. 150.
Secretaria, Seſſiones. 16.
Sententia quid. 265.
Sententia quando nulla. 370.
in abſentem an poſſit ferri. 377. & ſeq.
an neceſſe ut citetur prius. 371.
& quid ſi non ſit citatus, ſententia tamen lata in ipſius favorem. 377.
quid ſi reus rebellis, latro. ibid.
quid ſi judici de cauſa & jure partium non ſatis conſtet. 380. & ſeq.
Sententia noctu an poſſit ferri. 383. & ſeq.
ubi pronuncianda, ut & quando, & quomodo. 381. & ſeq.

in

an ex ſcripto pronuntianda; & à quo id faciendum. 391. & ſeq.
poſtquam dicta an poſſit mutari & corrigi. 383.
à ſtante an à ſedente pronuntianda ſententia. 394.
ſub dio, an ſub tecto. 395. & ſeq.
an in templis, in locis ſacris. 396. & ſeq.
& quid ſi lata in diverſoriis. 393. 395.
in pronunciandis ſententiis uſi tabulis lapillisque. 381.
Sepultura extra urbem in cryptis, in catatumbis. 338, 453.
quando cœperint in templis. 339. & ſeq.
ubi & in quo templo cuique jus ſepulturæ. 314.
Sepultura an gratuita & quodnam lucrum parochi. 344. & ſeq.
Sepeliendi olim ritus. 453. & ſeq.
Caroli Magni ſepultura. 454.
Filiarum Stiliconis Mariæ & Thermantiæ. ibid.
Seſſiones. 16.
Servitia & miniſteria eccleſiis quotannis præſtita. 439.
Servorum victus diurnus. 411. & ſeq.
Sigillum idem quod bulla. 460. & ſeq.
perſona eccleſiaſtica an ſigillo olim uſa. 465.
Simonia deteſtabilis. 196.
Simonia Paparum. 283.
Singularis pro plurali & pluralis pro ſingulari. 411.
Smalthienden. 180.
Sororis maritus etiam frater vocatur. 157.
Sortes an permiſſæ. 323.
Spiritualis cognatio. 428.

Spolium quid. 255.
Sponſalia an pactum, an contractus. 159.
quomodo probanda. 160.
ab abſente an poſſint contrahi. 161.
an omnia de futuro. 162.
an quæ dicuntur de præſenti idem quod matrimonium. ibid. & 430.
& quid ſi ad ea quæ de futuro accedat concubitus. 430.
quid ſponſalia diſſolvat. 163. 430.
Sponſa an habenda pro uxore. 166.
Sportula quid. 229.
Sportulantes. ibid.
Spurii an admittantur ad eccleſiaſticas dignitates. 29. & ſeq.
Stola quid. 95.
Studium pœnale. 302.
Styli quibus confoſſi martyres. 279.
Subdiaconi officium. 95.
Subintroductæ. 118. & ſeq.
Subſcriptio in crimen. 285.
Subſcriptio & inſcriptio quomodo inter ſe differant. 286.
Suffragium quid. 57. 67.
Suffraganei quinam. 66. & ſeq.
Sumen quid. 377.
Sunnis, ſonnia. ibid.
Superpoſita. 204.
Suſpenſio quid. 451.
Suſceptores, patrini. 134.

T.

Taberna in eccleſiis. 174.
Talio an in uſu. 300.
Teſtamenta mortuorum. 123.
Teſtes per aurem tracti. 463.
Teſtes an admittantur & ante litem conteſtatam. 264.
quot requirantur in teſtamentis. 250.
Teſtibus quid probandum. 290.
injurati an admittantur. ibid.
an parte adverſa non citata. ibid.
auditi extra judicium an & quando probent. 290. & ſeq.
Theſaurarius, Sacriſta. 188.
Thientmaeltyt. 184.
Throni epiſcoporum. 50.
Titulus quid. 47. & ſeq. 191.
Tituli titulis ſubjecti. 192. & ſeq.
an uni plures tituli. 194.
Tituli dati non ut tituli ſed dati in commendam. 194.
Trabale judicium. 361.
Tranſiſulania parochia epiſcopi Trajectenſis. 434.
Transſubſtantiatio. 141. & ſeq.
Tribunal quid. 394.
an id habeat judex datus. ibid.
Turnarius quis. 223.

Vacan-

V.

Vacantes, vacantivi. 319.
Vehmſcheffen, Fryſcheffen. 372.
Vela in eccleſiis. 33.
Venatio clericis interdicta. 108.
Vierſchaer quid. 444.
Virſcara bannita. ibid.
Uſtio olim frequens. 337. & ſeq.

W.

Wybiſſchop. 69.

F I N I S.

2512265 D

B.N.C.F.
B.17.7.49